This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 06823126 9

ZEP.

THE

THEOLOGICAL WORKS

OF

ISAAC BARROW, D.D.

IN EIGHT VOLUMES.

VOLUME VIII.

CONTAINING

OPUSCULA THEOLOGICA, ORATIONES, POEMATIA.

OXFORD,
AT THE UNIVERSITY PRESS.
MDCCCXXX.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

INDEX CAPITUM.

DE Spiritu Sancto. P. 1.
De Regimine Episcopali. 33.
De tribus Symbolis. 52.
Animæ Humanæ Corporibus non præexistunt. 62.
De Potestate Clavium. 85.
Concio ad Clerum. 115.
Epitome Fidei et Religionis Turcicæ, a Mahumeto Kureischita, Arabum Propheta, prius in Arabia deserta, postea a successoribus per totum pene Orientem diffusæ. 145.
Quæstiones Act. Moderat. April. 1651. 169.
In Comitiis 1652. Cartesiana Hypothesis de Materia et Motu haud satisfacit Præcipuis Naturæ phænomenis. 187.
Oratio Moderatoria in Auspiciis Termini, Apr. 30. 1651. 214.
Oratio habita quinto Nov. Anno 1651. In Aula S. Trin. Collegii. 231.
Præfatio cum opponeret die Cinerum, Feb. 21, 165¾. 264.
Epistola, 1651. 271.
Pro Lectore Human. Oratio. 280.
Oratio cum Græcæ Linguæ Cathedram ascenderit, A. D. 1660. 289.
Oratio ad Academicos in Comitiis, 308.
Oratio habita in Lectura Geometrica Collegii Greshamensis, Londini, A. D. 1662. 322.
Oratio Præfatoria in Schola publica Mathematica, Mart. 14, 1664. 341.
Procancellarii Electi Oratio, A. D. 1675. 366.
Vicecancellarii Munere defuncti Oratio. 370.
Oratio Sarcasmica in Schola Græca. 374.
Oratio habita in Comitiis. 390.
De Sestertio. 404.
Mundus neque fuit, neque esse potuit ab Æterno. Anno 1649. 408.
Creatura non potest creare. Anno 1649. 410.
Dantur rationes Boni et Mali æternæ et indispensabiles. Anno 1651. 412.
Dantur Substantiæ incorporeæ Natura sua Immortales. Anno 1651. 415.

Dantur formæ substantiales. Anno 1652. P. 418
Conscientia erronea obligat. Anno 1652. 421
Christus per mortem fuit sacrificium proprie expiatorium pro peccatis. Anno 1652. 423
Obedientia Christi non tollit obedientiam Christianam. Anno 1652 426
Terram esse in mundi centro sitam nullis argumentis evincitur Anno 1653. 429
Hypothesis Cartesiana de materia et motu haud satisfacit præcipuis naturæ phænomenis. Anno 1653. 430
Reverendissimo magistro, et dignissimis sociis collegii S. S. Trinitat. Cantabrigiæ. Anno 1655. 433
Iter maritimum a portu Ligustico ad Constantinopolim. Nov. 6, Anno 1657. 445
De Religione Turcica. ΑΚΕΦΑΛΟΝ. Anno 1658. 466
In obitum dignissimi Domini Spenceri Bretton, illustrissimi Consulis Anglorum Smyrnæ, anno 1569, Elegia. 492
Augustiss. regi suo reditum gratulatur Britannia. Anno 1660. 496
In Psalmos a reverendo D. decano Petroburgensi Homerico versu donatos, anno 1674. 503
Illustrissimo domino Georgio Monk, regis restitutori, regni liberatori, anno, 1660. 505
In obitum Henrici ducis Glocestrensis et Mariæ principis Arausionensis, 1660. 509
Elegiæ, 1660. Anno 1660. 511
Epitaphium in Henricum Hammond, 1660. 518
Epigrammata. Anno 1661. 520
Epithalamium R. Caroli et R. Catharinæ, 1662. 522
In victoriam navalem, anno 1665. 525
Ratio secundi Præcepti in Decalogo est immutabilis. Anno 1668 528
Divinitas ΤΟΥ ΛΟΓΟΥ constat ex Initio Evangelii secundum Johannem. 531
Elegia. Anno 1669. 533
In obitum ducissæ Aurel. Anno 1670. 535
Epicedium in ducem Albæmarlæ. Anno 1670. 536
De S. Trinitate. Jul. 1670. 544
Ad Johannem Tillotson, cum Libro Lect. 547
Ad D. D. Chr. Wren. ibid

DE SPIRITU SANCTO.

Spiritus Sanctus est Persona distincta, Patri Filioque coessentialis, et ab utroque procedens.

UNUM existere Deum (rerum omnium Authorem, Custodem, Dominum) universus ordo cursusque rerum, naturæ clara vox, gentium unanimis consensus, perpetuaque traditio, miraculorum ingens copia, oraculorum denique sacrorum irrefragabilis attestatio luculentissime comprobant, et evincunt. Marc. xii. 29. 1 Cor. viii. 4. Deut. iv. 39. vi. 4. x. 12.

Quid sit Deus (cujusmodi nempe perfectionibus attributisque gaudeat) ex operibus divinis observationem nostram sensibiliter incurrentibus, nobis etiam modo nostro (hoc est, indistincte et imperfecte) quadantenus innotescat; *nam invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellectu conspiciuntur, cum sempiterna ejus potestas, tum divinitas.* Rom. i. 20.

Verum quomodo Deus sit, aut qualis sit ejus existentia, nulla (revelatione seclusa) nobis suppetit aut investigandi ratio, vel dijudicandi facultas; eam nec ediscere studio, nec intellectu comprehendere valemus; quum is *lucem habitans inaccessam* nostris a sensibus (naturalis scientiæ fontibus, naturalis judicii fundamentis unicis) plusquam toto cœlo distet, infinito sejungatur intervallo. Unde prudenter sapiens Hebræus, *Difficile*, inquit, *æstimamus quæ in terra sunt, et, quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit? sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum tuum de altissimis?* 1 Tim. vi. 16. Sap. ix. 16.

Sed et existentiæ divinæ modum a nobis concipi vel exprimi plurimum obstat, quod is ab existendi modo valde dissidet earum rerum omnium, quæ nobis obversantur, aut experientiæ nostræ subjacent; a quibus nostras elicimus ideas; quibus notiones nostras conformamus; quibus exprimendis vocabula nostra procudimus, et accommodamus; unde fit ei nostros conceptus, axiomata nostra, nostraque verba parum congruere; quin et necessarium evadit nos de illo cogitantes hæsitare sæpius, aut intricari; de illo sermocinantes plerumque balbutire et ἀκυρολογεῖν, de illo disquirentes et disceptantes nil aliud ferme quam Andabatas agere [a].

Hujus impotentiæ (vel inscitiæ nostræ) manifestum in eo specimen apparet, quod cuicunque naturæ spirituali (vel incorporeæ) multæ competunt proprietates a nobis impervestigabiles, incomprehensibiles et ineffabiles [b]. Nam quomodo res partium expers locum occupet, spatioque coextendatur; qua ratione corpora penetret, et ipsis coexistat (illis loco conjuncta, substantia vero discreta); quo pacto nullis manibus aut machinis utens apprehendat et propellat corpora; quomodo denuo nil patiens aut accipiens objecta persentiscat (quale nil experimur in rebus observationi nostræ expositis, sed quæ spiritibus inesse aliunde discimus), equidem nec assequi distincte, nec limpide valemus effari. Addo, fieri

[a] Τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Plat. Tim.

Id enim quod Deus est, secundum id quod est, nec humano sermone edici, nec humanis auribus percipi, nec humanis sensibus colligi potest. *Novat. de Trin.* cap. 7.

[b] Phantasmatibus suis illuduntur, quia solent videre corporaliter vel animalia tria, vel quæcunque tria corpora suis locis separata,&c.

posse, quod spiritualibus substantiis aliæ complures proprietates conveniant, adhuc fando nobis inauditæ, ab intellectûs nostri capacitate longiùs amotæ.

Præsertim vero circa divinæ naturæ et operationis (nedum incorporeæ, sed etiam infinitæ) modos cogitatione versantibus innumeri se tales objiciunt labyrinthi. Nam, verbi gratia, quomodo Deus purissime simplex et indivisibilis omni spatio præsens sit, hic et illic totus, ubique immensus; quomodo decurrentium temporum successionibus cunctis semper adsit, [c] easque simul et semel prospectui suo subjectas habeat; quomodo nullas ab objectis species admittens aut retinens omnia comprehendit tam futura, quam præsentia vel præterita, etiam ea quæ contingenter futura sunt, et a causis procedent arbitrariis, atque prorsus indeterminatis: quomodo per merum voluntatis actum, et unicum verbum enunciando, stupendam hanc rerum molem e nihilo produxerit: quomodo sine mentis ulla distractione vel molestia subtilissimas istas innumerabilium cogitationum, dictorum, factorum varietates inspicit ac ordinat—ita curans universos tanquam singulos, ita Aug. singulos tanquam solos: quomodo nullam mutationem aut mutationis umbram subiens decreta statuit et rescindit; diligit ac odit; gaudet et dolet: quomodo cum omnia facillime possit, evenire multa sinat ipsi displicentia, quædam infecta dimittat, quibus valde delectatur: quomodo, versus omnes creaturas suas admodum bonus et benignus, aliquas ita condiderit, ut in extremam miseriam facile prolabi possent, prolapsæque fuerint; circa hæc, inquam, similiaque Dei attributa, decreta, opera, facta (nobis

[c] Τίς ἡ τοιαύτη ὑμῶν φιλονεικία τῶν ἐφευρέσεων, ὥστε ἀνθρωπίνῃ φρονήσει ὑπὲρ τὴν ἀνθρωπίνην νόησιν ἐρίζεσθαι—Ath. t. I. 625.

abunde per revelationem explorata; quoad τὸ ὅτι nempe, non quoad τὸ πῶς), si ex nostro sensu concipere, vel ad nostrum modum eloqui velimus, continenter innumeris perplexitatibus et ἐναντιοφανείαις nos implicari sentiemus; ut subiturum sit exclamare
Rom. xi. 33. cum Apostolo, Ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ· ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ; quod de providentiæ divinæ methodo prolatum ad existentiæ divinæ modum ratione quodammodo potiori referatur [d]. Ex his autem colligitur et consectatur;

Primo, Quod non est penes nos circa modum existentiæ divinæ, aliunde quam e cœlesti revelatione, veram ullam notitiam acquirere, ullum præterquam e sacris testimoniis certum judicium formare [e]: quod adeo in his φρονεῖν ὑπὲρ ἃ γέγραπται, nil aliud est quam desipere.

Secundo, [f] Quod circa illam quicquid (utcunque conceptu arduum, vel absonum dictu) sacris in literis expressum habetur, id nobis haud ita mirum aut incredibile videri debeat; ne statim assensu firmo amplectamur; quod tale videtur, ipsius rei sublimitati, vel imbecillitati captûs nostri, vel notionum et vocabulorum nostrorum inopiæ imputantes: hoc est,
1 Cor. ii. 14. opinor, quod Apostolus docet, ψυχικὸς ἄνθρωπος (id est, homo sola ratione naturali utens, animæ constans non desuper illuminatæ) οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ· μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστι· καὶ οὐ δύναται γνῶναι, ὅτι πνευματικῶς (id est, e Spiritûs Sancti revelatione) ἀνακρίνεται.

Tertio, Quod omnis proinde, quæ de hujusmodi

[d] Εἰ γὰρ αἱ οἰκονομίαι ἀκατάληπτοι, πολλῷ μᾶλλον αὐτός. Chrys.

[e] Τὰ γεγραμμένα καὶ σὺ λέγε καὶ οὐ κινδυνεύεις. Maximus apud Athan. Dialog. I. in Maced. 1 Cor. iv. 6. xiii. 9, 12.

[f] Τὰ σιωπώμενα μὴ περιεργάζεσθαι. Bas.

rebus exoritur, disceptationis cardo præcipuus in hoc uno vertitur, an Deus hoc vel illud dixerit, vel an hoc potius vel illud: (excluso rationis comprobantis aut improbantis omni suffragio, vel præjudicio; quoad rerum materiam intelligo, non quoad sensum verborum:) an Deus, inquam, dixerit, seu directe verbis ipsissimis, vel consequenter aut verbis æquipollentibus; nam ad illustrandum sacræ scripturæ sensum, ad quæstiones expediendas, ad errores submovendos, alia subinde vocabula, ex usu communi deprompta, adhiberi non licet modo, sed expedit, fermeque necessarium est[g]; ut "fari aliquo modo possimus, "quod effari non possumus," uti scite Augustinus.

Hinc, quarto, temere Socinus, et qui cum eo faciunt, de rebus his agentes, cum ipsorum imaginationi minus adblandiens aliquid occurrit, utcunque manifestis in sacro textu verbis enunciatum, continuo sanam rationem et sensum communem appellant: quasi vero potius non insana sit ratio, quæ res adeo captum nostrum (τὸν νοὸν τῆς σαρκὸς, quem Col. ii. 18. appellat S. Paulus) transcendentes humanæ rationis trutinæ subdit; et a communi sensu maxime non abhorreat, de summo rerum invisibilium apice nostro ex sensu dijudicare[h]; quasi non extremas rerum possibilitates a mentis nostræ acie discerni, veritatesque cunctas adæquate nostris vocibus exprimi posse, non extremæ vecordiæ simul et arrogantiæ sit existimare; quasi denuo non sobrietatis et sapientiæ multo potius esset, ipsi de se testimonium perhibenti

[g] Καινοτομεῖν περὶ τὰ ὀνόματα σαφηνείας ἕνεκα. Naz. Orat. 39.

[h] Dignare et tu ista nescire. *Hier. ad Ctes.* Ita saltem S. Chrysostomus existimavit, μανίαν γὰρ ἔγωγε εἶναι ἰσχάτην φημὶ φιλονικεῖν εἰδέναι τί τὴν οὐσίαν ἐστὶν ὁ Θεός. Οὐδὲν χεῖρον τοῦ τοῖς λογισμοῖς πνευματικὰ ἐπιτρέπειν.

Deo (juxta sensus vocum, quas ejus sapientia selegit, usitatis acceptionibus maxime congruas et affines), simpliciter et prompte fidem adhibere. Sane nostris conceptibus paradoxa, nostris auribus absona videri, de quibus nunc agitur, mysteria, confiteri non verentur S. Patres; quæ tamen verissima credunt, divinis testimoniis subnixi: Μὴ θαυμάζῃς, inquit Nyssenus, εἰ τὸ αὐτὸ συνημμένον καὶ διακεκριμένον εἶναι φαμὲν, καί τινα ἐπινοοῦμεν ὥσπερ ἐν αἰνίγματι καινὴν καὶ παράδοξον διάκρισίν τε συνημμένην, καὶ διακεκριμένην συνάφειαν. "Cum quæritur quid tres" (inquit S. Augustinus), "magna "inopia humanum laborat eloquium; dictum est "tamen tres Personæ, non ut illud diceretur, sed ne "taceretur."

Orat. 9. contra Eunom.

Aug. de Trin. v. 9.

Hæc, etsi dilutius, ad sanctorum Patrum exemplum (qui suæ adversus heterodoxorum cavillationes communiendæ doctrinæ Dei τὸ ἀκατάληπτον, nostræque rationis infirmitatem, præstruere solent) delibare visum est: nunc ad thesin nostram imprimis explicandam paullo, tum comprobandam accingimur. Ejus autem de subjecto primum nonnulla præmittemus.

Ex iis quæ visûs aciem effugiunt, at quæ manifestis effectibus sese produnt, nihil est ferme quod vento substantia penetrantius, impetu citatius, efficacia validius comperitur; ex hinc fit, ut in communi linguarum plerarumque omnium usu, venti seu spiritûs nomen ejusmodi designandis rebus inserviat, quæ cum præ substantiæ puritate vel tenuitate prorsus invisibiles sint, magna pernicitate agi, magna vi pollere censentur: ita constat physicos cujusque corporis quod abstrusissimum, tenuissimum, agilissimum et efficacissimum est, ejus spiritum nominare. Hinc etiam factum, ut ad a sensu materiaque discretas, intellectu autem et virtute præpotente dotatas sub-

stantias denotandas translatum sit hoc vocabuli; etiam apud Ethnicos, quibus imprimis anima nostra (quam et ab ἄνεμος deducunt grammatici) spiritus dicitur: Vita corpore et spiritu continetur: et, "Eo- Orat. pro
"dem tempore suscipimur in lucem, et hoc cœlesti Muræn.
"spiritu augemur," inquit Cicero: præsertim apud Orat. de Arusp. resp.
Stoicos anima sic audivit: "Stoicos," inquit Tertul- Tertull. de
lianus, "allego, qui spiritum dicunt animam pene An. cap. 6.
"nobiscum." Quin et ab illis Deo Opt. Max. nomen Vid. Lips. Stoic. Phil.
hoc tribuitur:

———Cœlum ac terram camposque liquentes, Æn. vi.
Lucentemque globum terræ, Titaniaque astra,
Spiritus intus agit———

Ita cecinit poetarum princeps, Spiritus nomine, interpretantibus Lactantio et Macrobio, Deum intelligens; imo suam ipse mentem exponit alibi canens, Lact. i. 5.

———Deum ire per omnes Georg. iv.
Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum.

Similiter apud Ciceronem Balbus; "Hæc," inquit, "ita Cic. de Nat.
"fieri omnibus inter se concinentibus mundi partibus D.
"profecto non possent, nisi ea uno divino et conti-
"nuato Spiritu continerentur:" clarissimeque Seneca,
"Prope est," inquit, "a te Deus, tecum est, intus est; Sen. Epist.
"[1] ita dico, Lucili, sacer intra nos Spiritus sedet, ma- 41.
"lorum bonorumque nostrorum observator et custos—
"Bonus vir sine Deo nemo est." Hinc itidem, denuo, captui nostro consulentes sacræ literæ eodem appellamento substantias ejusmodi cunctas (corporeæ molis et concretionis exsortes), animam humanam, omne genus angelicum, ipsumque summum, incomprehensibile Numen adumbrant. Et Deo quidem assignatur

[1] Θεὸς ἐστὶ πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες, οὐκ ἔχον μορφὴν, μεταβάλλον δὲ εἰς ἃ βούλεται, καὶ συνεξομοιούμενον πᾶσιν. Posid. apud Stob.

Θεὸς ἐστὶ πνεῦμα, δῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου. Zeno.

hoc nomen ad simplicissimam ejus naturam et potentissimam energiam significanda; reliquis autem ejusmodi substantiis etiam ad originis suæ modum exprimendum attribui videtur, quoniam eas Deus spiratione quadam produxit: qualem etiam ob causam (ex parte saltem) in sacra scriptura id nominis unicuidam rei signanter, et modo quodam peculiari tribuitur; illi nempe præcellentissimæ rei, circa quam præsens instituitur disquisitio; quæ Spiritus Sanctus, Spiritus Dei (Dei Patris utique, qui propter ordinis ἐξοχὴν sæpe Deus appellatur, significatu personali), Spiritus Christi, Spiritus Dei bonus; sed et ἀπολύτως (haud raro), per excellentiam, ***Spiritus Sanctus*** Spiritus vocatur; quæ res etiam ***Dei potentia*** seu ***virtus*** nominatur. Quo de nomine breviter observetur. Cum rei cuilibet intellectuali tres præcipuæ facultates, voluntas, intellectus, efficacitas, hisque congruæ tres perfectiones, bonitas, sapientia, potestas, inesse concipiantur; harum una quædam, juxta mysticam in divinis οἰκονομίαν, (ut inde modus et ordo subsistendi cuique proprius insinuentur,) singulæ sacræ Triadis Personæ (ita προληπτικῶς loquor) modo quodam appropriatur; [k]Patri nempe, quæ facienda sunt ex arbitrio decernere; Filio, sapientissima ratione disponere; Spiritui Sancto, virtute præpotente exequi et efficere: unde prout Filius ***Dei Sapientia***, ita Spiritus sanctus ***Dei Potentia*** (substantialis utique) nominatur: huic certe rei, qualiscunque sit (qualis enim, postea comprobandum est) satis liquet proprie et primario Spiritûs Sancti nomen adscribi. Verum exinde per figuratam, uti fit, deflectionem seu metonymiam, operationis, quam ille Spiritus exerit,

Luc. i. 35.

Luc. xxiv. 49.

[k] Pater omnia pro arbitrio ordinare dicitur, et proinde τὸ θέλημα dictus est. *Vid. Ignatium in Epist.*

modus, ejus influxus et efficacia, nec non ejus effectus qualescunque nomen hoc interdum adsumunt. Ita cum ab hoc Spiritu, modo perquam conspicuo, eximia vis ubertim inderetur apostolis opera mirabilia perpetrandi, potestas ista (vel ejusce communicatio manifesta, ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος, quam S. Paulus vocat) dicta est Spiritus Sanctus; veluti cum scriptum habetur in Evangelio Johannis, οὔπω ἦν πνεῦμα ἅγιον, hoc est, nondum ejusmodi potestatem acceperant apostoli, vel nondum ista Sancti Spiritûs efficacia comparuerat: item ubi discipuli quidam in Actis sibi nondum innotuisse dicunt, an esset Spiritus Sanctus; id est, an talis divinæ vis peculiaris communicatio. Cum vero Spiritus prophetiæ, Spiritus revelationis, Spiritus sapientiæ, similesque memorantur (quales Spiritus augeri, auferri, extingui nonnunquam innuitur), palam est ejusce phrasibus Spiritûs Sancti effectus, dona, charismata, fructus, ἐνεργήματα denotari; qualia proinde numero plurali πνεύματα vocantur; ut cum a S. Paulo præcipitur, ζηλωταί ἐστε πνευμάτων· et cum ab eo nonnullis διακρίσεις πνευμάτων donari affirmatur; ut et cum prophetarum πνεύματα prophetis subjici vel subordinari dicuntur: his autem et ejusmodi (quicunque sunt) sensibus metonymicis exclusis, nos de Spiritu Sancto juxta sensum proprium et primarium jam agere præmonemus.

1 Cor. xii. 7. Joh. vii. 39. Act. xix. 2. Rom. viii. 5. Eph. i. 17. 2 Reg. ii. 9. 1 Thess. v. 19. 1 Cor. xii. 6. Gal. v. 22. 1 Cor. xiv. 12. 1 Cor. xii. 10. 1 Cor. xiv. 32.

Pro reliquorum terminorum explicatione pauca jam subdemus. Cum Spiritum Sanctum *personam* dicimus, intelligimus rem singularem subsistentem, intellectualem, (completam scilicet, vel αὐτοτελῆ,) vel, ut Boëthius definit, rationalis naturæ individuam substantiam; Græci ὑπόστασιν (quæ vox latior etiam res intelligentiæ expertes comprehendit), hoc est, sub-

stantiam, concrete sumptam, sive rem subsistentem, (τὸ ἐνυπόστατον) huc adhibuerunt; quod vocabuli etiam in sacra scriptura extat, ubi Filius Dei Patris respectu dicitur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ· quo minus causæ fuit, cur *hypostasis* verbum ita refugerent, aut timidius admitterent Hieronymus, et alii Latini; subverentes quippe, ne illo utentes tres essentias agnoscere viderentur; cum usitatiori significatu, ut Augustinus notat, nil aliud denotaret substantia quam essentiam. " Unde non audemus," ait ille, " dicere unam essentiam, tres substantias, sed unam " essentiam (vel substantiam), tres personas." Sed hoc nil aliud erat, ut subnotabat Nazianzenus [1], quam περὶ λεξειδίων ζυγομαχεῖν, de voculis discrepare, cum sive personam, sive hypostasin, sive τὸ ἐνυπόστατον dicimus, idem sentiamus. Nos hoc idcirco ponimus, ut Socini et ὁμοδόξων excludamus sententiam, quæ Spiritum Sanctum nil aliud esse vult quam accidens, aut accidentale quoddam; divinam nempe potentiam, vim, aut efficaciam.

Heb. i. 3.

Hier. Epist. ad Damasum.

Aug. de Trin. v. 8, 9.

[m] ***Distinctam*** adjungimus, ut Praxeæ, Hermogenis, Noeti, Sabellii, similiumque dogma reprobetur; quod Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, confundens, ipsorumque proprietates destruens, unam ex omnibus Personam trinominem effingit, ἐν μιᾷ ὑποστάσει τρεῖς ὀνομασίας asserens, et τὴν τριάδα συναλοιφὴν efficiens, ut tradit Epiphanius. Distinctionis autem vocabulum præ reliquis huic mysterio commodius applicari censent scholastici; quum diversitas et dif-

[1] Naz. 39. et 32. Orat. περὶ τὸν ἦχον μικρολογεῖν, circa sonum argutari.

[m] Ὡς μήτε τὴν Σαβελλίου νόσον χώραν λαβεῖν συγχεομένων τῶν ὑποστάσεων, εἴτουν τῶν ἰδιοτήτων ἀναιρουμένων. Patres Concil. Const. Epist. ad Conc. Rom. Theod. v. 9.

ferentia nonnullum essentiæ discrimen subinnuere videantur. " In divinis," inquit Thomas, " vitare de- " bemus nomen diversitatis et differentiæ; possumus " autem uti nomine distinctionis, propter oppositio- " nem relativam :" quam tamen cautelam haud morosius observant Patres; nam apud illos subinde προσώπων ἑτερότης, et διαφορὰ, quin et nonnunquam διαίρεσις, occurrunt; quanquam διάκρισιν lubentius adhibere videantur. Nos simpliciter asserimus Personas τοῖς ἰδιώμασι διακρίνεσθαι, ut Nyssenus ait, ἄλλον καὶ ἄλλον, ut Nazianzenus[n], persistere; a se vere, plusquam mero conceptu vel nomine, distingui[o], propter distinctas personales proprietates, seu relationes.

Porro, cum *coessentialem* (hoc est, ὁμοούσιον, quod vocabulum adeo percrebuit olim, et contentione tanta passim exagitatum est, quod σύνδεσμον πίστεως, et ὀρθοδοξίας propugnaculum, recte sentientium, qui proinde ὁμουσιασταὶ, coessentialistæ dicti sunt, tesseram appellitant Patres) dicimus Patri Filioque Spiritum Sanctum, intelligimus essentiam Dei, (quæ simplex est et una,) cum suis omnibus perfectionibus et attributis (æternitate, majestate, bonitate, sapientia, potentia) infinitis, Spiritui Sancto inesse, vereque attribui: vel idem brevius efferendo, Spiritum Sanctum esse Deum; contra quam olim semi-Ariani, qui dicti sunt, et princeps inter eos Macedonius, statuebant. Hasce vero thesis nostræ partes S. Augustinus ita bene paucis complexus est: " Pater," inquit, " et " Filius, et Spiritus Sanctus, et propter individuam " substantiam unus Deus est, et propter uniuscujus- Contra Maxim. lib. iii.

[n] Naz. Orat. 23. Δίδασκε τοσοῦτον εἰδέναι μόνον, μονάδα ἐν τριάδι προσκυνουμένην, παράδοξον ἔχουσαν καὶ τὴν διαίρεσιν καὶ τὴν ἕνωσιν.

[o] Apud Augustinum personæ sæpe diversæ dicuntur.

" que proprietatem tres Personæ sunt, et propter sin-
" gulorum perfectionem partes unius Dei non sunt."

Ultimo, Cum Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere dicimus, modus et ordo designantur originis huic divinæ Personæ convenientis: Spiritui nempe Sancto, peculiari modo (ineffabili quidem illo, sed qui per hoc *processionis* vocabulum utcunque designatur), tam a Filio, quam a Patre, divinam quam habet essentiam communicari; contra quam nuperiores Græci dogmatizant.

His expositis, thesis nostræ singulas partes breviter (etenim ne fusius aut pensiculatius agam, rerum vetat multitudo) comprobatas dabo.

I. Imprimis, Contra Sabellium dico, Spiritum Sanctum a Patre Filioque vere, plusquam nomine, distingui.

Distinguitur a Patre: nam,

1 Cor. ii. 10, 11, &c. 1. Patris Spiritus dicitur; neque proculdubio illa relatio commentitia est, aut reali fundamento destituitur: ejus itaque termini sunt vere distincti.

Joh. xv. 26. 2. Spiritus Sanctus a Patre ἐκπορεύεται (hoc est, *egreditur* vel *procedit*); alius itaque sit oportet; nec enim ab eo quicquam vere procedere concipiatur, a quo non nisi conceptu vel nomine tenus differt.

Joh. xiv. 26, 16. 1 Cor. ii. 12. Gal. iv. 6. 3. Consimiliter a Patre mitti, conferri, donari dicitur; quæ certe veram aliqualem distinctionem arguunt.

4. Spiritui Sancto tribuuntur nonnulla, quæ Patri

Luc. iii. 22. minus congruunt; veluti speciatim quod σωματικῷ εἴδει *specie corporea* apparuerit; quod descenderit, et resederit super Christum, adspectante Baptista:

Joh. i. 32, 33. *Vidi*, inquit Johannes, *Spiritum descendentem quasi*

columbam, et mansit super eum: Atqui *Deum* (Patrem utique) *nemo vidit unquam,* ait idem Evangelista: *nec eum,* S. Paulus addit, *videre quisquam potest.* Joh. i. 18. 1 Joh. iv. 12. 1 Tim. vi. 16.

5. Denique Spiritus Sanctus est noster apud Deum advocatus, clamans in cordibus nostris, et Patrem interpellans (ὑπερεντυγχάνων) pro nobis: id officii, id actus manifeste veram distinctionem supponit. Rom. viii. 15, 26. Gal. iv. 6. Joh. xvi. 14.

Pares ob causas etiam a Filio distinguitur Spiritus Sanctus: nam,

1. Filii Spiritus dicitur; neque de nihilo hæc relatio. Gal. iv. 6.

2. A Filio mittitur: ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω, inquit Christus de Spiritu Sancto. Luc. xxiv. 49.

3. Super Christum descendit et mansit, ipsum replevit, ipsum egit, seu duxit; ipsum unxit; sed et ejus operatione Filius carnem suscepit: ergo diversus est a Filio. Luc. iv. 1. Joh. iii. 34.

4. Aperte distinguit ipse Christus inter *obloqui Filio,* et *in Spiritum Sanctum blasphemare.* Matt. xii. 31.

5. Spiritus Sanctus a Filio accepturus dicitur, quod annunciârit discipulis, ac inde Filium glorificare. Joh. xvi. 14.

6. Multa Filius fecit, et passus est, quæ Spiritui Sancto convenire vel attribui nequeunt; quod incarnatus est, et humanam naturam suscepit; quod passus est, resurrexit, ascendit in cœlos.

7. Exerte demum Spiritus Sanctus dicitur alius a Filio: Ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν Πατέρα καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, ait Dominus. Joh. xiv. 16.

Ita separatim Spiritûs Sancti ab utroque distinctio monstratur. Porro conjuncte variis in locis hæc distinctio significatur; nam tribus illis, constanti quadam œconomia, certus ordo assignatur, propria mu-

nia quædam et energiæ peculiares adscribuntur; id quod absque reali fundamento factum existimare
Eph. ii. 18. par non est. *Per Christum*, inquit S. Paulus, ***habemus accessum in uno Spiritu ad Patrem:*** quorsum per has ambages hac districta methodo proceditur, si Pater, Filius, et Spiritus Sanctus solo nomine distinguuntur? quorsum et idem apostolus ita benedicit?
2 Cor. xiii. 13. ***Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Spiritûs Sancti sit cum omnibus vobis:*** quorsum is discrete Patri energematum,
1 Cor. xii. 4, 5, 6. Filio ministeriorum, Spiritui Sancto charismatum, peculiarem adsignat dispensationem? Quorsum etiam
1 Pet. i. 2. S. Petrus sanctorum electionem Patri prædestinanti, Filio propitianti, Spiritui sanctificanti adscribit? Sane divinorum oraculorum gravitati, simplicitati, sinceritati non convenit, ita perpetuo tenore tres illos, ut tres, nedum nominibus, at reipsa, essendi modo, operatione diversos proponere, si nulla præter notionalem illam subsit distinctio? quid hoc aliud esset, quam nobis errandi non tam occasionem præbere, quam necessitatem imponere? nisi veritatis unicos magistros consulto argutos, perplexos et obscuros arbitrari velimus. Porro, tres in cœlo testimonium perhibere Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum af-
1 Joh. v. 7. firmat S. Johannes in Epistola Prima; (saltem, si textûs ἀνθενπία constet;) quod et indubie, licet non junctim, ut in Epistola sua, asseverat in Evangelio; nam Joh. viii. 18. *Ego sum*, inquit Christus, ***qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium de me perhibet, qui me misit, Pater:*** rursusque Joh. xv. 26. ***Cum autem venerit Paracletus, ille testimonium perhibebit de me.*** Ecce tres in cœlo testes: atque tria nomina (qualia putes Marcus, Tullius, Cicero), vel tribus nominibus insignita res omni modo eadem,

tres testes haud confecerint. Denique baptismi forma distinctionem hanc evincit; nam baptismum subeuntes, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum agnoscere profitemur; iis singulis cultum præstamus, et obsequium pollicemur; quod agentes nos paria facere vult Sabellius, ac si subditi Caio, Julio, Cæsarique fidem obstringere juberentur; quale quid a Deo solenniter institui, nemo non videt quam absurdum sit statuere. Satis hæc, opinor, Sabellianum dogma convellunt, nostræque thesis unam partem confirmant.

II. Dicimus, secundo, Spiritum Sanctum esse Personam, non accidentale quid, ut sentiunt asseclæ Socini.

1. Suadetur hoc imprimis ex iis, quæ de Patris ac Spiritûs Sancti distinctione prælibata sunt. Etenim ejusmodi tenuis, aut ferme nulla, distinctio, qualis inter ens quodpiam et ejus efficaciam versatur, (præsertim in hoc casu, si Dei simplicissimam naturam et simplicissimum agendi modum attendamus,) minus rem attingit, nec omnino sufficit illi fundandæ distinctioni, quam inter Patrem et Spiritum Sanctum (uti monstratum est) constituit scriptura. Enimvero in hac parte Socinus (quanquam is subinde catholicis Sabellianismum impingere solet) a Sabellio nihil discrepat; etenim Sabellius ipse Filium et Spiritum Sanctum Patris alias ac alias energias esse; ut et sic eos a Patre, velut a sole lucem ac calorem, distingui professus est; quod non obstitit ne Patres eum, quasi nullam poneret veram distinctionem, redarguerent: prout revera Deus a potentia vel efficacia sua, quoad rem ipsam, non distinguitur.

2. Porro, Colligitur hoc ex ipso Spiritûs nomine, quod certe primario substantiis (tam corporeis quam

incorporeis) impositum est, ipsi Deo (οὐσιωδῶς intellecto) angelis, animæ humanæ; quæ res universæ sunt substantiæ; unde verisimile fit, ei de qua agimus rei, quoniam et ipsa pariter est substantia, ab optimo vocum arbitro Deo, *Spiritûs* nomen assignari; *Sancti*, distinctionis in gratiam, insigni adposito epitheto. Confirmatur hoc ex eo, quod cum ipse Deus
Joh. iv. 24. οὐσιωδῶς sit Spiritus (ut apud S. Johannem in Evangelio habetur expressum), ejus efficacia parum apte sibi nomen hoc idem adsciscat; prout inde quod anima nostra essentialiter est spiritus, incongruum esset ejus vim quampiam animæ spiritum appellare. Idem amplius exinde confirmatur, quod qui bono
1 Sam. xvi. 14. Dei Spiritui opponitur spiritus malus non est efficacia Dei, sed res subsistens; id quod et bonum quoque Spiritum arguit esse rem subsistentem: idem
1 Cor. ii. 10, 11. corroboratur ex eo, quod Sanctus Spiritus ab Apostolo comparatur ei spiritui, qui in homine situs ejus intima consilia rimatur et persentiscit; spiritus autem hominis est substantiale quid; unde παραλλήλως et Spiritum Sanctum esse tale quid innuitur. His accedit, quod Spiritui Sancto potentia, vis, efficacia ascribuntur; εἰς τὸ περισσεύειν ὑμᾶς ἐν τῇ ἐλπίδι, ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου, inquit S. Paulus; potentiam vero potentiæ, vim vi, efficaciam efficaciæ adscribi, non ita congruum est.
Rom. xv. 13, 19.

3. Porro, Sacra scriptura (quacum loquente sentire nos decet) Spiritum Sanctum passim ut Personam describit, personalibus elogiis, officiis, attributis, operationibus insignitam; talibus et illis, quæ divinæ tantum efficaciæ nec sono nec re conveniunt. 1. Imprimis de Spiritu Sancto loquens, Personæ congruum articulum ipsi consulto et quasi de industria accom-
Joh. xvi. 13. xiv. 26. xv. 26. modat. Joh. xvi. 13. ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀλη-

θείας. 1 Cor. ii. 11. τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ. Quorsum ita (alioquin præter analogiæ grammaticæ rationem) stylum temperare, vel inflectere, nisi ut Spiritus Sancti personalitas subindicetur? is si nil aliud quam Dei vis esset, nihil opus esset, imo potius incommodum foret, ejusmodi phrases adhibere. Rursus, 2. Attribuit illa Spiritui Sancto officia personalia: *Magistri*; ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα· *Ductoris*; ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν· *Monitoris*; ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα· *Testis*; ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ· quinimo (quod fortius evincit) *Legati*, qui mentem divinam non tanquam a se, verum ut a Patre Filioque deputatus ac instructus annunciat; Οὐ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ λαλήσει, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν· πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ ἐμά ἐστι· διὰ τοῦτο εἶπον, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται· quæ sane nullo pacto divinæ potentiæ vel efficaciæ conveniunt, at personam liquidissime respiciunt: nam quod ab agente quopiam peragitur, id de ejus efficacia, tanquam ab ipso distincta, prædicari, præter loquendi rationem atque morem fit; præsertimque divinæ (nos simplicissime planissimeque docendos suscipientis) scripturæ ab indole abhorret. Dei efficaciam a Patre Filioque mitti, a Patre Filioque (non a seipso; a quo seipso dic sodes? qui ipsum ab ipso Patre non distinguis) loqui, a Patre vel Filio quæ annunciet audire, quam horride durum et obscurum est? quid non audent, qui sacris literis (ad nos instruendos comparatis) ejusmodi caliginem adspergere non verentur? Quinetiam adsimiliter Spiritui Sancto *paracleti* (seu *advocati*) tribuitur officium, qui apud Deum causam nostram agit, pro nobis orat ac intercedit; verum Patris efficaciam (quæ vix concipi potest, neque concipi debet, a Patre distincta) Deum alloqui, Patri nobisque

1 Cor. ii. 11.

Joh. xiv. 26. Joh. xvi. 13. Joh. xv. 26.

Joh. xvi. 13, 15.

Rom. viii. 26.

mediam interponi, nimis quam (ut cætera) perplexum est, et αἰνιγματῶδες. 3. Porro, Spiritui quoque Sancto S. Scriptura tribuit facultates, et his adnexas operationes, plane personales; quales sunt Intellectus; *Spiritus omnia perscrutatur, etiam profunda Dei:* Τίς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ Πνεῦμα; Voluntas; διαιρεῖ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται· Affectus tristitiæ et iræ; μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ Θεοῦ, *Spiritum ejus exacerbarunt;* Sensus; ὅσα ἂν ἀκούσῃ λαλήσει· Sermo; cum ibidem tum alibi sæpe, *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Dixit Spiritus Sanctus, Separate mihi Barnabum atque Saulum:* Addo locum illum (ut mihi videtur) luculentissimum, Act. x. 19. *Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei, Ecce tres viri quærunt te; surge itaque et vade cum eis, nihil dubitans; quia ego misi illos.* Hæc, inquam, et agnata complura liquido personalia sunt; neque qualitatem aliquam aut energiam, sed hypostasin vivam ac intellectualem repræsentant: hæc omnia ceu per προσωποποιΐαν, (hoc est, quasi dramatice) prolata interpretari, quid fuerit aliud quam oracula Dei velut in Pythios griphos transformare, deque theologia mythologiam efficere? ut emphasis causa, in re minus obscura vel ardua, ejusmodi schemata nonnunquam adhibeat S. Scriptura, nil officit, fateor; sed ut rem gravissimam sublimissimamque quasi perpetuo tortuosis istis loquendi formis involvat, equidem ejus sanctissimæ simplicissimæque majestati consentaneum haud videtur: certe prout simplicius, clarius et intelligibilius, ita majori compendio dici potuisset, Deus cognoscit, Deus vult, Deus hoc vel illo modo afficitur; Deus loquitur: quam *Dei vis* cognoscit, *Dei potentia* vult, *Dei efficacia* loquitur. Si nihil hi modi loquendi discreparent, at saltem

1 Cor. ii. 10.
1 Cor. xii. 11.
Joh. iii. 8.
Eph. iv. 30.
Ps. cvi. 43.
Joh. xvi. 13.
Matt. x. 20.
Act. xiii. 2.

clarior, simplicior ceu expeditior est ille; nec adeo dubiis aut erroribus ansam præbet. Non inepta saltem deberet esse προσωποποιία talis, at quæ rei propositæ quam apposite conveniret; id quod in hoc casu non contingit; nam ex illis saltem attributis personalibus nonnulla sensus istos figuratos vix admittunt; aut plane duriusculum est divinam vim cognoscere, vel audire; et divinam efficaciam ira vel mœstitia affici (hoc est ἐνέργειαν pati) quis commode dixerit?

4. Spiritus Sanctus simili modo, parique jure, quo Pater et Filius, est fidei, cultus, obsequii nostri objectum: addo, cum in Spiritum Sanctum blasphemia committi dicitur, eadem plane loquendi forma, qua in Filium, significatur eodem modo Spiritum Sanctum esse personam, quo Filius est persona: alioquin comparatio minus apte videretur instituta: id quod cum alias plurifariam constet, (ut postmodum ostendetur) tum præsertim e S. Baptismi forma ab ipso Domino instituta; ubi scilicet æque in Spiritus Sancti nomen, ac in nomen Patris et Filii baptizamur; quo significatur, atque solenni contestatione sancitur, e parte quidem divina tres illos ita junctos et quasi confœderatos nobis conspiranter propitios et faventes esse; nos ab iis in disciplinam, in gratiam, in clientelam accipi; eos nobis (fœderis initi leges atque conditiones implentibus) paratos et promissi jure velut obstrictos esse beneficia quædam eximia elargiri; e parte vero nostra, nos solida fide tres illos pariter (hoc est penitus) agnoscere et amplecti; nos in illis parem (hoc est, summam) spem et fiduciam reponere; eos omnes et singulos suprema nos reverentia prosequi; quin et iis perpetuum (et quoad ejus a nobis fieri potest, perfectum) obsequium sancte

Tom. ii. p. 265. Dial. i. contra Maced.

spondemus: quod agentes (sicut Athanasius, vel sub Athanasii nomine quis alius vetustus scriptor effatur) plusquam simpliciter adoramus Spiritum Sanctum, (εἰ δὲ μή εἰσι τέλειοι Χριστιανοὶ οἱ κατηχούμενοι, πρὶν ἢ βαπτισθῶσι, βαπτισθέντες δὲ τελειοῦνται· τὸ βάπτισμα ἄρα μεῖζόν ἐστι τῆς προσκυνήσεως.) Exhinc quis non perspicit, in hoc religionis nostræ primo præcipuoque mysterio Spiritum Sanctum nobis ut personam exhiberi, circa illum ut talem nostri præcellentem hanc officii partem, cultum hunc eximium versari? Huc autem attendentes adversantium sententiam multis sentiemus incommodis urgeri. Nam si Spiritus Sanctus non est persona, minus apte (vel potius admodum incongrue) cum duabus aliis personis in eundem ordinem censumque cooptatur; minus recte res adeo toto genere diversæ (subsistentes, et non subsistentes) copulantur, nobisque forma prorsus eadem tanquam similia cultus objecta proponuntur; quin et frustra ac superflue Spiritus Sancti nomen adponi videtur, si nil præter Dei Patris efficaciam designat: nam Patrem agnoscentes, ejus una patientiam et efficaciam (divinæ naturæ congruam) agnoscimus: Patrem colentes, simul ejus potentiam suspicimus; Patri nos in obsequium addicentes, ejus juxta potestati nos subdimus: veluti si quis regi se fidum et obsequentem pollicitus ac obtestatus est, eatenus abunde satisfecit officio suo, nihil ut sit opus post fidem sic obstrictam, etiam se regiæ potentiæ vel efficaciæ cuipiam devotum profiteri. Supervacanee regem a regia potentia divelli quis non videt? Sciscitari queque licet, annon simili ratione par esset in divinæ bonitatis, aut divinæ justitiæ, vel divinæ sapientiæ, vel alterius cujusvis attributi divini nomen, æque ac in nomen divinæ potentiæ nos consecrari? Miras itaque tenebras et affanias

augusto huic mysterio inducit expositio Sociniana; quod tamen decuit clarissime nobis et simplicissime proponi; ne in ipso Christianæ professionis aditu cespitandi porrigeretur occasio.

5. Etiam perspicue Spiritus Sancti personalitatem evincit, quod sub visibili rei subsistentis specie, εἴδει σωματικῷ, apparuisse memoratur in Evangelio. Rei scilicet accidentalis res substantialis haudquaquam idoneum est symbolum aut repræsentamen; nec ejus nomen adsumat commode. Rei minime subsistenti parum congruit ad instar columbæ descendere, Christoque incumbere: quod si Spiritus Sanctus esset tantum efficacia Dei Patris, (quandoquidem facultatum et operationum effectus suppositis suis aptissime tribuuntur,) exinde dici posset, (idque rectius et magis proprie,) Patrem ipsum apparuisse corporea specie, Patrem descendisse, Patrem Christo insedisse; Patrem S. Baptistæ conspectum esse; quod a veri specie nimisquam abludit, et a nobis antea rejectum est. Taceo (quod antehac attigimus) Spiritum Sanctum inter tres in cœlo testificantes recenseri; quod et peccatum in Spiritum Sanctum a peccatis disterminatur in Deum Patrem admissis. Ut et prætereo quod Personarum trinitas, e Patrum complurium sententia, in illa quæ Abrahamo facta est apparitione (ubi, *Apparuit ei Dominus;* et *Apparuerunt ei tres viri*, dicitur) repræsentatur; ut et quod eandem hymnus ille τρισάγιος (apud Esaiam et Apocalypten) insinuat; ut et quod, *Creavit Elohim, Faciamus hominem*, et similia, eodem referantur [p]: nam e dictis

Gen. xviii. 1.

Esa. vi. 3. Apoc. iv. 8.

[p] Cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus personis unam eandemque substantiam? *Aug. Trin.* II. 11, 12. Jehovah Eloheim,

Socinianus error abunde refutatus videtur, et altera theseos nostræ pars constabilita.

III. Asserimus, tertio, (supposita jam ejus personalitate,) Spiritum Sanctum esse coessentialem Patri Filioque; seu divinam illam unicam essentiam ei cum Patre et Filio communem esse; seu, quod eodem recidit, Spiritum Sanctum esse Deum (summum illum, absolute propriissimeque dictum.) Cum enim unum esse Deum et sacræ literæ passim clament, et omnes facile consentiant, si Spiritus Sanctus sit Deus, Patri Filioque (qui jam Deus esse supponitur) necessario coessentialis erit: quod vero Spiritus Sanctus est Deus (contra Macedonium, et ei ὁμοδόξους) hujusmodi demonstratur argumentis.

1. Spiritui Sancto Dei nomina maxime propria titulique summopere divini passim attribuuntur; ex interpretatione justa nimirum, et consequentia perspicua; quatenus sæpenumero (pene dixeram semper) variis ex occasionibus simul ad Deum et Spiritum Sanctum eadem verba, opera, factaque referuntur; quicquid ut Deus dixisse, fecisse, vel utcunque gessisse tradatur, id etiam a Spiritu Sancto juxta dictatum, confectum, transactumque perhibeatur; et vicissim ut quicquid Spiritum Sanctum quomodocunque spectet, id pariter ad Deum referatur; id quod rebus Dei Spiritusque Sancti nomine designatis essentialem intercedere quandam identitatem vel unitatem arguit. De Israelitis nequiter incredulis et immorigeris in Psalmo dicitur: *Tentaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum;* id sic exprimit Esaias: *Ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt Spiritum Sanctum ejus.* Ananiam insimulat S. Petrus, quod Spiritui Sancto mentitus esset, ac inde quod Deo; *Ananias,* inquit, *cur tentavit Sathanas*

Ps. lxxviii. 56.
Isa. lxiii. 10. vi. 9.
Act. xxviii. 25.
Vide 1 Cor. xii. 4.
Act. v. 3, 4.

cor tuum mentiri Spiritui Sancto? mox autem subjicit, *Non mentitus es hominibus, sed Deo;* plane, nominibus illis eandem rem designat; plusquam innuit idem esse mentiri Spiritui Sancto, atque mentiri Deo. Servator noster, ut homo, conceptus est a Spiritu Sancto, proptereaque Dei natus fuit: *Spiritus Sanctus* (inquit angelus ille) *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod et nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei;* quomodo constabit aut consequetur id, nisi Spiritus Sanctus sit Deus? Dominus etiam noster cum Dei, tum Spiritus Sancti virtute miracula perpetrasse narratur; *Si ego* (apud Matthæum ait ipse) *in Spiritu Dei ejicio dæmones;* apud Lucam vero, *Si ego digito Dei* (hoc est, Dei potentia) *ejicio dæmonia.* Eadem in Actis Petrus Deum fecisse dicit. Utramque phrasin æquipollenter effert S. Paulus per δυνάμει πνεύματος ἁγίου. Scriptura Sancta, quoniam a Spiritu Sancto dictata, θεόπνευστος dicitur. *Dixit in prophetis Spiritus,* ait B. Petrus, et idem alii passim; *Dixit in iisdem Deus,* ait Apostolus ad Hebræos, et itidem alii, toties, quoties S. pagina Dei Verbum appellatur. Spiritus Sanctus in cordibus nostris charitatem diffundit, et operatur; ideo θεοδίδακτοι dicimur ad nos mutuo diligendum: quin omnis virtus idcirco promiscue Deo Spirituique Sancto tanquam immediatis authoribus ascribitur: πνεύματι Θεοῦ ἄγεσθαι, et ὁ Θεός ἐστιν ἐνεργῶν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, idem denotant. Unusquisque porro fidelis Christianus ideo *templum* (hoc est, locus Deo sacratus) vocitatur, quatenus ei Spiritus Sanctus speciali modo præsens est: Οὐκ οἴδατε, ὅτι ναὸς Θεοῦ ἐστε, καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν; (inquit Paulus;) *Annon scitis vos esse Dei sacrarium?* unde scitis? inde, quod Dei Spiritus vos incolit; quoniam

Luc. i. 35. Matt. xii. 28. Luc. xi. 20. Act. ii. 22. Rom. xv. 19. 2 Tim. iii. 16. 1 Pet. i. 11. Heb. i. 1. 2 Pet. i. 21, &c. Luc. i. 70. 1 Thess. iv. 8, 9. Rom. viii. 14. Phil. ii. 13. 1 Cor. iii. 16, 17. vi. 19. 2 Cor. vi. 16. Rom. viii. 9.

utique divini Spiritus inhabitatio nil aliud est quam inhabitatio Dei. Rursus idem Apostolus, ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς
Ephes. ii. 22. συνοικοδομεῖσθε εἰς κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν πνεύματι· *ad habitaculum Dei in Spiritu;* hoc est, eatenus habitaculum Dei, quatenus Spiritus Sanctus in vobis habitat. Quomodo disertius aut penitius Spiritûs Sancti divinitas enunciari poterat? Accedit, quod expresse
2 Cor. iii. 17. et v. 3. S. Paulus Spiritum Sanctum appellat Dominum; Ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστι· τὸ πνεῦμα verbis immediate subsequentibus τὸ πνεῦμα Κυρίου dicitur; (quod et prius in eodem capite τὸ πνεῦμα Θεοῦ ζῶντος, uti Chrysostomus adnotat;) itaque Domini Spiritus et ipse Dominus est, ad quem Judæi, dempto velamine mentes eorum
1 John v. 7. obtegente, revertentur. Demum S. Johannes Patrem, Filium, et Sp. Sanctum unum esse testatur; adeoque Spiritus Sanctus est Deus, utrique coëssentialis.

Exhinc corollarii loco, Macedonianorum retunditur
Dial. in Maced. apud S. Athan. importunitas, nihil aliud fere, quam ubinam Spiritus Sanctus in sacris literis exerte Deus appellatur, scisciantium. Ubi Deus appellatur, ais? Ubi non? inquam ego: siquidem cum passim in eodem diplomate, vel in eadem historia, Cæsari et Imperatori eadem dicta, facta, gesta memorentur, recte pronunciari possit, quod ibidem Cæsar appellatur imperator; id quod nemo, reor, inficias ibit.

2. Spiritui Sancto expressissime tribuuntur omnigenæ Dei perfectiones incommunicabiles, divinæ naturæ characteres et idiomata. Ipsum imprimis *Sancti* (absolute, αὐτονομαστικῶς, characteristice positum) epitheton huc pertinet: siquidem, (ut in Annæ
1 Sam. ii. 2. hymno habetur,) *Non est sanctus ut est Dominus, neque enim est alius extra te*—non est alius nempe præter Deum absolute perfecteque sanctus, (hoc est, a rebus omnibus intervallo quam longissimo segrega-

tus, procul exaltatus supra omnia, peculiariter venerabilis et augustus) unde *Sanctus ille*, Ὁ ἅγιος, Dei nomen est plane διακριτικόν· imo Spiritus ipsius nomen (itidem absolute, et eminenter positum) adeoque summam puritatem et perfectissimam (ut cum barbaris loquar) actualitatem signans, idem innuere videtur: quin etiam æternitas, immensitas, omniscientia, omnipotentia (quibus utique nullæ concipi possunt excelsiores, aut Deo magis propriæ perfectiones) Spiritui Sancto tribuuntur. Æternitas; nam αἰώνιον πνεῦμα dicitur Apostolo ad Hebræos; *Quanto magis* (inquit ille) *sanguis Christi, qui per Spiritum Æternum*[a] *semetipsum obtulit immaculatum Deo?* Heb. ix. 14.

Immensitas; *Quo* (inquit Psalmographus) *ibo a Spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?* quæstio negationem involvit, ejusque manifestam innuit rationem: a Spiritu tuo fugere non est, quoniam is ubique præsens est. Omniscientia; *Spiritus* (inquit B. Paulus) *omnia perscrutatur* (id est, omnia, perfecte, funditusque comprehendit,) *etiam profunda Dei*, καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ, hoc est, omnia, nulla re exclusa; nam si τὰ βάθη, tum omnia proculdubio, quæ Deus novit, adeoque quæ sciri possunt, intelligit; illa nempe, quæ comprehendere tam creaturæ sortem longe superat, quam unius hominis captum transgreditur alterius hominis cogitationes affectusque persentiscere, (nam hujusmodi comparationem instituit S. Paulus): quod et e Servatoris dicto confirmatur; Οὐδεὶς γινώσκει τίς ἐστιν ὁ υἱὸς, εἰ μὴ ὁ Πατήρ· καὶ τίς ἐστιν ὁ Πατὴρ, εἰ μὴ ὁ υἱός· atqui Spiritus Sanctus quis Pater, et quis Filius, proculdubio norat: ergo, Spiritus Sanctus Patri Filioque coëssentialis est. Speciatim Spiritui Sancto tribuitur præscientia futurorum, quæ contingenter Ps. cxxxix. 7. 1 Cor. ii. 10, 11. Luc. x. 22.

[a] Vulg. *Sanctum.*

eveniunt, (qualis scientia præ reliquis ardua, Deoque summopere propria est, ac inde vulgo divinatio nuncupatur,) quæ peculiariter Spiritui Sancto velut ejus immediato principio appropriatur; unde Spiritus prophetiæ (vel propheticus), Spiritus revelationis, Spiritus sapientiæ, Spiritus veritatis audit. His accenseri possunt et alia non minus divina Spiritus Sancti attributa; velut Independentia quoad voluntatem et operationem; nam, *hæc omnia* (gratiarum scilicet istarum eximiarum productionem; donorum istorum mirabilium distributionem) *operatur unus ac idem Spiritus, dividens singulis prout vult*, ait S. Paulus. Uti *ventus ubicunque vult spirat*, nec a quoquam determinari potest, aut inhiberi, ita (quod Dominus noster in Evangelio Johannis insinuat) Sanctus Spiritus pro jure suo ac arbitrio quicquid vult operatur. Bonitas absoluta; quæ soli Deo convenit (nam *bonus nemo, præterquam unus, Deus ipse*): atqui *Spiritus tuus bonus: deduc me in terram rectam* (ait Psaltes.) Veracitas absolutissima, (quæ et scientiam perfectam et bonitatem extremam implicat,) qualem innuit ei assignata veritatis abstractæ titulus: *Spiritus est qui testificatur* (ait S. Johannes) *quoniam Spiritus*[b] *est veritas*, hoc est absolutissime perfectissimeque verax. Demum omnipotentia Spiritui Sancto congruit, ut ex ejus operibus constat, quæ mox sequenti proponemus argumento:

Eph. iii. 5. i. 17. Rev. xix. 10. Joh. xv. 26. 1 Cor. xii. 11. Joh. iii. 8. Matt. xix. 17. Ps. cxliii. 10. Neh. ix. 20. 1 Joh. v. 6.

Nam, tertio, Operationes divinissimæ (creatæ cujuscunque rei potestatem transcendentes) adscribuntur Spiritui Sancto, quales sunt res creare: nam, informi massæ Spiritus incubans mundum enixus est: *Spiritus Dei cœlos ornavit*, inquit B. Job: *Verbo Domini* (canit Psaltes) *cœli formati sunt, et Spiritu*

Gen. i. 1. Job. xxvi. 13. Ps. xxxiii. 6.

[b] Vulg. *Christus.*

oris ejus omnis virtus eorum: qui vero res omnes condidit, Deus est, (ὁ δὲ πάντα κατασκευάσας, Θεὸς,) infert Apostolus ad Hebræos. Res conservare: *Emittes Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ* (de rerum continua productione seu conservatione significatur.) Homines speciatim cum primitus, tum continuo producere: nam a Dei Spiritu promanavit anima protoplasti; deque seipso profitetur ille bonus Elihu, *Spiritus Dei fecit me, et spiraculum Omnipotentis vivificavit me.* Sed et (quod aliquanto majus et difficilius æstimetur merito) homines denuo creare, vel deformatos ad imaginem Dei renovare (hominis quodammodo demortui spiritum vivificando, cæcam illustrando mentem, perversos affectus reformando); [q]quæ effecta dare prout Deo, sic et Spiritui Sancto passim attribuitur. Sed et huic adnexum justificare, vel peccata condonare (non ministerialiter, sed, quod soli Deo convenit, principaliter et absolute) nam, *sed justificati estis* (inquit S. Paulus) *in nomine Domini Jesu, et in Spiritu Dei nostri.* Ecclesiam influxu suo velut animare; suo nutu temperare, leges ei præscribere, rectores ei præficere; quin et ei extruendæ, propagandæ, conservandæque proficua quæque charismata dispensare (quæ sane divinæ potestatis omnino propria, præcipuaque sunt opera.) Miracula (hoc est, opera naturæ legibus adversa vel superiora, Deoque proinde soli congrua) peragere; quæ nempe peculariter attribuuntur Spiritui Sancto; in his quod palmam obtinet, resuscitare corpora mortuorum: ὁ ἐγείρας τὸν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν, ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν, inquit S. Paulus. Nullum est denique seu naturæ, seu providentiæ, seu gratiæ tam sublime, tam

Heb. iii. 4. Ps. civ. 30. Job. xxxiii. 4. Eph. iv. 24. ii. 10. 2 Cor. iv. 6. v. 17. Coloss. iii. 10. Tit. iii. 5. Luc. v. 21. 1 Cor. vi. 11. Rom. viii. 2. Tit. iii. 5. 1 Cor. 12. 13. Act. 20. 28. Comparetur. Eph. iv. 11. 1 Cor. xii. Heb. ii. 4. Rom. viii. 11.

[q] Ἡ κτίσις οὐχ ἁγιάζει κτίσιν. Basil.

arduum opus, quale non adscribitur efficaciæ Spiritus Sancti, quod potestatem ejus αὐτοκρατορικὴν, potentiam παντοκρατορικὴν demonstrat: nullis certe luculentioribus argumentis demonstrari potest ipsa summi Numinis omnipotentia.

4. Exinde porro Spiritui Sancto divina majestas asseritur, quod ipsi rectissime divinus cultus exhibetur. Exhibetur is ex præscripto Dei, quando solemniter in ejus nomen baptizati [r], fidem in eum spemque nostram defigere profitemur, ei cultum protestamur et obsequium. Idem præstatur, cum ad Paulinæ benedictionis normam una cum Domini
2 Cor. xiii. 14. Jesu gratia, Deique Patris charitate, Sancti Spiritus imploratur communicatio [s]. Idem non obscure significatur, ubicunque (quod haud raro fit) divinorum in officiorum et operum (tam eximiorum ac admirabilium) executione Patri Filioque conjunctus et coordinatus reperitur. Etenim hoc a Deo zelotypo,
Es. xlii. 8. xlviii. 11. suique honoris admodum curioso (qui *gloriam suam alteri se neutiquam communicaturum* profitetur haud semel), creaturæ cuiquam concessum esse, ut pari quasi passu secum ambulet, parile dignitatis ad culmen evehi videatur, haudquaquam credibile vel ulli rationi consonum est. Adhæc, quanta Spiritui Sancto dignitas competit, qualis ei reverentia debetur, exinde liquido perspicitur, quod in eum prolatæ blasphemiæ singulatim abjudicatur venia; cujus impetrationem in Deum Patrem admissa facinora, nec non Christo Dei Filio intentata obloquia minime re-

[r] Ποίᾳ γὰρ κοινωνίᾳ τῷ κτίσματι πρὸς κτίστην; διά τι τὸ πεποιημένον συναριθμεῖται τῷ ποιήσαντι εἰς τὴν τῶν πάντων τελείωσιν; Ath. Or. III. contr. Ar.

[s] Ἀσεβὲς οὖν ἐστι λέγειν κτιστὸν ἢ ποιητὸν τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, ὁπότε πᾶσα γραφὴ παλαιάτε καὶ καινὴ μετὰ πατρὸς καὶ υἱοῦ συναριθμεῖ αὐτὸ καὶ δοξάζει. Ath. περὶ ἐνσάρκου ἐπιφ. p. 600. t. I.

spuunt; nec enim rei natura fert, ut creaturæ quicquam detrahere tam capitale sit, aut tantam aggrationem capiat; ut et vix concipi potest creaturæ honorem divino sic anteferri[t].

5. Accedit his quod cum Christus, etiam ut homo supra res omnes (*ὑπὲρ πὰν ὄνομα, ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς,* Phil. ii. 9. *καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως,* ut Apostolus nos docet) elevetur ac emineat, nihilominus ille eatenus Spiritui Sancto subjacet, atque cedit: nam, ut talis, a Spiritu Sancto naturam suam accepit (*τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου,* inquit evangelista): verum, *πλείονα* Matt. i. 20. *τιμὴν ἔχει τοῦ οἴκου ὁ κατασκευάσας αὐτὸν, ædem dignitate* Heb. iii. 3. *superat, qui illam extruxit,* inquit Apostolus ad Hebræos. A Spiritu Sancto missus est Christus: *Dominus* (de eo prædixit propheta) *misit me, et* Isa. xlviii. 16. *Spiritus ejus:* atqui, *non est servus major Domino* Joh. xiii. 16. *suo, nec Apostolus major est eo, qui misit illum; non est major,* ait Dominus, *κατὰ λιτότητα,* hoc est, inferior est mittente qui mittitur. A Spiritu Sancto consecratus est Christus, et inauguratus officiis suis: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me,* (de Luc. iv. 18. Christo prædixit Esaias, interpretantibus evangelistis;) sed *absque controversia τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττ-* Is. lxi. 1. *τονος εὐλογεῖται,* subdit author Epistolæ ad Hebræos. Heb. vii. 7. A Spiritu Sancto Christus ubertim et præter mensuram eximiis dotibus ornatus est; at *beatius esse* Joh. iii. 34. Luc. iv. 1. ii. 40, 52. *dare quam accipere,* ex ore Domini prolatum est Act. xx. 35. axioma. Spiritus denique Sancti virtute Christus Matt. xii. 28. miracula patravit; per Spiritum Æternum se obtulit Heb. ix. 14. Deo immaculatum; Spiritu resuscitatus est a mor- Rom. i. 4. viii. 11. tuis; quæ certe non obscura sunt argumenta Spi-

[t] Quomodo inter creaturas audet quisquam Spiritum Sanctum computare? aut quis sic se obligat, ut si creaturæ derogaverit, non putet sibi hoc aliqua venia relaxandum? *Ambr.*

ritum Sanctum Christo, ut homini, præcellere. Quare cum extra Deum unum nihil Christo, etiam ut homine, præstantius aut superius sit, necessario consectatur Spiritum Sanctum esse Deum.

6. Addo, Cum rerum creatarum, variis ex occasionibus, ordines et classes percenseantur (ut cum ad Dei laudes concinnendas ipsarum universus chorus advocatur; angeli nominatim, cœli, terræ, homines, bestiæ, plantæ citantur; quando census initur rerum a Christo conditarum ipsique subditarum, quas inter angeli, throni, dominationes, potestates, virtutes memorantur;) mirum sit hunc creaturarum (modo creatura sit) apicem, hunc ipsarum præcentorem et choregum omnino prætermitti: verisimile sit, id si prophetæ scissent, aut sensissent apostoli, tacituros non fuisse; quod certe si fecissent, scrupulos hos tantos erroresque nobis exemissent; verum non erat quod facerent, cum revera Spiritus Sanctus in creatarum rerum censu non sit; id quod jam satis astruxisse videmur, adeoque thesis nostræ tertiam partem comprobasse.

Ps. ciii. 20—22. cxlviii. 1 Pet. iii. 22. Col. i. 16. Eph. i. 21. Rom. viii. 38.

Præmissis autem omnibus haud leve momentum accedit a tot sanctorum Patrum doctrina, tot conciliorum auctoritate, totiusque ecclesiæ tot per secula decurrente consensu; quibus (absque causis admodum sonticis) obnunciare, tam a prudentia recedit quam a modestia procul elongatur. Notiora vero sunt illa et magis apud adversarios confessa, quam ut opus sit iis immorari.

Superest, ut quam paucissimis ultimam theseos partem (quæ Spiritus Sancti originem spectat) comprobatam demus; nempe Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere.

Quod Spiritus Sanctus a se non est, uti Pater, per-

spicuum est; quoniam isto posito, duo forent prima principia, et plures adeo Dei, unde οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ λαλήσει. Quod a Patre procedit, constat ex eo quod Pater omnis essentiæ fons est; etiam hoc apud omnes in confesso est; item a Christo signanter Spiritus Sanctus παρὰ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, *egredi*, vel *emanare* dicitur *a Patre*; et τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ vocatur a S. Paulo. Quod a Filio quoque procedit, colligitur,

Joh. xvi. 13. Novat. c. 31. Joh. xv. 26. 1 Cor. ii. 12. Matt. x. 20.

Primo, Quod sicuti Patris, ita et Filii Spiritus sæpe nuncupatur; quod eum pariter ad Filium ac ad Patrem referri significat; utrumque proinde similiter ad ejus productionem conspirare.

Gal. iv. 6. Rom. viii. 9. 1 Pet. i. 11. Phil. i. 19.

Secundo, Prout a Patre, sic etiam a Filio mitti dicitur: missio vero et ἐκπόρευσις haud differunt (nisi loquendi saltem modo; quatenus missio denotat originis terminum, ἐκπόρευσις ejusdem actum vel effectum designat:) nec aliter Spiritui Sancto, (qui Deus est, ut ostensum,) mitti vel egredi convenit, quam per essentiæ communicationem.

Joh. xv. 26. xvi. 7. Luc. xxiv. 49.

Tertio, De Spiritu Sancto dicit Filius ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, *de meo accipiet et annunciabit vobis*; cui coincidit, ὅσα ἂν ἀκούσῃ λαλήσει, quibus innuitur Spiritum Sanctum a Filio scientiam accipere, quod aliter non potest (cum Deus sit), quam ab eodem essentiam suam accipiendo.

Joh. xvi. 13, 14.

Quarto, Spiritus Sanctus est Persona ordine tertia; cum itaque Filius ordine prior (ordine dico, non tempore) divinam essentiam obtineat; hæc adeo, cum emanet Spiritus Sanctus, Filio simul ac Patri communis sit; a Patre seorsum essentiam recipere non potest, quin eandem simul a Filio derivet: quomodo Christus ipse videtur argumentatus; ubi

Joh. xvi. 15. xvii. 10. ait, *Omnia quæ Pater habet, mea sunt; ideo dixi, quod ex meo accipiet.*

Quinto, Hanc demum a se Spiritus Sancti processionem significasse videtur Christus, quum discipulis insufflans Spiritum Sanctum communicaret; ut quidem Augustinus et Cyrillus arbitrantur.

Joh. xx. 22.

Accedit Latinorum Patrum Hilarii, Ambrosii [u], Augustini, et reliquorum consentiens authoritas, hoc explicite docentium.

Sed et antiquiores Græci, Athanasius, Basilius, uterque Gregorius, Epiphanius, Cyrillus Alexandrinus, idem (etsi rarius adeo diserte, sæpe tamen æquipollenter, et quoad sensum) tradunt.

Itaque theseos partibus cunctis utcunque comprobatis concludo:

Spiritum Sanctum esse Personam distinctam, Patri Filioque coëssentialem, et ab utroque procedentem.

Ἀκούεις γέννησιν, τὸ πῶς μὴ περιεργάζου· ἀκούεις τὸ προιὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς, τὸ πῶς μὴ πολυπραγμόνει. Naz. Or. XXIX.

[u] Deus Pater coæternum sibi et coomnipotens genuit Verbum, cum quo Spiritum Sanctum produxit. *Ambr. in Symb.*

DE REGIMINE EPISCOPALI.

Rejectio regiminis episcopalis, ubi habentur orthodoxi et legitimi episcopi, facit proprie schisma mortale.

IN hanc thesin imprimis nonnulla strictim adnotabimus, tum illam argumentis quibusdam adstruemus.

Episcopale regimen quid designet, unicuique perspectum autumo, quatenus illud ab aliis ecclesiæ administrandæ formis, χθὲς καὶ πρώην introductis, distinguitur; illud nempe regimen, penes quod, in districtu quopiam ecclesiastico, singularis unus (ad id rite vocatus, delectus, approbatus et consecratus) toti cœtui, totique clero præficitur, ceu[x] pastor et inspector supremus, in sacris quibuscunque rebus dispensandis et ordinandis, πρεσβεῖα quædam obtinens et peculiaria munia sibi reservata, sacros ordines conferendi, baptizatos confirmandi, jurisdictionem exercendi; quale S. Cyprianus innuit et utcunque describit, quum affirmat "singulis pastoribus "portionem gregis adscriptam esse, quam regat "unusquisque et gubernet, rationem sui actus Do- "mino redditurus;" et quod "inde" (nimirum a Dominica dispositione) "per temporum et succes- "sionum vices episcoporum ordinatio et ecclesiæ "ratio decurrit, ut ecclesia super episcopos consti- "tuatur, et omnis actus ecclesiæ per eosdem præpo- "sitos gubernetur;" quale denuo regimen ante plu-

Cypr. Ep. 55.

Cypr. Ep. 27.

[x] Cui ἐγκρίτως παρὰ τὰς λοιπὰς τάξεις εἰς αὐτουργίαν ὁ θεῖος θεσμὸς ἀπενεύμηκε τὰς θειοτέρας ἱερουργίας. Dion. Hier. c. 5.

rima secula per universum orbem Christianum invaluisse neminem latet.

Hujusmodi regimini variis modis obrogari potest; veluti primo, Cum episcopo potestatem exerenti ejus subditi obsequium detrectant; de quo S. Cyprianus,

Cypr. Ep. 55. " Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata " sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non " obtemperatur, nec unus in ecclesia, ad tempus sa- " cerdos, et ad tempus judex, vice Christi cogitatur."

Secundo, Cum nonnulli, (quibuscunque de causis, aut quocunque prætextu) se ab episcoporum suorum communione (adeoque penitus ab imperio) subducunt atque segregant; id quod olim Novatiani, Donatistæ, Melitiani, Luciferiani schismatici fecere, nec non hæretici plerique catholicorum episcoporum consortium declinantes; quo et illud S. Cypriani referatur, " Qui plantatus non ést in præceptis Dei Pa-

Cypr. Ep. 49. " tris et monitis, solus poterit de ecclesia ille dis- " cedere, solus episcopis derelictis cum schismaticis " et hæreticis in furore remanere."

Tertio, Cum talis regiminis ipsa species abdicatur, alia quaquam ecclesiæ regendæ forma subrogata; quod utique vix usquam priscis temporibus attentatum, apud nos saltem nuper factum meministis: Et hic quidem, opinor, episcopale regimen rejiciendi modus in thesi potissimum innuitur.

Schisma proprie divisionem significat, ast inde μετωνυμικῶς peccatum, aut vitium, divisionis in ecclesia causam, designat; quod scilicet admittit, qui-

Joh. xvii. 20, 21. xv. 12. xiv. 27. Mark ix. 50. cunque (contra voluntatem Domini, suos inter discipulos omnes unitatem, charitatem, pacem instituentis) animo turbulento, vel utcunque pravis affectibus occupato, ecclesiæ membra, unitate soluta, a se disjungit, pacem infringit, ordinem conturbat, dissidia,

factiones, scandala charitati adversa creando, vel fovendo. Scilicet hoc diversimode committi potest:

In particulari quapiam ecclesìa contentiones, factiones, turbas, animorum divortia concitando; [y] quomodo factum apud Corinthios, cum S. Paulus dixit, Ἀκούω σχίσματα ἐν ὑμῖν ὑπάρχειν· cum et S. Clemens iisdem improperat μιαρὰν καὶ ἀνόσιον στάσιν, ἣν ὀλίγα πρόσωπα προπετῆ καὶ αὐθάδη—ἐξέκαυσαν. 1 Cor. xi. 18. i. 10. iii. 4. Clem. ad Cor. p. 2.

Etiam committitur, utcunque peregrina perversaque dogmata rectæ fidei vel probis moribus adversa serendo, indeque scandala pariendo, cogendoque sectas ab orthodoxa ecclesia devias; de quo cum alias sæpe S. Paulus, tum in illo ad Romanos loco signanter effatur; Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, σκοπεῖν τοὺς τὰς διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε ποιοῦντας· καὶ ἐκκλίνατε ἀπ' αὐτῶν. Heb. xiii. 9. Eph. iv. 14. 1 Tim. i. 3. vi. 3. iv. 1. 2 Tim. ii. 18. Tit. i. 11. Rom. xvi. 17.

Etiam perpetratur ab illis, qui sibimet arripiunt potestatem indebitam et inordinatam (ecclesiarum legibus aut moribus adversam) functiones ecclesiasticas obeundi, concionandi præsertim, aut populum docendi; quales illi pseudapostoli, ἐργάται δόλιοι, μετασχηματιζόμενοι εἰς ἀποστόλους Χριστοῦ· illi viri λαλοῦντες διεστραμμένα τοῦ ἀποσπᾶν τοὺς μαθητὰς ὀπίσω αὐτῶν· illi ἐνδύνοντες εἰς τὰς οἰκίας, καὶ αἰχμαλωτεύοντες τὰ γυναικάρια· illi θέλοντες εἶναι νομοδιδάσκαλοι· illi ἐξ ἐριθείας τὸν Χριστὸν καταγγέλλοντες. 2 Cor. xi. 13, 15. Act. xx. 30. 2 Tim. iii. 6. 1 Tim. i. 7. Phil. i. 16.

Item ab illis fit, qui pastoribus immorigeri sunt, aut ipsos repudiant; quales illi ἀνυπότακτοι, γογγυσταὶ, αὐθάδεις, τολμηταὶ, δόξας βλασφημοῦντες, quos apostoli perstringunt; illi ἀτάκτως περιπατοῦντες, qui S. Pauli dictata respuerunt; iste ambitiosus Diotrephes, qui S. Johannem non admisit. Tit. i. 10. 2 Pet. ii. 10. Jud. 8, 16. 2 Thess. iii. 6, 14. 3 Joh. 9.

[y] "Fraternitatis bene sibi cohærentis, et se invicem diligentis "concordiam scindendo," ut Cyprianus loquitur. *Ep.* 49.

Itidem patratur ab illis, qui sine justa vel necessaria causa ab ecclesiæ cujuscunque fidelis communione secedunt, aut separando se dirimunt; de qua-
Jud. 19. libus Judas apostolus, Οὗτοί εἰσιν οἱ ἀποδιορίζοντες· et S.
Cypr. Ep. 55. Cyprianus, "Sibi extra ecclesiam et contra ecclesiam
" constituunt conventiculum perditæ factionis."

Joh. xvii. 21, 22. Denique cum Patrem Dominus obtestatus fuerit, ut ejus discipuli πάντες ἓν ὦσι, in hoc gravissime impingunt, qui corporis Christi compagem luxant, dum
Tertull. de Præscr. p. 20. ejus membra præcipua, diversas ecclesias, a se divellunt, amicæ pacis inter illas, communionis sanctæ, commercii hospitalis, fraternæque charitatis vincula utcunque dissolvendo; quod fit cum una ecclesia aliam acerbe taxat, aut temere damnat, aut inique a communione repellit; cum una alterius jura vel privilegia invadit, in alteram indebitum imperium usurpat, aut tyrannicam dominationem exercet; cum una quæpiam ecclesiasticæ dispensationis modum quemcunque generali consensu a confœderatis pastoribus, εὐταξίας aut concordiæ gratia, lege sancitum, vel usu firmatum, (nulla cogente necessitate, vel gravi ratione suadente) violat.

Ex his schismatis faciendi modis cum omnes ferme, vel certe plusculos incurrere videantur hi plerique, qui episcopale regimen abrogant, illi saltem intelliguntur, qui singulis ipsorum molitionibus apposite quadrant.

Subditur autem epitheton *mortali;* quo nempe delicti gravitas insinuatur; cujus qui reatum incurrit, penes divinum judicium æternæ morti sese reddit obnoxium, inde non nisi seria pœnitentia et emendatione congrua absolvendus.

Ita præcipuos thesis absolute sumptæ terminos exposuimus. At ne forte casus speciales ejus veritati

subinde derogent, duæ merito inseruntur exceptiones: prima est, *Ubi habentur orthodoxi episcopi;* recte hoc; nam episcoporum heterodoxorum nedum regimen, at communionem ipsam rejicere fas est, imo officii est, e sacræ scripturæ, Patrum, ecclesiasticæ praxis authoritate:

Nam quilibet hæreticus, aut ἑτεροδιδασκαλῶν (etiam episcopus, imo forte magis episcopus, ut criminosior et periculosior) repudiandus, declinandus, et derelinquendus est; ab hoc *στέλλεσθαι, ἀφίστασθαι, ἐκκλίνειν,* hunc *παραιτεῖσθαι* jubemur. Etiam apóstolo, imo angelo cœlesti (quanto magis apostoli vicario, vel angelo terrestri), aliam ab evangelio doctrinam annuncianti, execratio intentanda est.

2 Thess. iii. 6. 1 Tim. vi. 3, 5. Rom. xvi. 17. 2 Joh. 10. Tit. iii. 10. Gal. i. 8.

Consonant his Patres; Cyprianus, "Plebs obse-
" quens præceptis Dominicis, et Deum metuens, a
" peccatore præposito separare se debet," (peccatore, id est, fidei desertore). Item, "Nec," inquit, "sibi
" plebs blandiatur, quasi immunis esse a contagio
" delicti possit, cum sacerdote peccatore communi-
" cans." Idem alibi, "Quomodo possunt integritati
" et continentiæ præesse, si ex ipsis incipiant cor-
" ruptelæ et vitiorum magisteria procedere?"

Cypr. Ep. 68. Cypr. Ep. 62.

Chrysostomus, Ἀξίωμα *προσώπων οὐ προσίεται, ὅταν περὶ ἀληθείας ὁ λόγος ᾖ.* Item, *εἰ μὲν γὰρ δόγμα ἔχει διεστραμμένον, κἂν ἄγγελος ᾖ, μὴ πείθου.*

Chrys. in Gal. i. 9. in 2 Tim. Orat. 2.

Ambrosius, "Si qua est ecclesia" (quanto magis, siquis episcopus) "quæ fidem respuat, nec apostolicæ
" prædicationis fundamenta possideat, ne quam la
" bem perfidiæ possit aspergere, deserenda est."

Ambr. in Luc. ix. p. 85.

Augustinus, "Nec catholicis episcopis consentien-
" dum est, sicubi forte falluntur, ut contra canonicas
" Dei scripturas aliquid sentiant;" quanto magis hæreticis episcopis obnunciandum est?

Aug. de Unit. Eccl. cap. 10.

Itaque P. Celestinus I. populum Constantinopolitanum, a Nestorio falsa dogmata propinante secedentem, ita laudavit, Μακάριος δὲ ὅμως ἡ ἀγέλη, ἧ παρ-
Act. Conc. Eph. p. 359.
Act. p. 220. ἔσχεν ὁ Κύριος κρίνειν περὶ τῆς ἰδίας νομῆς. Et in Ephesino concilio probantur presbyteri, qui eundem Nestorium ἤλεγξαν, et τῆς αὐτοῦ κοινωνίας αὐτὸν ἐξέβαλον. Et in eodem admittitur illud Charisii presbyteri effatum
Act. Eph. p. 358. perquam notabile; Εὐχὴ μὲν ἅπασι τοῖς εὐφρονοῦσι τιμὴν αἰεὶ καὶ πρέπουσαν αἰδῶ πνευματικοῖς μάλιστα πατράσι καὶ διδασκάλοις ἀπονέμειν· εἰ δέ που συμβῇ τοὺς διδάσκειν ὀφείλοντας τοιαῦτα τοῖς ὑπηκόοις ἐνηχεῖν περὶ τῆς πίστεως, οἷα τὰς ἁπάντων ἀκοὰς καὶ καρδίας καταβλάπτει, ἀνάγκη τὴν τάξιν ἀνταλλάττεσθαι, καὶ τοὺς κακῶς διδάσκειν ἑλομένους ὑπὸ τῶν ἡσσόνων διελέγχεσθαι.

Hinc octava, quæ dicitur, synodus papæ Honorio
Syn. VIII. Act. 8. p. 963. ab orientalibus anathema recte dictum asserit, ὅτι ἐπὶ αἱρέσει κατηγορήθη, δι' ἣν καὶ μόνον ἔξεστι τοὺς ἀποδεεστέρους τῶν μειζόνων κατεξανίστασθαι.

P. Nicol. I. Ep. 8. p. 506. Ipse, ne plura congeram, P. Nicolaus I. "Fides "universalis, et omnium communis est, quæ non so- "lum ad clericos, verum etiam ad laicos, et ad om- "nes omnino pertinet;" itaque procul habendi sunt, qui fidem, rem maxime nostram, ablatum eunt.

Neque mirum hæc dici, cum revera qui a sana fide deflectit, non amplius episcopus, quippe nec
Tit. iii. 11. Christianus sit; nam ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, inquit S.
Tert. de Præscr. c. 27. Paulus; et juxta Tertullianum, "Si hæretici sunt, "Christiani esse non possunt;" illudque Cypriani,
Cypr. de Un. Eccl. "Nec Christianus videri potest, qui non permanet "in evangelii ejus et fidei veritate."

Porro subditur et altera exceptio, *Ubi habentur episcopi legitimi;* hoc est, qui cum rite consecrantur,
Cyp. de Un. Eccl. p. 256. tum jure populo suo præficiuntur; Nam "qui" (quales S. Cyprianus hisce verbis perstringit) "se ultro apud

" temerarios convenas sine divina dispositone præfi-
" ciunt, qui se præpositos sine ulla ordinationis lege
" constituunt, qui nemine episcopatum dante epi-
" scopi sibi nomen assumunt;" vel "qui" (ut apud S. Augustinum nonnulli) "turbide atque inordinate
" in eos coercendos insiliunt, qui nulla sibi lege
" subjecti sunt;" Qui (inquam) inordinate (præter Dei voluntatem et ecclesiæ instituta) munus sacrum invadunt, aut regiminis clavum arripiunt, hi jure rejici possunt; quin et merito debent, ne ipsorum vel sacrilega præsumptio vel arrogans injuria comprobari videantur: etenim πῶς κηρύξωσιν, ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι; *Nec quisquam sibi sumit hunc honorem, nisi qui vocatur a Deo, tanquam Aaron; Qui non introit per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille* (non pastor ovium, sed) *fur est et latro; Non mittebam prophetas, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant;* ita nempe tales sacræ functionis aggressores divina proscribunt oracula: tales scilicet in ecclesia Romana Novatianus, in Carthaginensi Majorinus, in Alexandrina Gregorius et Georgius (Athanasii æmuli); et universim, quos antiqui Patres ecclesiarum adulteros prædonesque vocitarunt, qui veris extrusis episcopis ecclesias occuparunt, aut in segreges cœtus genuinis pastoribus abductos (adscita spuria quapiam ordinatione) potestatis umbram exercuerunt; quales episcoporum neutiquam habendos loco ita graviter monet S. Cyprianus;
" Nec episcopus computari potest, qui, evangelica et
" apostolica traditione contempta, nemini succedens
" a seipso ortus est;" et, "Qui nec unitatem Spiritus,
" nec conjunctionem pacis observat, et se ab ecclesiæ
" vinculo, atque a sacerdotum collegio separat, epi-
" scopi nec potestatem potest habere, nec honorem."

Jure culpandi sunt qui, &c. Aug. de Unit. Eccl. cap. 17. Cypr. Ep. 73. p. 181.

Rom. x. 15. Heb. v. 4. Joh. x. 1— Jer. xxiii. 21.

Cypr. Ep. 76. p. 208.

Cypr. Ep. 52. p. 97.

Hisce quoad expositionem prælibatis, thesi jam comprobandæ nos accingemus. Hoc autem imprimis nimis quam manifestum sumimus, illos qui episcopale regimen abjiciunt, de facto saltem ecclesiæ (cujus usitatam praxin deserunt) unitatem atque concordiam infringere, veterisque disciplinæ tenacibus offensionem ministrare, novam suam quamcunque, tot seculorum præscriptioni adversam, regiminis formam invehendo; illud proinde si jure factum excusare non valent, si justas aut necessarias tanti moliminis causas assignare nequeunt, quinimo si res ipsa per se culpabilis sit, ne schismatis rei sint, effugere non poterunt.

Quod autem res a culpa non sit immunis, his elucebit argumentis.

I. Nefas est divinum institutum (vel apostolicam in grandis momenti re constitutionem) abolere. Nam
Cypr. Ep. 40. et 68. " adulterum est" (ut S. Cyprianus exclamat,) "impium est, sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur;" atqui tale fore regimen episcopale, cum a pluribus doctissimis viris luculente fuseque demonstratum sit, tum hæc jam transcursim perstringenda suadent.

1. Id sacra scriptura docet.

1 Cor. xii. 28. Eph. iv. 11. Act. xx. 28. Hier. Ep. 85. ad Evag. Rectores enim hæc asserit a Deo constitutos, et a Spiritu Sancto ecclesiæ præpositos, quos passim ἐπισκόπους, *inspectores*, vel *superintendentes*, ut S. Hieronymus vertit, προεστῶτας, *antistites*, aut *præsules*, ἡγουμένους, *ductores* vel *antesignanos*, ἐπιμελητὰς, seu *curatores*, pastores denique nuncupat; quibus ultro cedere subjicique nos jubet, nec aures tantum dociles adhibere, sed et honorem deferre, ac obsequium præstare.

Hisce munus nempe demandatum est, ut apostolis

(primis ecclesiarum parentibus, et pastoribus supremis) dum in vivis superessent, earum in administratione vicariam operam, sociasque manus et συνεργίαν accommodarent; et postquam vita excessissent, in ipsorum locum succederent, regni cœlestis clavibus acceptis, quas apostolis Deus, et per eos ecclesiæ concessit, in æternum duraturas.

Liquet enim apostolis (præter extraordinaria quædam officia specialibus donis ad ecclesiæ fundationem necessariis communita) peculiaria nonnulla munia, regiminis episcopalis propria, competisse; qualia sunt, ecclesiis pastores et λειτουργοὺς adsignare, ecclesiæ insertis Sancti Spiritus σφραγῖδα imprimere, jurisdictionem in disciplina formanda, legibus ferendis, defectibus corrigendis, causis dijudicandis, delinquentibus castigandis, (κατὰ τὴν ἐξουσίαν ἣν ἔδωκεν ὁ Κύριος,) obire; quorum cum ad ecclesiæ conservationem et ædificationem (πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ) perpetuus et ordinarius sit usus, ea ad posteros transmitti, adeoque successoribus committi debuerunt.

Act. xiii. 2. vi. 6. viii. 17. Cypr. Ep. 73. Eus. iii. 17. vi. 33. 2 Cor. x. 8. xiii. 10. Eph. iv. 12.

Itaque rectores ecclesiastici sunt revera (quales ipsos S. Patres, ne quidem S. Hieronymo excepto, uno ore proclamant) apostolorum in ecclesia pascenda regendaque hæredes succedanei et succenturiati; "quibus" (ut S. Iræneus loquitur) "illi eam quæ "in unoquoque loco est ecclesiam tradiderunt;" per quos cum apostolicum officium in secula traducatur, iis adsistendo Christus sponsionem suam exequitur, qua se pollicitus est apostolis ad ævi consummationem affuturum.

Cypr. Ep. 27, 69, 41, 75. Hier. Ep. 54. ad Marc. am. &c. Iren. iv. 63. Mat. xxviii. 20.

Juxta quæ satis constat ab apostolis in ecclesiis passim rectores constitutos, talibus officiis destinatos.

Tit. i. 5. Hinc a S. Paulo Tito demandatum, ut in distrectu suo Cretensi τὰ λείποντα reformaret, et singulis in civitatibus presbyteros constitueret, instrueret Tit. ii. 15. i. 11. iii. 10. et argueret μετὰ πάσης ἐπιταγῆς, *omni cum imperio et authoritate;* Refractariis, et prava docentibus silentium imponeret, hæreticosque proscriberet.

Hinc idem Timotheo commissam omnigenam jurisdictionem multis innuit, ipsum ad ejusce rectam administrationem ubertim erudiens excitansque; sci- 1 Tim. v. 1. licet ut presbyteros non aspere jurgaret, ast officii 19, 17, 20, 22. iii. leniter admoneret; ne temere delatam adversus il- 10. v. 9. ii. 1. v. 21. los accusationem susciperet; ut ipsis pro meritis honoraria laboris præmia dispensaret; ut delinquentes palam argueret et corriperet; ut nemini præpropere manum imponeret, aut censuris eximeret; ut sacros ordines in viros idoneos, moribus spectabiles, examine præmisso conferret; ut viduarum aptam electionem procuraret; ut liturgias recte confici prospiceret; ut hujusmodi cuncta prudenter, et juste, sine præjudicio quopiam, aut partium studio, administraret: quæ sane præfecturam illi commendatam abunde monstrant.

Hinc denuo principalibus istis in Asia ecclesiis, plures presbyteros complectentibus, unum angelum Apoc. ii. præsedisse, a quo Spiritus Sanctus ecclesiastici status (utpote suæ curæ concrediti) rationem exigit, ipsi imputans quæcunque recte vel perperam gesta sunt, haud obscure divinus Apocalyptes indigitat.

II. Hæc ex eo nonnihil confirmantur, quod apud veterem Dei populum hujusmodi regimen obtinuit; a cujus forma Dominus noster, novitatis haud amans, in ordinanda populi sui disciplina non facile recessisset; quin ordinem potius apud illos constitutum

suis institutis adaptasset; unde nec ob hoc apud Judæos conversos uspiam turbatum legimus. Atqui constat apud eos, sicuti magni synedrii senatoribus unus antistes præfuit, ita singulis synagogis (quibus utique jam particulares ecclesiæ respondent) ἀρχισυνάγωγον quendam, seu caput cœtus, reliquos inter doctores et presbyteros cum auctoritate præsedisse. ראשהקהל

III. Ecclesiæ primitivæ status et praxis, apostolica tempora statim excipiens, hoc penitus firmat, et irrefragabiliter quasi demonstrat; nam episcopale regimen tunc passim invaluisse, certum atque confessum est: at vero qui fieri potuit, ut ecclesiæ tam variis in locis a se longissime dissitis (Hierosolymis puta, Antiochiæ, Alexandriæ, Ephesi, Corinthi, Romæ) ab apostolis nuper fundatæ, hujus in disciplinæ agnitione et usu derepente simul omnes conspirarent, nisi primitus illam ab institutione apostolica derivassent? quomodo tam subito, tam facile, sine manifesta quadam confœderatione, sine notabili strepitu, sine multa contradictione irrepere potuit ab apostolica institutione deflectens regimen? Num verisimile sit inter fervidas illas persecutiones, ecclesiæ magistris potissimum incumbentes, adeoque cum eminentia nil aliud quam gravissima accerseret pericula, stolidam hanc ambitionem ubique sic increbuisse præsidentias indebitas occupandi? Adeone sanctissimos plerosque fide confessores et martyres ista pestis invasit, ut injustam potestatem vel impotenter appeterent, vel improbe arriperent? An alii fortissimi quique viri tam iniqua molientibus facile cessissent, aut prompte consensissent? Cuncti Patres, viri sanctitate juxta ac sapientia illustres, tam cæci fuissent, ut non perspicerent, tam pravi, ut ultro com-

probarent ingruentem ejusmodi corruptelam? Tota demum ecclesia tanto abusui tam libenter acquievisset, tam placide succubuisset? Imo potius, cum hæc absona sint, et quæ vix concipi potest ullatenus obvenisse, regimen episcopale cunctarum ecclesiarum apostolicæ constitutioni innexum est; et juxta Tertulliani effatum, aliis Patribus astipulantibus probatum, "Constat id esse ab apostolis traditum, quod "apud ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum;" cui et illud accinit Augustini, "Illa quæ non scripta "sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum "orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis apo- "stolis, vel plenariis conciliis, quorum est in ecclesia "saluberrima auctoritas, commendata atque statuta "retineri."

Tertul. in Marc. iv. 5.

Aug. Ep. 118.

IV. Hoc etiam invicte munit historiarum certa fides, et inconcussa traditio, quæ in ecclesiis quibusque præcipuis præsidentes episcopos continua ab apostolis serie deducit; nam "Habemus" (inquit, et aliquoties iterat Irenæus, testis apostolico ævo finitimus) "annumerare eos, qui ab apostolis instituti "sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum us- "que ad nos." Istam historiæ fidem, consonumque traditionis suffragium, si morose respuimus, quo sodes fundamento religionis nostræ veritas nitetur, quo fulchro sacrorum librorum auctoritas sustentabitur? quid uspiam sanctum, quid certum apparebit? Hoc certe ratiocinio, cum firmiori non possent, Irenæus, Tertullianus, aliique patres hæreticos refutarunt, apostolicæ doctrinæ obstrepentes.

Iren. iii. 3. iv. 63. v. 20.

V. Accedit his veterum Patrum (uno saltem Hieronymo dempto, non antiquissimo, nec sibi satis in hac re constanti) unanimis consensus, episcopale regimen auctori Domino vel apostolis adscribens; quem

aspernari, nescio certe num immaniorem arrogantiam an stupidiorem vecordiam sapiat: parco testimoniis, quæ et innumera et nimis obvia sunt. Itaque rejicere hoc regimen est divinam institutionem violare, idcircoque criminosum. Cypr. Ep. 55, 52.

2. Culpa non vacat ecclesiæ catholicæ sanctionem, "toto" (ut Hieronymus loquitur) "orbe decretam[z]," communique assensu firmatam, divinæ legi minime contrariam, abjicere. Hoc qui negat, quem in ecclesia unitati, paci, charitati locum relinquit? annon synodos omnes generales aspernatur, despuit, aut irritas facit? annon dum totius ecclesiæ sententiam refigit, etiam singulæ cujusque, totam comprehensæ ecclesiæ pessundat auctoritatem? At episcopale regimen tale saltem est; et si minus apostolica, utcunque tamen ecclesiastica potissima constitutione nititur; si non divina lege, saltem humana prudentia constitutum est. Hoc ex innumeris synodorum decretis liquet, quæ regimen hoc clarissime probant, firmissimeque muniunt; ut quod de Paschali jejunio, a synodo Nicæna præscripto, graviter inculcat S. Chrysostomus, id huic negotio, longe potiori ratione, congruat; Τὸ μὲν γὰρ τῷδε ἢ τῷδε χρόνῳ νηστεῦσαι οὐκ ἔγκλημα· τὸ δὲ σχίσαι τὴν ἐκκλησίαν, καὶ φιλονείκως διατεθῆναι, καὶ διχοστασίας ἐμποιεῖν, καὶ τῆς συνόδου διηνεκῶς ἑαυτὸν ἀποστερεῖν, ἀσύγγνωστον, καὶ κατηγορίας ἄξιον, καὶ πολλὴν ἔχει τιμωρίαν. Chrys. tom. 6. Orat. 28.

Cæterum divinæ legi non adversari regimen episcopale, cum res ipsa monstrat, (ubinam enim talis lex extat?) tum eorum præcipui fatentur, quibus hoc regimen non arridet.

3. Non absimiliter reprehensibile est ecclesiarum

[z] In Tit. i. 5. Episcopi noverint se magis consuetudine quam Dominica dispositionis veritate presbyteris esse majores. *Hier. ibid.*

innocuæ consuetudini seu praxi vulgatæ repugnare: hoc ponit apostolus, quando suum de feminis inter sacra peragenda velandis virisque retegendis præ-
1 Cor. xi. 16. ceptum hoc urget argumento; *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesiæ Dei;* quod sane frustra dixisset, si pacis gratia consuetudini non esset obse-
Aug. Ep. 86. quendum: cui ita succinit Augustinus; "In his re- "bus, de quibus nihil certi statuit scriptura divina," (demus adversariis hoc in præsenti casu contingere,) "mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege te-
Aug. c. Cresc. i. 33. "nenda sunt;" rursus, "Scripturarum a nobis tene- "tur veritas, cum id facimus, quod universæ placuit
Aug. Ep. 118. "ecclesiæ:" iterum, "Siquid horum per orbem fre- "quentat ecclesia, hoc quin ita faciendum sit dis- "putare, insolentissimæ insaniæ est;" quanto magis huic censuræ subjacet, orbis totius in re tanta consuetudinem penitus abjicere!

4. Etiam culpæ affine est regimen abjicere rationi consentaneum, ecclesiæ commodum et salubre, pietatique servandæ vel fovendæ apprime conducens.

Episcopalem certe præsidentiam ratio multiplex exigit, et pluribus ex causis res ipsa postulare videtur.

Absque illa vix, aut ne vix fieri potest, ut in divino cultu decora conservetur harmonia, in sacra disciplina firma concordia vigeat, scandala propulsentur, factiones reprimantur, a perniciosis hæresibus religio protegatur, ecclesiæ status aliquandiu persistat integer et incolumis, ne in plurimas illa sectas comminuta dissipetur.

Sane reipublicæ Christianæ plurimum interest, societates institui mole quadam et robore non exili præditas, quæ collatis viribus operisque conjunctis

religionis veritatem, dignitatem, incrementum, et quæcunque commoda tutentur; alioquin si ipsa comminuatur in frustula, vel particulis incohærentibus, tanquam pulvis aut arena, constet, facile statim quocunque vento seu invasionis externæ seu intestinæ seditionis dispergetur; quin et Babylonia quadam opinionum rituumque confusione laborans, in sapientibus fastidium excitabit, profanis ludibrium debebit. Verum nulla societas, grandiuscula præsertim, ordinato pacatoque in statu, diutine consistere potest sub potestatibus multis paribus atque coordinatis; vel absque singulari quadam authoritate, quæ ad rempublicam spectantia proponat, inita de his consilia moderetur et ad consensum inflectat, discordes sententias conciliet, dubiis in casibus arbitretur, constituta executioni mandet, repugnantes coerceat; ita fit enim, ut quod pluribus incumbit, id nemo curet; quod multis committitur, id nullus exequatur. Unde mera democratia, nisi de monarchia mutui quid adsciscat, omnino subsistere nequit; neque proinde corpus ullum sine capite, ullus exercitus sine duce, ullus senatus absque præside, vel civitas absque præfecto durare solet. Hoc jugis experientia docet, hoc etiam episcopalis præsidentiæ adversarii non diffitentur, quin et sua praxi confirmant; itaque varias ipsi subordinationes a se excogitatas instituunt, et singulis suis ecclesiasticis conventibus moderatorem quendam, velut πρόσκαιρον episcopum, præponunt; ratione sic efflagitante, ut Beza docet, imo et Deo ordinante; "Essentiale fuit" (inquit ille vir clarissimus, et paritatis presbyteranæ patronus acerrimus) "quod " ex Dei ordinatione perpetua fuit, est, et erit, ut " presbyterio quispiam et loco et dignitate primus " actioni gubernandæ præsit, cum eo quod ipsi di-

Beza. de Var. Minist. grad. c. 23. p. 153.

Ibid. cap. 22. " vinitus attributum est jure;" item, "Nec presby-
" terorum," inquit, " cœtus rite constitutus dici pot-
" est, in quo nullus sit ἡγούμενος."

Porro, si nulli sint, qui cleri doctrinam et mores indesinente cura vigiles inspiciunt, quidvis dicendi agendique licentia confestim ingruet; plerique quæ suo genio placebunt, aut populi cupiditatibus adblandientur, aut propriis commodis inservient, sana doctrina posthabita, pro concione venditabunt; complures suæ voluptati nihil non indulgentes luxu diffluent, socordiaque languebunt; etiam inter se discrepantes sententiis, sermonibusque confligentes sacerdotes plebem in partes distractam dissidiis et fac-
Hier. contr. Lucif. cap. 1. tionibus implicabunt; unde S. Hieronymus, "Ec-
" clesiæ salus in summi sacerdotis dignitate consistit,
" cui si non exsors quædam et ab hominibus eminens
" detur potestas, tot in ecclesia efficientur schismata,
" quot sacerdotes." Idem Pater tametsi (propria quadam ex opinatione vel conjectura) primitus " Ec-
" clesias communi presbyterorum consilio guberna-
" tas" aliquando censuerit, ratione tamen suadente, vel cogente necessitate, statim id ubique demutatum addidit [a], et " in toto orbe decretum, ut unus de pres-
" byteris electus superponeretur cæteris, ad quem om-
" nis ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina
" tollerentur."

Quinetiam ad institutam a Christo totius ecclesiæ catholicæ unitatem retinendam, ad Dominici corporis

[a] In schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens ecclesiam Christi rumperet. *Ad Evag. Ep.* 85.

Patet quis non scripturarum, sed nostram esse sententiam, &c. *In Tit.* i. 5.

Hier. in Tit. i. 5.

Paullatim vero ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem solicitudinem esse delatam. *Ibid.*

agem arctius stringendam, ad communionem
iiarum expediendam, admodum utilis aut pror-
ecessaria est hujusmodi præsidentia; nec enim
nter cœtus disparatos facile commercium institui
t, aut stabilis concordia foveri, quam personarum
larium interventu; quapropter episcoporum cu-
consensu catholicam unitatem contineri, crebro
:rit sanctissimus ille prudentissimusque Cypri-
; " quando," inquit, " Ecclesia, quæ catholica Cypr. Ep.
ma est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique [69].
nexa, et cohærentium sibi invicem sacerdotum
tino copulata." Et, " idcirco copiosum est cor- Cypr. Ep.
i sacerdotum concordiæ mutuæ glutino, atque [67].
tatis vinculo copulatum, &c." Hujusmodi pro-
tantis commodis, episcopali regimine sublato,
cclesiam spoliant, ut de illa pessime merentes,
dum culpandi sunt.

Scandala facere ab apostolo inter gravissima Rom. xvi.
ta censetur, et *væ istis* Christus denunciat, *per* [17.] Matt. xviii.
hæc obveniunt; at quænam gravior erga totum [7.]
lum Christianum offensa committi potest, quam
tissimum ordinem, ab ipso semper in summo
o habitum, et præcipuo honore, parentum ad in-
cultum, eliminare et expungere?

Episcopi scilicet a profundissima usque antiqui-
[9] Summi sacerdotes, Sacerdotum principes et
s; sacerdotii sublime fastigium, et pontificatus
m adepti; ecclesiæ gubernandæ sublimi ac
a potestate præditi; a quibus ministerii exor-
i est, apostolorum προεδρίαν sortiti, Christi vicem
ntes, beati papæ, (ut alia complura satis obvia
m ejusmodi elogia) crebro dicti sunt et certo

'ert. de Bapt. 17. Opt. I. Cypr. Ep. 52. Leo Ep. 84. Cypr. Ep.
mb. de Sacr. III. 1. Bas. Ep.—Cypr. Ep. 55.

existimati; quorum ideo non aliquos tantum honore exuere, sed omnes radicitus extirpare, qualis flagitii res, quanti horroris videatur necesse est?

7. Item, episcopis antiquitus utcunque obluctari vel obstrepere piaculum erat, et hæresium ac schismatum origo censebatur; "Neque enim," ait Cyprianus[c], "aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt "schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non ob- "temperatur, nec unus in ecclesia ad tempus sacer- "dos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur." Et, "Inde schismata et hæreses obortæ sunt et oriuntur, "dum episcopus, qui unus est et ecclesiæ præest, "superba quorundam præsumptione contemnitur;" "nec putent sibi vitæ aut salutis constare rationem, "si episcopis et sacerdotibus obtemperare noluerint." Quanto scelestius et magis schismaticum existimassent, non hujus tantum aut illius episcopi mandatis obsistere, sed omnis episcopatus jugum excutere?

Cypr. Ep. 62.

8. Quinetiam in præpositos utcunque sibi judicium assumere summæ temeritatis et arrogantiæ rem arbitrati sunt Patres; "Quis enim," inquit Cyprianus, "hic est superbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ "mentis inflatio, ad cognitionem suam præpositos et "sacerdotes vocare?" quanto gravius autem omnes abjudicare, ipsumque munus episcopale quasi capitis damnatum proscribere?

Cypr. Ep. 69. (Ep. 55. p. 112. 117.)

9. Istis in seculis "altare contra altare erigere, "cathedram sibi constituere, gliscente discordia," (Cypriani[d] verba sunt), "episcopum sibi constituere,

[c] Cypr. Ep. 55. Hæc sunt initia hæreticorum, et ortus atque conatus schismaticorum, tale cogitantium ut sibi placeant, ut præpositum superbo tumore contemnant. *Cypr. Ep.* 65. 69.

[d] Optat. Cypr. Ep. 76. 42. 44. A pastore oves, et filios a parente separare, et Christi membra dissipare. *Ep.* 58.

" et contra sacramentum semel traditum divinæ dis-
" positionis et catholicæ unitatis adulterum et con-
" trarium caput extra ecclesiam facere; (contra
" ecclesiasticam dispositionem, contra evangelicam
" legem, contra institutionis catholicæ unitatem alium
" episcopum fieri consentire,") nefarium et execran-
dum facinus erat, propter quod admissum Novatiani, Donatistæ, reliquique ferme schismatici tam pessime audierunt; quale facinus igitur altaria cuncta demoliri, cathedras omnes submovere; non in unius episcopi præjudicium alterum creare, subornare, sed in omnium ruinam nullum pati? quanto damnosius ecclesiam unamquamque capite præciso (quod nostri moliuntur) ἀκέφαλον facere, quam (id quod veteres schismatici fecerunt) bicipites ecclesias erigere?

Episcopalis itaque regiminis abjectionem quisquis animo pravo (contentioso scilicet, arrogante, pervicace, fastidioso, vel utcunque perverso) molitur; eum quidni cum doctissimo respondente schismatis (et quidem mortalis, hoc est, peccati gravissimi) reum pronunciem? " Quod enim " (ut S. Cypriani verbis concludam) " majus potest esse delictum, aut quæ " macula deformior, quam adversus Christum ste- " tisse, quam ecclesiam ejus, quam ille sanguine suo " paravit et condidit, dissipasse? quam evangelicæ " pacis ac dilectionis oblitum contra unanimem et " concordem Dei populum hostilis discordiæ furore " pugnasse?" Cypr. Ep. 72.

" Inexpiabilis et gravis culpa discordiæ, nec pas- " sione purgatur." Cypr. de Unit. Eccl. p. 257.

DE TRIBUS SYMBOLIS.

Relaxatio fidei trium Symbolorum, in octavo articulo ecclesiæ Anglicanæ propositorum, admitti non potest, sine scandalo dato apostasiæ ab ecclesia universali.

A NASCENTIS ecclesiæ primordiis usu receptum apparet, formulas quasdam professionis, et sacræ doctrinæ summulas, (quales Sanctus Paulus τύπους διδαχῆς, et ὑγιαινόντων λόγων ὑποτυπώσεις indigitare videtur, Tertullianus veritatis et fidei regulas ac leges appellitat,) in ecclesiis prostrare; quibus veluti symbolis ac tesseris Christiani fideles dignoscerentur, et religio nostra qualis esset omnibus innotesceret; quibus ad Christianismum accedentes neophyti ipsius principiis imbuerentur; eidemque nomen dantes quousque profecerant ostenderent, et quid susceperant credendum profiterentur; quibus denuo quasi metis aut repagulis ingenia continerentur, ne præter oleas sanæ doctrinæ devios in errores exorbitarent, aut excurrerent[a].

Rom. vi. 17. 2 Tim. i. 13. Tert. Apol. cap. 47. de vel. Virg. i. de Præscr. 13. Heb. vi. 1.

Hæc primitus admodum erant succincta atque simplicia; nec aliud ferme quam præcipua continebant religionis nostræ capita, ab aliis illam (Judaismo scilicet, et ethnicismo tunc obtinentibus) distinguentia; prout ex illis liquet ejusmodi formis, quæ in

[a] Symbolum tessera est et signaculum quo inter fideles perfidosque secernitur. *Max. Taur. Tertull. Præscrip.* 14.

sanctis Irenæo, Tertulliano, Cyprianо proponuntur, aut subindicantur.

Sed postquam emergentes prave curiosi dogmatistæ suis ausi sunt commentis et παραδιατριβαῖς sublimia fidei nostræ mysteria pervertere, vel contaminare; ecclesiæ pastoribus necesse vel ex usu visum est, post quæstiones eventilatas et accurate discussas, alia nova symbola veritatem districtius elucidantia proponere; tum ut ecclesiæ filios ad veram dogmatum intelligentiam erudirent, et auctoritate sua damnatis erroribus aditum præcluderent, tum ut illorum professione orthodoxos ab hæreticis dispescerent, illosque gremio foverent, hos procul arcerent. 1 Tim. vi. 5.

Ita cum P. Samosatenus, ἀποστὰς τοῦ κανόνος ἐπὶ κίβδηλα καὶ νόθα διδάγματα μετελήλυθεν, istis Antiochena synodus a se formatam definitionem opposuit; ejusque vestigiis insistens Nicena synodus Arii, postmodumque Constantinopolitana, πνευματομάχων heterodoxias hac ratione transfixit. Eus. 7. 30.

Veruntamen cum prioribus symbolis, catholico consensu receptis, veritas satis definita videretur; et quo multorum curiosa vel contentiosa reprimeretur ambitio novas indies fidei confessiones procudentium, lacinias suas prioribus assuentium (a quibus dissidia succrescebant, et fides perplexa reddebatur), synodo Ephesinæ generali (ut et postea Chalcedonensi) legem sancire placuit, gravissima pœna munitam, ne cui exinde liceret alium a Niceno fidei typum componere vel exponere. Syn. Eph. Can. 7. Syn. Chal. Act. 5. p. 340. Evag. 2. 4. ἐτέραν πίστιν.

Hinc factum, ut reliquis dimissis, tria saltem symbola publicam in ecclesia auctoritatem tenuerint; quæ proinde, ecclesia Anglicana, mater nostra, quo suam cum ecclesia catholica concordiam testatam faceret, et semetipsam ab errorum tam contagio quam

consortio præstaret immunem, suffragio suo comprobavit (in articulis suis expresso,) liturgiis suis inseruit, adeoque filiis suis (clericis præsertim) agnoscenda et usurpanda præscripsit: "Symbola," inquit, "tria, Nicenum, Athanasii, et quod vulgo Apostolorum appellatur, omnino recipienda sunt, et credenda; nam firmissimis scripturarum testimoniis probari possunt."

Art. 8.

De quibus singillatim paucula quædam attingamus ad thesin propositam spectantia; hoc saltem prænotato, quod in illa *fidei relaxatio* talis intelligi videatur, qua symbolorum usus publicus obmittatur, aut ipsorum professio, legibus refixis, non exigatur; reliqua vero tam clara sunt, ut explicationem minime desiderent.

Jam apostolicum symbolum (illud ipsum vel ei consimile, quod Tertullianus appellat "regulam veritatis, quæ veniat a Christo transmissa per comites ipsius;" quod saltem antiquitus in ecclesiis plerisque, imprimis Romana, baptismum suscipientes profiteri solebant) præcipuos complectitur et maxime peculiares Christianæ religionis articulos, e sacris literis congestos, et simplicissimis verbis liquido conceptos; a quo proinde Christianum sibi nomen asserentium nemo ferme quisquam ullatenus dissentire præ se fert; adeoque nec quisquam, opinor, in illo comprehensæ fidei relaxationem ullam cogitet aut exoptet; ullam autem admittere, quid aliud esset, quam ipsius Christianismi repudiati scandalum accersere? de eo proinde nil attinet plura dicere.

Apol. cap. 47.

Nicenum vero symbolum, ab illo primo celeberrimoque concilio, quod in ipsis ecclesiæ triumphantis auspiciis, e persecutionum flammis emergentes celebrarunt plusquam trecenti antistites ecclesiarum, fidei

Christianæ confessores eximii fortissimique athletæ; nam (ut S. Chrysostomus aureo suo penicillo illos alicubi depingit), *καθάπερ ἀριστεῖς τινες μυρία στήσαντες τρόπαια, καὶ πολλὰ δεξάμενοι τραύματα, οὕτω πανταχόθεν ἐπανέστησαν τότε τῶν ἐκκλησιῶν οἱ προστάται, τὰ στίγματα τοῦ Χριστοῦ βαστάζοντες, καὶ πολλὰς ἔχοντες ἀριθμεῖν τιμωρίας, ἃς διὰ τὴν ὁμολογίαν ὑπέμειναν—καὶ διὰ τῶν ἀθλητῶν τούτων ἡ σύνοδος ἅπασα συγκεκρότητο τότε*—, ab hujusmodi, inquam, tot Patribus conditum, et a secundo generali concilio, Constantinopoli habito, nonnihil adauctum, S. Trinitatis mysterium, haustis e divina scriptura sensibus, luculente tradit, Christi divinam æternamque naturam ab Arianæ sectæ commentis, ipsum in creatarum temporaliumque rerum censum deprimentibus, exerte vindicans; nec non Sancti Spiritus divinitatem asserens a pravis *πνευματομάχων* heterodoxiis. Chrys. tom. vi. Orat. 28.

Hujusce symboli fidem, post tot superatos atque sedatos adversarum molitionum fluctus ubique prævalentem, adeoque divinæ providentiæ quasi suffragio comprobatam (ne dicam sacrorum oraculorum claris testimoniis quoque subnixam) totque seculorum universali consensu stabilitam, jam relaxare, quid aliud esset, quam istorum hæreticorum vel in castra transire, vel in consortium nos tradere? quam orthodoxiæ proditæ nos plane reos facere, vel utcunque suspectos præbere? quam consopita dissentionum incendia resuscitare; quam defixas a Patribus metas amovere; quam ovilis Dominici septa diruere murosque demoliri; quam unitatis catholicæ clarissimas tesseras, certissimaque pignora projicere; quam veritatis simul ac pacis conservandæ exploratissima media, falsitatis autem discordiæque propulsandæ potentissima probatissimaque remedia subtrahere; quam ecclesiæ (non degeneris, inquinatæ, pon-

tificio jugo oppressæ, sed) omnino primitivæ, defœcatæ, liberrimæ consistoria, summe veneranda, "quo- "rum in ecclesia," si Augustino credimus, "salu- "berrima est auctoritas," auctoritate sua prorsus exuere, tamque diuturna possessione firmato ab honore deturbare? quam denuo totius ecclesiæ quæ fuerunt unquam aut esse poterunt augustissima judicia convellere, vel omnino cassare? quorum nihil non apostasiæ ab ecclesiæ universalis vel fide vel pace suspicionem ingerat, et scandalum obtrudat.

Enimvero si nullam fidei professionem exigat, si nullos communioni suæ limites præfigat ecclesia, unde quæ sit ejus mens, qualis doctrina, constabit? quo signo monstrabit, quo testimonio evincet, quo pignore cavebit se quoad intaminatam fidem cum ecclesia catholica conspirare vel cohærere? vel hæreticorum se opinionibus et consortio renunciare? quibus notis aut characteribus ab heterodoxis doctoribus orthodoxos pastores, a lupis, a vulpibus, a canibus oves secernet aut disterminabit? qua ratione τῶν. ἑτεροδιδασκαλούντων, et sanctissima mysteria pervertentium ora frænabit, aut serpentium errorum contagia sistet? quo pacto tam ab apostolis impense laudatæ crebroque inculcatæ ὁμονοίᾳ consulet; vel efficiet, ut juxta S. Pauli mandata constanter omnes
1 Cor. i. 10. idem sentiamus, idem loquamur; simusque κατηρτι-
Phil. iii. 15. i. 27. σμένοι ἐν τῷ αὐτῷ νοὶ, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ; *idem sapia-*
Eph. iv. 3. *mus, et in eadem regula permaneamus; in uno Spiritu stemus unanimes; unitatemque Spiritus in vinculo pacis servemus?* quomodo denique præcep-
Tit. iii. 10. tis apostolicis obsequetur, jubentibus hæreticos, ἑτε-
Rom. xvi. 17. Gal. i. 8. ροδιδασκαλοῦντας, aliud evangelium prædicantes, aversari, devitare, detestari?

Quod si fidei professionem ullam requirat, quidni

præsertim hujus Nicenæ, quam tanta commendat antiquitas, tam venerabilis auctoritas edidit, tot ætatum præscriptio roboravit, adeoque diffusus ecclesiæ consensus sacravit? Si quos omnino communioni suæ terminos præscribat, quidni potissimum hos, ita dudum Christiani populi sensibus infixos, ut sine fidei vel gravi ruina vel periculosa concussione vix evelli queant? Denique si Patrum fidem respuimus, annon eo ipso ab ecclesia catholica deflectimus? sin constanter illam amplectimur, quorsum ejus professionem luxamus?

Tertium, S. Athanasio adscriptum, symbolum, non auctoris claritate (is enim apud doctos haud adeo certus est) nec antiquitatis compertæ gratia (nam duntaxat a mille circiter annis ejusce notitia percrebuit), neque consensus amplitudine (cum ab occidentali tantum ecclesia recipiatur) ita commendatum, hoc tamen nomine dignitatem suam tuetur, quod undicunque profectum tot per secula tantamque per orbis Christiani partem invaluit; quin et a se intrinsecus hoc habet, quod reliquis quodammodo perfectius et plenius est, nec non ad ὀρθοδοξίαν adserendam accommodatius.

Etenim præter S. Trinitatis doctrinam enucleate propositam (non Ario tantum, at Sabellio quoque damnato, quem Nicenum haud ita clare tangit) incarnationis Dominicæ mysterium dilucidius explicat, juxta synodorum œcumenicarum Ephesinæ et Chalcedonensis definitiones accuratas, utramque Christi naturam a Nestorii illas distrahentis, et ab Eutichetis iisdem confundentis, erroribus asserens; ut et ab Apollinarii perverso dogmate Domini humanitatem mutilantis; quinetiam de Sancti Spiritus origine gravissimam decidit controversiam, adversus Græcos

hac in parte cespitantes; (quibus argumentis ut ejus vetustati nonnihil derogatur, ita perfectioni præstantiæque intrinsecæ plurimum accedit.)

Hujus itaque fides eatenus relaxanda non est; ne synodorum istarum, a primis duabus haud longo intervallo proximarum, vel puram doctrinam respuere, vel eximiæ auctoritati detrahere videamur; vel saltem ne Græcorum errori videamur astipulari; et generatim propter easdem ferme causas, quas de Nicena fide non relaxanda mox attigimus.

Hoc sane, una cum reliquis in occidentali ecclesia diu receptis, sapienter ecclesia nostra retinendum censuit; cum ut suam ὀρθοδοξίας curam zelumque demonstraret, tum ut concordiæ studium ostenderet in iis omnibus, quæ veritati consona Romanæ partes docent, ultro agnoscendis; tum etiam ne quam captiosis hominibus speciosam offensionis ansam ministraret.

In hoc quidem symbolo quibusdam nonnulla minus arrident; illud præsertim quod in dogmatum explicatione dissentientes tam aspera censura percellit, tantisque pœnis devovet. Cui exceptioni breviter (etenim ut fuse non vacat) respondemus.

Primo, Illud judicium non ad symboli fidem, adeoque nec ad quæstionem, pertinere videtur. Id verborum ipsa series innuit; nam præfatorio judicio subjicitur, *Catholica vero fides est hæc:* item fidei expositæ adnectitur epilogus, *Hæc est catholica fides*, quam excipit simile judicium; itaque fides ipsa judiciis istis παρενθετικῶς interclusa jacet.

Secundo, Judicium illud non æque videtur ad omnia symboli puncta se extendere, verum ad illa præsertim, quæ in universalibus consiliis definita sunt, et quibus adversa dogmata Patres tanquam hæretica

sunt execrati. Nam, v. g. Græcos hæreticis accensere, vel a salute prorsus excludere, multi theologi non sustinent, alioquin huic symbolo mordicus adhærentes; ne id faciant, gravissimis argumentis permoti. Nam (ut alia præteream) an leve est tantam ecclesiæ partem, a Photii saltem tempore (hoc est, plusquam 800 annis,) huic errori adhærentem abscindere, vel inferno addicere? unde factum est, inquiunt, ut plerique Patres Græci præsertim de eo hæsitent, aut nihil exploratum tradant? unde ex illis præcipui docent processionis (vel ὑπάρξεως) Sancti Spiritus modum tuto ignorari? unde Constantinopolitana synodus hoc indefinitum transiliit? unde synodi subsequentes definitioni quicquam adjici prohibuerunt? unde Theodoretus hoc dogma oppugnavit tam impune, Cyrillo contra nihil hiscente, nec ejus tot adversariis ei propterea erroris dicam impingentibus?

Tertio, Ejusmodi judicia sic temperanda sunt, ut iis non quilibet ignarus aut simpliciter errans et incredulus subjaceat, at ii saltem, qui pravis affectibus, animo revera hæretico (hoc est, αὐτοκρατακρίτῳ, vel hypocritico, temerario, factioso, arrogante, contumace), patefactæ circa fidei doctrinam veritati præfracte obnituntur atque reclamant, ἄνθρωποι, juxta Apostolum, διεφθαρμένοι τὸν νοῦν, ac inde, ἀπεστερημένοι τῆς ἀληθείας. Ita quidem S. Augustinus, "Si mihi" (inquit, ad Honoratum Manichæum scribens) "unum atque "idem videretur hæreticus et credens hæreticis ho- "mo, tam lingua quam stylo in hac causa conquies- "cendum mihi esse arbitrarer; nunc vero cum inter "duo plurimum intersit; quandoquidem hæreticus "est, ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis "commodi, et maxime gloriæ principatusque sui

1 Tim. vi. 5.

Aug. de Util. Cred. cap. 1.

" gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel " sequitur; ille autem qui hujusmodi hominibus cre- " dit, homo est imaginatione quadam veritatis ac " pietatis illusus." Et rursus, Donatistarum episco-
Aug. Ep. 162. pos alloquens, "Qui sententiam," inquit, "suam " quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci " animositate defendunt, præsertim quam non auda- " cia præsumptionis suæ pepererunt, sed a seductis " atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quæ- " runt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi " parati cum invenerint, nequaquam sunt inter hæ- " reticos deputandi; tales ergo vos nisi esse crede- " rem, nullas fortasse vobis literas mitterem." Ita nonnullos ille Manichæos nonnullosque Donatistas hæreseos absolvit: quam in rem continere non pos-
Salv. de Gub. Dei, lib. 5. sum ne quoque vetusti piissimique scriptoris (Salvia- ni) adjungam verba perquam diserta, de quibusdam Arianis ita proloquentis; "Hæretici sunt, sed non " scientes; denique apud nos sunt hæretici, apud se " non sunt; nam in tantum se catholicos esse judi- " cant, ut nos ipsos titulo hæreticæ appellationis in- " fament: quod ergo illi nobis sunt, hoc nos illis: " nos eos injuriam divinæ generationi facere certi " sumus, quod minorem Patre Filium dicant; illi " nos injuriosos Patri existimant, quia æquales esse " credamus. Veritas apud nos est, sed illi apud se " esse præsumunt; honor Dei apud nos est, sed illi " hoc arbitrantur honorem divinitatis esse quod cre- " dunt; inofficiosi sunt, sed illis hoc est summum " religionis officium; impii sunt, sed hoc putant ve- " ram esse pietatem; errant ergo, sed bono animo " errant, non odio sed affectu Dei, honorare se Do- " minum atque amare credentes; quamvis non ha- " beant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam De-

" æstimant charitatem : qualiter pro hoc ipso falsæ " opinionis errore in die judicii puniendi sint, nullus " potest scire nisi Judex."

Itaque nihil officit ista exceptio, quo minus hujusce symboli fides merito debeat retineri, seu relaxari non debeat.

ANIMÆ HUMANÆ CORPORIBUS NON PRÆEXISTUNT.

HUMANÆ animæ, de qua præsens instituitur disputatio, nihil magis proprium aut a natura ingenitum esse videtur, quam ut rerum, quas sensu percipit, et quibuscum continuo versatur, causas et origines inquirat. Eorum enim, qui communiter apparent, effectuum notitia atque historia ultro otiosis et quasi nolentibus se ingerunt, per apertas sensuum fenestras ad animæ sedem penetrantes; at hæc patientis solummodo personam sustinet, ac velut domi residens advenarum impulsum persentiscit. Tum demum se erigit, ac in se dignam activitatem conspirat, quum ut Homericus ille hospes peregrinum, ita hæc suos compellat, Τίς, πόθεν εἶς ἀνδρῶν, πόθε τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες; cum rerum principia et sortes nascendi, unde ortæ, quomodo productæ sint, sedula disquisitione investigat: quale scrutinium si indifferenter in reliqua omnia forinsecus sibi oblata exercere consuescat, mirum non est si ad sui ipsius, (cujus sibi intime conscia est, quam semper præsentem intuetur, cujus omnes motus dum exerit, immediate perspectos habet,) originem atque natales indagandos præcipuo studio aspiraret: quo conatu dum occupatur, dum ætatem suam retro percurrit, annosque præteritos cogitatione remetitur, tandem infantiæ terminum assequitur, ante quem nullibi extitisse, nihil sensisse, molitam, aut meditatam fuisse, se recordatur; unde circa id tempus existendi initium

sumpsisse merito suspicatur. Ut enim me Romæ fuisse, quod valde optarem, purpuratorum patrum splendidissimis pompis interfuisse, magnificas ædes tam publicas quam privatas, imaginum pigmentorumque elegantias, et præclara antiquitatis monumenta perlustrasse, nemo ut credam adegerit, quia illarum rerum nulla species animo insidet; ita animas in cœlo olim ævum transegisse, ibi nescio quæ facinora perpetrasse, exinde in hæc corpora præcipites decidisse, ideo quispiam prona fide non admittit, quoniam hujusmodi eventuum nulla in se deprehendit vestigia. Quod tamen minime effecit, ne plurimi experientiæ propriæ testimonio diffisi, animas suas præsentis vitæ auspiciis superiores existimarint. Quibus illos non accenseo, qui ex corporea quacunque concretione oriri animas putant; inter quos præcipui Democritus, Anaxagoras, Epicurus, Stoici. Hi enim, licet animarum substantiam, igneam nempe, aëream vel spirituosam præextitisse, plerique ab æterno crediderint, fuisse tamen animas, antequam hæc materies coalesceret, non asserunt, ut nec æthereæ substantiæ particulas, antequam in lucidum orbem confluant, stellam componere. Nec usquam Aristoteles, quod sciam, huic sententiæ aperte favet (illud enim *θύραθεν ἐπεισιέναι* ambiguum est, et ad alios existendi modos referri potest), quin potius dum *Πυθαγορικοὺς* quos vocat *μύθους* ridet, dum passim Platonicam *ἀνάμνησιν* ubique impugnat, omnemque intellectus notitiam a sensibus derivari contendit, dumque animam corporis "organici actum" definit, ab ea penitus alienus esse videtur. Ex philosophis igitur principes Pythagoras et Plato hoc commentum introduxerunt, quorum passim celebrantur hujus *μετεμψύχωσις*, illius *ἀναψυχία*. Exque horum institutione e Christianis

theologis Origenem et Synesium, atque ex hæreticis tam Judæis quam Christianis qui idem senserunt, hausisse credibile est. Et μετεμψύχωσις quidem, hoc est, Tertulliano definiente, " ex animarum reci-" divatu revolubili alterna mortuorum atque viven-" tium suffectio," ut Christianæ fidei fundamenta, resurrectionem præsertim, ultimumque judicium convellens, ab omnibus merito exploditur, ut supervacaneum putem in ea refutanda oleum atque operam insumere. Simplex est προϋπαρξις, quam impugnandam suscepimus, idque sequentibus potissimum ratiociniis.

Primo, Si animæ præexistant, tum ita ut vel ante mundum conditum, vel una cum eo, vel aliquo post eum tempore creatæ existere cœperint; nam a se esse, vel ab æterno factas, nemo, opinor, Christianus affirmaverit. Non ante mundum conditum, cum nulla ratio sit, cur aliud ipsis extra commune rebus universis initium statuamus; quod propterea simpli-
Gen. i. 1. citer principii nomine insignitur; *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Quem locum respi-
Joh. i. 1. ciens Apostolus, τὸν Λόγον solum tum extitisse innuit, futurum omnium Opificem. Id quod ex eo confirmatur, quoniam ex antiquissimi sanctissimique scriptoris mente nihil hanc periodum antecessit, præter chaos quoddam, hoc est, informem quandam, indigestam, tenebricosam molem, minime idoneum animabus habitaculum. Quis enim in illa confusione locus fuit animarum dignitati accommodatus, quem incolerent? quid in tam spissa caligine cernerent? quo mentis aciem dirigerent? in quæ objecta activitates suas exercerent? Annon rectius sancti Patres hoc universum, tanquam animarum hospitium quoddam atque gymnasium, eo duntaxat fine constructum statuunt, ut esset ubi animæ commode degerent, quod

ordinarent et regerent, in cujus mirabili ordine, harmonica compage, elegantissima specie contemplandis, se oblectarent: contra animas idcirco productas, ut tam augustæ fabricæ pulchritudine atque præstantia animadversis, Conditoris optimi, maximi, sapientissimi majestatem suspicerent, ejusque admiratione perculsi in amorem raperentur: quæ si vera sunt, nec mundus anima posterior extitit, nec anima mundo, ipsa hujus pars maxima et præstantissima. Neque post mundum conditum simul omnes existere cœperunt, siquidem cur illæ hoc potius, quam alio tempore fierent, nulla ratio assignari possit; præcipue quum humanum genus ex prima propagine magis magisque indies cresceret, ideoque novæ semper requirerentur animæ, ex publico, quod hæc hypothesis præstruit, animarum seminario depromendæ: itaque omnes ab ineunte mundo Adami animæ concreatas oportuit. Verum obstat quod in sacra τῆς κοσμοποιΐας historia, ubi rerum creatio luculente percensetur, animarum tum conditarum aut præexistentium nulla mentio habetur; quam ignorare Moses quî potuit, cui universa series divini opificii clare perspecta, accurate descripta est; aut cognitam dissimulasse, quum primum rerum statum et præcipue hominis sibi enarrandum proposuerit, sincerus imprimis author, et quovis Pythagora vel Platone tantum scientia et fide, quantum ævo anterior; præsertim quum alicujus momenti negotium vertitur, in quo sine tanti magistri ductu facile est labi, ad cujus notitiam flagrantibus desideriis anhelamus? Imo idem sacer Historicus tantum abest, ne omnes animas tum conditas asseveret, ut unam tantum memoret, reliquarum in hunc mundi campum antesignanam, eamque non a grege animarum forinsecus assumptam, sed a Deo immediate

inspiratam, Gen. ii. 7. *Formavit Dominus Deus hominem e limo terræ, et inspiravit in faciem ejus* Consol. ad Helv. *spiraculum vitæ.* Cui Senecæ illud mirifice consonat, " Si primam ejus originem aspexeris, non est ex " terreno et gravi concreta corpore, ex illo cœlesti " Spiritu descendit." Cujus sane Spiritus unicus Adamus primo particeps fuit, nisi aut Moses nescivit, aut legentibus imponere voluit, aut nobis saltem invidit origines nostras; qui cum unius animæ natales celebret, cur reliquas æque nobiles præteriret? imo cum animarum par conditio sit, quare Adami anima corpus præformatum subsequatur, reliquæ materiam dispositam antecedant? illa ex divino afflatu procedat, hæ ex communi thesauro desumantur? illa nunquam extra corpus fuit, vita simplici contenta; hæ seorsim agant, duplicemque statum experiantur? quid illa promeruit, ut ab ortu statim in corporeum claustrum truderetur, cum hæ justa libertate fruerentur? ut illa sensibus alligata, necessitatibus subjecta, laboribus mancipata fuerit, quorum hæ diu exortes feriantur? Quin potius quoniam Adami anima nunquam præextitit, nec a corpore separata diurnavit, neque extra sensuum consortium cogitandi facultatem exeruit, non est quod reliquas dissimili conditione factas arbitremur. Cui accedit, quod Christi, secundi Adami, sanctissima anima non præextitit, sed a Deo itidem spirante procreata est, Luc. i. 35. *πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπί σε, καὶ δύναμις Ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι, διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον κληθήσεται υἱὸς Θεοῦ·* in quo loco, ut Adamus, Luc. iii. ver. ultimo, *Filius Dei* vocatur, ob Spiritum a Deo communicatum; ita Servator noster, quatenus homo est, eo nomine Filius Dei dicitur, quod animam suam a Deo Patre acceperit, quæ proinde non præexistit, ideoque nec nostræ, quæ quoad

existendi modum in hoc tantum ab illius anima differunt, quod hæc a divino Spiritu immediate, nostræ humano interventu producuntur. Loci enim, quos allegat optimus doctissimusque vir, Joh. xvii. 5. *καὶ νῦν δόξασόν με σὺ πάτερ παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, παρά σοι*, et Phil. ii. 6. *ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων*, et consimiles, divinitatem Christi clarissime respiciunt, eoque communiter ab interpretibus referuntur. H. M.

Secundo, Animarum præexistentiæ adversatur ipsarum propagatio, sive mavis, substitutio. Cujus modus (quoad dependentiam successivam intelligo) si aut analogiam naturæ sequi, aut experientiæ arbitrium agnoscere volumus, sacræ historiæ calculo comprobatum, ab illo vix discrepat, quo brutorum animantium imo et vegetabilium augentur numeri, species conservantur. Similis ubique vis prolifica deprehenditur, gemella procreandi methodus; ex parili benedictione se multiplicandi potestatem obtinuere; et prout ex unius equi stirpe equina diffunditur progenies, quæ immensas regiones populando sit; nec minus ab una glande quercuum ingentes sylvæ exurgunt, ita ut nullæ his præparentur animæ, nisi quas pro re nata emittunt; ita ab uno homine plurimarum gentium infinita exuberavit multitudo; Act. xvii. 26. *ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς*. Igitur inquit Tertullianus infra, unde merito Adamus *pater*, Eva viventium *mater* appellantur: quæ nomina nisi parentes ad animarum existentiam aliquid conferrent, frustra imponerentur. Nam copora quod attinet, præterquam quod animarum quasi appendices, instrumenta et vascula sint, illorum substantia a generantibus independens jam olim extitit, iisque figuras et

conformationes organicas, non parentes tribuunt, sed ipsæ sibi animæ, Deo opitulante, effingunt; ut præteream corporis primordium, animæque vehiculum semen, quantulumcunque est, quod in matricem recipitur, protinus sensu arbitro putrere, dispergi, evanescere, aut si aliquid superest, continuis incrementorum affluxibus mutari, atque transponi; ut non absurde neget Aristoteles semen patris ullam partem materiæ corporis fœtui conferre; et nescio an fundamentum corruat honoris et gratitudinis, quam ipsis ceu vitæ authoribus exhibere solemus. Ideoque si parentibus animarum existentia aliquatenus deputetur, nihil est plane quod impertiant, quibus tamen parentibus sacræ literæ non tantum hominis (cujus anima essentialem constitutionem in tantum ingreditur, ut homo dicatur *anima vivens*), sed et ipsarum animarum productionem disertis verbis assignant, haud ultra debitum, credo, liberales. Gen. xii. 5, *Tulitque Sarai uxorem suam, et Lot filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, et animas, quas fecerant in Haran.* Gen. xlvi. 18, *Hi filii Zelphæ, quam dedit Laban filiæ suæ, et hos genuit Jacob, sedecim animas.* Exod. i. 5, *Erant autem omnes animæ egressorum e semine Jacob septuaginta.* "Igitur," inquit Tertullianus, "ex uno homine tota hæc animarum redundantia agi-"tur, observante, scilicet, natura Dei editum, *Cres-"cite et in multitudinem proficite;*" quibus addi potest, quod parentes similes sibi liberos progenerare dicantur, Gen. v. 3, *Et vixit Adam centum et triginta annos, et genuit ad imaginem et similitudinem suam;* et hoc quidem juxta philosophi pronunciatum, φυσικώτατον τῶν ἐν τοῖς ζῶσιν ἔργον τὸ ποιῆσαι ἕτερον οἷον αὐτό. Quomodo autem sibi similes gignunt, si

Aristot. q. de Gen. An. c. 2. 20, et 21. et 4. de Gen. An.

Gen. ii. 7.

De An. 27.

De An. 2. c. 4.

aliquo modo animas non communicant, quæ ad humanæ naturæ integritatem quam maxime pertinent?

Tertio, Si animæ præexistunt, unde est quod specie oris, habitu corporis, animi moribus, præsapiam soboles referat? quod liberi sæpius parentibus pulchri formosis, robusti validis, "fortes creantur forti- "bus et bonis," ac vice versa? qua nascendi sorte in patris vitia succedit, virtute æmulatur proles, quocum animæ extraneæ nulla cognatio, nullum præcessit commercium? quæ sane ex corporeæ atomi dispositione haud proveniunt, quæ tantilla ex parentis substantia discerpitur, cujus fluxa temperies quolibet momento variatur, quæque haud scio an virtutum vitiorumque capax sit, cumque præcipui habitus animæ insideant, et ipsa sibi organa extruat, nativæ indoli conformia. Cui affine est,

Quarto, Natorum animæ paternorum criminum pœnas persæpe luunt, benefactorum gratiam reportant, quod cum multis e sacra historia exemplis poterit confirmari, sufficiet primi hominis lapsum commemorare, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. Ex quo peccato mors intravit, et reliqui morbi, labores, cruciatus humanum genus pervaserunt, quibuscum vita communis perpetuo conflictatur, ut liquebit verba illa perpendenti, Gen. iii. 17, 18. *Adæ vero dixit, quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi,—In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es.* Quod si posterorum animæ Adami animæ σύγχρονοι fuerint, neque ab illa aliquatenus dependeant, quo

jure Adamici criminis participes evadunt, quod nulla generis proximitate attingunt? Nam corpora quod attinet, hæc ut primitiva labe inquinata concedamus, neque ulla commoda sentiunt, nec afficiuntur incommodis, neque mercede gaudent, nec supplicio anguntur. Ne dicam omnem materiam Adæ independentem coëxtitisse, ideoque ex eodem luto nos minime conflari: animasque proinde solas ab eo utcunque derivari, ideoque merito communem cum eo fortunam subire. Quo utitur argumento S. Augustinus;

Epist. 157. "Si," inquit, "anima nostra nullam de illa peccatrice originem ducit, quæ causa est animæ subeundi originale peccatum?"

Quinto, Quum in sacris literis quispiam aut egregie nequam, aut apprime bonus sanctusque celebratur, ultra natales et prima incunabula meritorum origo nusquam extenditur. Nonnulli, *ἀπὸ βρέφους*, ab ineunte ætate virtutibus innutriti, alii flagitiis assuefacti indigitantur. Psal. lviii. 4. ***Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt a utero, locuti sunt falsa.*** Contra Hieremias in utero sanctificatus dicitur; de S. Johanne Baptista prædictum, *καὶ Πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ.* S. Paulus de se, *ὁ Θεὸς ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου* non utique dicitur e cœlitum puriore cœtu delectas esse egregias has animas, neque præstratas invasisse sanctitatem, séd ipsis Deo procurante congenitam fuisse. Nec sequiores illas ex altero secum pravitatem detulisse, sed ab ipsa infantia scelerum exemplis initiatos, peccandi perpetua consuetudine conceptam improbitatem [patravisse]. Item cum humanæ vitæ calamitates graphice depingunt, ac animarum miseram conditionem flebilibus modis deplorant, non e cœlesti habitatione detrusas, non in mate-

2 Tim. iii. 15.

Jer. i. 5.

Luc. i. 15.

Gal. i. 15.

riæ custodiam demersas mœrent, sed a recentis vitæ lachrymis exordium petunt, ab uterinis infortuniis threnodias auspicantur. Job. iii. 10. ***Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis? Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero statim perii? quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus?***

Porro, sexto, ut Socratica interrogandi licentia hanc quæstionem vexemus. Cum justa Aristotelis effatum *πᾶν τὸ ὂν ὑπολαμβάνεται εἶναί που*, ubi gentium ab orbe condito hæ præexistentes animæ ætatem transigant? per liberas regiones vagæ spatiantur, an certis sedibus fixæ conquiescunt? prope ambitum telluris opportunos receptus expectant, an ex longinquo in corpora defluunt? æthereas arces obsident, an per nescio quæ intermundia volitent, an in terrestribus claustris detinentur? Platonici quidem e supernis ipsas devocant, cœli olim indigenas, juxta quos Cicero in Somnio Scipionis, "Hominibus animus " datus est ex illis sempiternis ignibus quos sydera " et stellas vocamus;" at reclamante Christo, Joh. iii. 13. *Οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ·* ubi e cœlo descendisse ac cœlestium conscium fuisse sibi soli assumit, aliis abjudicat. Quin hos cum Ænea sciscitemur,

> ———Anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum — Æn. vi.
> Sublimes animas, iterumque ad tarda reverti
> Corpora, quæ lucis miseris tam dira cupido?

Quid autem attinet animabus vitam separatam cœlestem attribuendo humanam naturam cum angelica confundere, quas revera distingui apparet, ad Heb. ii. 16. *Οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται.* Nec opus est ut ani-

marum gregibus redundantes planetæ suas ad nos colonias deducerent, quum a provido Numine peculiares animas destinari, quæ terrestrem hunc mundum conspicere et contemplari, eique interesse ac præsidere teneantur, ratio dictet, authoritas suffragetur: quæ tum demum in scenam prodire, partesque commissas capessere aptæ natæ sunt, quum sibi corporum personas induere: interim donec nudæ, habitusque corporei expertes sunt, quid rei moliuntur? dormiunt, an vigilant, desides otiantur, an destinentur negotiis? certe aliquid agunt, quum animæ sint, quibus desidia mors est: quid autem? Non colores prospicere valent, ad quos oculis opus est, volatiles formas motusque palabundos colligentibus; non sonos dijudicare, quos auricularum sinuosi anfractus modulantur; nec saporum capere discrimina, ad quæ palati titillatio requiritur; neque mundi hujus visibilis harmoniam, pulchritudinem, delicias percipere queant, quum ad hoc comparatæ videntur, ut ab anima organorum vario apparatu instructa dignoscantur; et nescio an ullum cum his rebus commercium inire possint, sensuum familiari auxilio destitutæ: sin maxime possint, quare apud ipsas gestorum—" Ad nos vix te-" nuis famæ perlabitur aura," æque ac ab iis, qui e vivis excesserunt?

Deinde antequam corpora ingruunt, quam lotum somnolentam degustant, quo rore Lethæo perluuntur, ut omnium quæ in præcedenti statu egerint, senserint, perceperint, recordationem omnimodam amiserint? Nullo, opinor, morbo laborant lethargicæ hæ animæ tam acuto, nulla agitatione tam fera commoventur, quæ unico instanti memoriæ thesaurum penitus exhauriant, omnesque prævias species ex animæ tabula eradant. Species, inquam, istas, quas absque

corporis ullo influxu aut ministerio acquisitas quomodo corpus auferendo sit, quum postea animæ a corpore separatio etiam violenta, eorum quæ in statu conjuncto gessimus, idque ab eo dependenter, ideas minime excutiat, nec impedimento sit, quo minus multorum memores persistamus? imo mirum est nullos adhuc a superiore vita impressos characteres legi, nec ex animarum ingeniis, proprietatibus, differentiis ullum pristini status signum aut vestigium notabile elucescere. Non enim ex hac scaturigine subtilitatem Itali, Galli inconstantiam, Germani hebetudinem, Scythæ simplicitatem, Dalmatæ ferociam, Cretæ vanitatem trahunt; ad regionum constitutionem, alimentorum temperiem, educationis curam, temporum eventum, casuumque licentiam, ad hujusce naturæ statas leges, aut ad fortuitas circumstantias, dispositiónum omnis varietas et habituum naturalium discrepantiæ exiguntur.

Porro, Si uniuscujusque præexistet anima, cum generandi actus requirit corpus ingressum, quomodo illa præsto est, unde accitur, quo pacto in semen se insinuat? quem fingere possumus Mercurium ψυχαγωγὸν, quo adigente in corporeum carcerem compingitur? invita intrat an sponte? vi compulsa, an impetu suo? conscia quid agat, an ignara? delectu proprio, an alieno? Si sapit, cur levis et libera prius cum sit, ergastulo se includat, mole onerosa vestiat, morbis et mœroribus corporeis se submittat? Si nescit, quomodo callem per avia tenebrarum invenit, nec tritum et satis angustum? quem præmonstrare parentes nequeunt, ipsi animarum quod sint, ubi præstolantur, quot novam provinciam candidatæ ambiant, nescientes? ad hæc evolvenda Deus, ἀπὸ μηχανῆς, scilicet advocetur necesse est: quare autem supremi

Numinis, pro cujusvis pagani arbitrio in cogendis animabus quotidiana deposcitur opera? annon sufficiat naturæ legem certam et fœdus inviolabile sanxisse, fœcunditatem homini se implantasse, concursum ordinarium subministrasse, et verbum ad omnia efficax protulisse, *Crescite et multiplicamini?* ut taceam, videri si assidue Deus in corpora animas cogeret, opus non fuisse, ut quandoque ipsum facti hominis pœniteret, aut diluvium inducendo humanum genus pessundaret, quum nulla naturæ, quam instituerat, lege violata, hoc tantum compulsu intermisso, hæc destructio necessario consequi, scelerumque inde propagatio intercipi potuisset.

Denique postquam anima directoris cujuslibet auspiciis ad luteas ædes ducentem semitam inivit, in semen quomodocunque intromissa, ex qua subito disciplina plastici artificii mirabilem sibi peritiam comparavit, hujusmodi architecturæ prius ignara, nec in effingendis corporibus exercitata? unde tanta statim συμπάθεια emergit, et peregrini hospitis arctus cum materia nexus?, et cur a vinculi parum connaturalis dissolutione tantopere abhorret? quæ omnia cum animam corpori congenitam satis indicant, tum inextricabilis præexistentiæ laqueos innectunt.

Deinde, Hanc opinionem plerique Sancti Patres aperte damnarunt, hosque secuti ecclesiastici doctores. Augustini verba sunt, " Credimus animas nec " esse initio cum angelis, nec simul creatas, sicut " Origenes finxit." Hieronymus; " Nobis nihil placet, " nisi quod ecclesiasticum est, et publice in ecclesia " dicere non timemus, ne juxta Pythagoram ac Pla- " tonem, ac discipulos eorum, qui sub nomine Chris- " tiano introducunt dogma gentilium, dicamus ani-

Lib. de Sp. et An. cap. 40.

ad Hedibiam.

ad Demetr.

" mas lapsas de cœlo esse." Idem alicubi hanc doctrinam peregrinam, alibi impiam et sceleratam vocat, acriter quidem pro more suo. Tertullianus postquam hæreticis quibusdam hoc dogma tribuisset, subjungit, " Doleo Platonem omnium hæreticorum condimen- " tarium factum." Epiphanius; " Illud quoque quis " Origenem dicentem patiatur, quod animæ angeli " fuerint in cœlis, et postquam peccaverint in super- " nis directas esse in hunc mundum, et quasi in tu- " mulos et sepulchra, sic in corpora ista relegatas, " pœnas antiquorum luere peccatorum, et corpora " credentium non templa Christi esse, sed carceres " damnatorum?"

de An. cap. 23.

Epist. ad Joan. Hieros.

Ultimo, Fundamenta infirma sunt, quibus hanc præexistentiam superstruunt adversarii.

Nam, primo, Traditionem allegant, ex profundissima antiquitate desumptam. Philolaus Pythagoricus, *Μαρτυρέονται δὲ καὶ οἱ παλαιοὶ θεόλογοί τε καὶ μάντεις, ὡς διὰ τινὰς τιμωρίας ἡ ψυχὴ τῷ σώματι συνέζευκται.* Ipse Socrates apud Platonem, *Παλαιὸς μὲν οὖν ἐστί τις ὁ λόγος οὗτος οὗ μεμνήμεθα, ὥς εἰσιν ἐνθένδε ἀφικόμεναι ἐκεῖ, καὶ πάλινγε δεῦρο ἀφικνοῦνται.* Cicero; " Ex quibus humanæ " vitæ erroribus atque ærumnis fit, ut interdum ve- " teres illi sive vates, sive in sacris initiisque traden- " dis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua " scelera suscepta in vita superiore pœnarum luenda- " rum causa natos esse dixerunt, &c."

apud Eugub. in Phœd.

In Hortens. apud Aug. l. 9. contr. Jul.

Quos hi antiquos vates, quos theologos intelligunt, præexistentiæ prædones, non admodum constat: inter Homeri et Hesiodi figmenta nusquam comparet, unde nec Orpheum et Musæum sic institutos improbabile fuerit, quos Græca theologia patres atque antistites agnoscit; an igitur Pythagoram ipsum de quo Ovidius,

15. Metam.

—— primusque animalia mensis
Arguit imponi, primus quoque talibus ora
Docta quidem solvit, sed non et credita verbis, &c.

An vero potius Ægyptios sacerdotes; a quibus τῆς μετενσωματώσεως doctrina imbutum Pythagoram author est Herodotus? Respondeat pro me Tertul-
28. de An. lianus: " Nullus sermo divinus, nisi Dei unius, quo " prophetæ, quo apostoli, quo ipse Christus intonuit: " multo antiquior Moses etiam Saturno, nongentis " circiter annis, nedum pronepotibus ejus; certe divi- " nior multo, qui decursus generis humani ab exordio " mundi quoque per singulas nativitates nominatim " temporatimque digessit."

Sane nobis nihil pensi est hujusmodi spurias, malefidas, multorumque portentorum obstetrices historias rejicere; quibus si legitimam originem assignare volumus, non aliunde fortassis repetenda erit, quam ex institutione Mosaica perperam intellecta: quæ cum primi hominis animam a supremo numine inflatam perhibeat, quid mirum si cœleste illi genus ascripserint; inde a cœlo delapsam autumarint: vel potius, primum hominem in paradiso collocatum fuisse, ibi Dei immorigerum extitisse, deinde ex amœnissimo horto ejectum exulasse; hisque cohærentia cum audiverint, quid fabularum præstigias affectantibus facilius erat quam elysium terrestre in cœleste palatium evehere, quodque revera uni homini acciderat, ad omnes transferre? Sed et priscorum Hebræorum suffragia advocant, quorum complures hoc dogmate imbutos ex Josepho, Philone, Talmudistis certum, e sanctioribus literis probabile est: quod innuit Ju-
Joan. ix. 2. dæorum illa quæstio, Τίς ἥμαρτεν, οὗτος, ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ,
viii. 20. ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ; illudque authoris Sapientiæ, μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν ἦλθον εἰς σῶμα ἀμίαντον· Josephus de Esse-

nis, Καὶ γὰρ ἔῤῥωται παρ' αὐτοῖς ἥδε ἡ δόξα, φθαρτὰ μὲν εἶναι τὰ σώματα, καὶ τὴν ὕλην οὐ μόνιμον αὐτοῖς· τὰς δὲ ψυχὰς ἀθανάτους ἀεὶ διαμένειν, καὶ συμπλέκεσθαι μὲν ἐκ τοῦ λεπτοτάτου φοιτώσας αἰθέρος, ὥσπερ εἱρκταῖς τοῖς σώμασιν, ἴυγγί τινι φυσικῇ κατασπωμένας· idem Pharisæis tribuit, quod opinati fuerint, Ψυχὴν πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην. Quid igitur? an propter horum suffragia Pythagoricam animarum translationem amplectemur? quam nescio an ab ethnicis philosophis, vel a sacerdotibus Ægyptiis mutuati fuerint; certe nec a Mose, neque ex sanctorum prophetarum scholis edidicere. Enimvero quadrat, et fortassis huc ex scribentis proposito collineavit admonitio illa Paulina, Βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, καὶ οὐ κατὰ Χριστόν.

De B. J. ii. 8, 11.

Col. ii. 8.

Nonnullos etiam S. scripturæ locos citat Origenes, *Peccavi antequam humiliarer*, hoc est, antequam in corpus descenderem; *subjecta est creatura vanitati*, id est, corpori; et aliquot alios in commenti sui patrocinium allegorica expositione detortos; a quibus excutiendis, atque ab aliena interpretatione vindicandis, non est quod diutius immorer. Superflua res esset, et pene infinita, et quod sancti Patres abunde præstiterunt.

Secundo, Rationibus decernunt, quarum palmaria est, quod divinæ justitiæ hinc optime consuli, hac sola clave providentiæ adyta reserari posse videantur. Nam si hanc vitam nihil animæ præcessit, ergo nec meriti. Cujus igitur justitiæ fuit, misellas animas in corpora tot infirmitatibus obnoxia constringere, ad statum tot molestiis involutum damnare? Cur ipsa nascendi lege proclivitate in vitia tam obstinata fe-

Not. in quo statu Cain peccavit? et ii qui statim ab ortu, &c.

runtur, ad virtutes adeo aversæ ac contumaces? cui infelicitati tantarum gentium, totque seculorum pene fatalis barbaries imputanda est? unde naturam tam aspere novercatur, fortuna tam ferociter insultat mortalibus, nisi quod anteactæ vitæ pœnas damus, veteresque nequitias ultricibus furiis divinæ Nemesis flagra persequuntur?

Respondeo, primo, Si hæc doctrina justitiæ divinæ illustrandæ tantopere inserviret, cur prophetis Dei intimis non innotuit? quare in sacris oraculis sæpius clariusque non inculcatur? præcipue in evangelio, de quo Sanctus Paulus, Δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται· quum maxime intersit, ut de divina justitia recte sentiamus, cum illius elucidandæ multiplex succurrat occasio, et in eo sacræ scripturæ plurimum occupentur. Imo,

Rom. i. 17.

Secundo, Horum accidentium aliæ causæ exprimuntur, in quibus parentum contumacia, inobedientia, neglectus, præcipue Adami: ex quo semine non alibi quam nostro in loco, ab ipso pene nascentis mundi primordio, hæc nobis malorum seges pullulavit.

Tertio, Barbariem, inscitiam, et peccandi proclivitatem quod attinet, has non omnino necessarias et prorsus inevitabiles esse docet demonstratque apostolus ad Rom. i. 19, 20, Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς· ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσεν· Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. Quid enim si homines naturali lumine et facultatibus divinitus concessis abutantur, quibus ad Dei notitiam, virtutisque amplexum aspirare possint, ea propter divina providentia injuriæ est arcessenda? an Deus homines e cunis perfecte

sapientes, infallibiliter justos, et prorsus ἀναμαρτήτους, condere debuit? Quin potius si rationis judicium consulere nolunt, conscientiæ dictamina respuunt, primævæ lucis scintillas extinguunt, naturæ leges violant, exemplorum pessima imitantur, seque improbis moribus totos devovent, non tam antiquorum criminum rei sunt, quam recentibus implicantur, quorum aut adimere potestatem, aut effectum impedire, nullo Deus jure tenetur, nullo pacto obstringitur: imo non tam puniendorum, quam probandorum hominum gratia hæc permittere potuit; et quidem permisit: Act. xiv. 16, Ὃς ἐν ταῖς παρῳχημέναις γενεαῖς εἴασε πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν· et Act. xvii. 30, τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδὼν ὁ θεός.

Quarto, Humanæ vitæ miserias atque ærumnas, hoc est, naturales defectus, morbos, egestates, infortunia, querula petulantia providentiæ increpantes apostolicum fulmen retundit, Μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι, Τί μ' ἐποίησας οὕτως; Etiam brutis animantibus communia sunt, quorum animas rationis unquam participes, et peccandi consequenter compotes fuisse, aut e supernis sedibus in corpora relegatas, quis tam absonus est ut dicat, tam audax, ut propterea divinam insimulet justitiam? Neque est quod hæ afflictiones tantas tragœdias excitent, quæ tam immanes non sunt, ut facile tolerari nequeant, ut propterea vitam respuant homines, mortemque avertere non satagant, ut plerunque grandioribus commodis non compensentur. Denique hæc mala ad bonos usus transferri, ad morum medelam facere, in virtutum occasiones converti, ad stultitiam arguendam, compescendam arrogantiam, intemperantiam coërcendam, ad conciliandam prudentiam, acu- Rom. ix. 20.

endam fortitudinem, exercendam patientiam, animumque corroborandum conducere possunt: ut præteream ex his plurima non esse Θεόπεμπτα, sed ab hominum in se stolida pravitate accersi: quo pacto nodum dissolvit Homericus ille Jupiter,

Od. α'. 32. Ὦ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται,
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.

Quinto, Status ille animarum quicunque præcessisse supponatur, etiam peccatis, doloribus, defectibus subjacere debuit, ut reatus contrahi, et supplicii obligatio emergere possit: an idcirco ut justitiæ ac providentiæ idonea ratio reddatur, hoc alio priori comminisci oportet, istoque itidem priorem alterum, et sic in infinitum?

Sexto, Christus divinæ dispensationis mysterium aliter interpretatur. Nam, cur quis cæcus natus fuerat, sciscitantibus Pharisæis, respondet, non ob
Joan. ix. 3. præcedentia peccata contigisse, ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτῷ. Reliquarum calamitatum non absimilis est ratio; instruendis hominibus, gloriæque divinæ illustrandæ inserviunt, nec tam a præteritis malis fluunt, quam ad futura bona diriguntur.

Septimo, Si corpus animæ carcer sit, non commodum diversorium, et vivere pœna sit, non beneficium; quo gratiæ evanescunt, quas authori vitæ Deo debemus, quasque parentibus divinæ δημιουργίας instrumentis persolvimus? frustra ab apostolo celebratur,
Act. xvii. 25. ὁ διδοὺς πᾶσι ζωὴν, καὶ πνοὴν, καὶ τὰ πάντα. Nec ab eodem
xiv. 17. minus incongrue dicitur Deus ἐμπιπλῶν τροφῆς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν, (i. e. viventium.) Melius
Job. x. 12. non exclamasset Job, *Vitam et misericordiam tri-*
Ps. cxix. 73. *buisti mihi.* Tacuisset David, *Manus tuæ finxerunt et præparaverunt me.* Immeritis laudibus tot hym-

ni personant; in ludibrium abiit conformati hominis solennis historia, illudit nobis hæc mundi concinna fabrica, magnificus apparatus; custodia est, non theatrum libertatis. Neque denique ibi vita communicata tam Creatoris beneficentiam suspicere est, quam Vindicis severitatem perhorrescere.

Quibus, octavo, subjungo illa Epiphanii contra Origenem disputantis, "Si hoc verum est, ubi est "fides nostra? ubi præconium resurrectionis? ubi "apostolica doctrina, quæ in ecclesiis Christi hucusque perdurat? ubi illa benedictio ad Adam et ad "semen ejus, et ad Noe et ad filios ejus, *Crescite et "multiplicamini, et replete terram?* Jam enim "non erit benedictio, sed maledictio, juxta Origenem, qui angelos vertit in animas, et de sublimi "fastigio dignitatis facit ad inferiora descendere; "quasi Deus non possit animas per benedictionem "dare, nisi angeli peccaverint, et tot in cœlo sint "ruinæ, quæ in terra nativitates."

Nono, Justitiæ convenit, ut delictorum, ob quæ sontes plectuntur, non aboleatur memoria; cum ut ad qualemcunque resipiscentiam ex reatus conscientia et pœnæ sensu perducantur, tum ut justitiæ ultricis majestatem agnoscerent, discerentque "justitiam "moniti, et non temnere divos:" quo spectat illud Tertulliani, "Evacuabitur ratio judicii, si meritorum "deerit sensus. Igitur cum olim peccatum esse "non agnoscimus, cur pœnam inde infligi censea-"mus?" Vid. Just. in Tryph.

Ultimo, Ex admissa præexistentia non minus inextricabiles difficultatum labyrinthi oriuntur. Cur enim Adami anima nunquam præextitit, Caini unum atque alterum annum, Pharaonis per aliquot secula, Judæ anima sero in corporeum pistrinum conjecta

est? et in universo aliquæ ad pœnas subeundas præcoces, aliæ tamdiu immaturæ sunt? Cur sæpe, ut videtur, meliores animæ temperiem corporis languidam, dubiam, infirmam sortiuntur, longe pejores sanis, vegetis, robustis corporibus donantur? Unde apud Indos, Mauros, Æthiopes, reliquasque barbaras gentes, dociles animi, benignæ indoles, felicia ingenia, apud Christianos aliosque populos moraliores contraria dispositione præditæ animæ nascuntur? Qualia problemata ex præexistentiæ hypothese difficulter, ex naturæ lege ordinaria, ejusque pluriformibus circumstantiis multo facilius solvuntur.

Tertio, Præexistentiam Platonici ex notionibus quibusdam deducunt, quas tanquam rudera præcedentis ruinæ, pristinæque scientiæ reliquias, etiamnum superstites volunt. Item ex humanæ mentis docilitate, quæ non tam prompte disciplinas arriperet, nisi quas prius calluisset; quæcunque quæ interciderat memoria, ex mentis agitatione reviviscit: qui arguendi modus Ciceroni vehementer arrisit, Tuscul. quæst. 1. "Habet autem (anima) primum "memoriam, et eam infinitam, rerum innumerabilium, "quam quidem Plato recordationem esse vult superioris vitæ:—nec fieri ullo modo posse, ut a pueris "tot rerum atque tantarum insitas et quasi consignatas in animis notiones, quas ἐννοίας vocant, haberemus, nisi animus, antequam in corpus intravisset, "in rerum cognitione viguisset." Libro de Senectute, c. 21. "Magno est argumento homines scire pleraque "antequam nati sint, quod jam pueri, quum artes "difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles "arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari." Sed contra, nullas ejusmodi ἐννοίας animo inhærere verisimile est, quas

mentis opera, sensus adminiculo, a recentis vitæ exordio non acquisivit. Axiomata enim, et prima veritatis principia, quæ perspicuitate sua communem assensum merentur, vel ex terminorum genuina significatione, vi sibi indita, protinus apprehendit, aut ex quotidiana observatione facile dignoscit; reliquas autem ex his pendulas conclusiones non temere, et ex idearum fortuito occursu, sed nativæ sagacitatis virtute elicit, per consequentiarum successivam seriem operoso progressu discurrendo: imo si præcessisse aliquem animæ statum supponamus, has ipsas notiones tum aut ei primitus impressas, aut ab intellectus naturali facultate excusas, vel a jugi experientia desumptas oportuit, ne oblivionum scilicet ac reminiscentiarum perpetuas reciprocationes fingendo in infinitum regrediamur. Cum igitur cognitio omnis aliquando nova esse debuit, et animus præsens scientiæ omni, quam possidet, adipiscendæ par sit, neque aliter jam discit, quam in superiore statu didicisset; quidni hic opportune terminum figamus, neque in seculorum, quæ dudum affluxere, obscuras profunditates frustra nos immergamus? Cum sane illius, si qua est, elapsæ vitæ tam exilis, aut potius nulla est recordatio, ut merito canat Platonicæ sententiæ fautor ac interpres poëta,

> —— animæ, quibus altera fato
> Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam
> Securos latices, et longa oblivia potant.

Ultimo, Alios existendi modos destruendo, præexistentiam astruere conantur. Idcirco enim animas a Deo creatas infundi negant, quia puram, insontem, immaculatam, qualis e divina manu procederet, in corpus immundum et vitiosa labe contaminatum immitti, totque confestim morbis et miseriis ineluc-

tabilibus nullo suo merito addici, nefas, atque divinæ justitiæ contrarium ducunt: ut et Deum ad actum creationis sublimem, liberum, peculiarem, adulterorum quocunque arbitrio, incestorumque temeraria libidine determinari, fore incongruum. Nec minoribus difficultatibus involutam animarum ex traduce propagationem arguunt; nam ex eo consequi aut animas a parentibus creari, aut si ab eorum substantia discerpantur, divisibiles esse, quorum illud idioma Dei incommunicabile creaturæ adjudicat; hoc animarum dignitati, simplicique naturæ derogat. Sed quoniam contra præexistentiam satis prolixe disputavimus, neque e reliquis aliquem existendi modum propugnandum suscepimus, et auditorum patientiæ consultum volumus, sufficiat utcunque probatum dedisse, quod animæ humanæ corporibus non præexistunt.

DE POTESTATE CLAVIUM.

MATT. xvi. 19.

Et dabo tibi claves regni cælorum.

MODUS, quo Christus, ecclesiæ Rex, hanc ordinat atque regit, illi perquam affinis est, quo Deus mundi Dominus ipsum moderatur. Mundum Deus partim immediato providentiæ suæ nutu temperat, partim intercedente delegatorum suorum, et quasi proregum visibilium (quos variis regni sui provinciis præfecit), opera curaque vicaria administrat. Horum (a Deo accepta authoritate simul ac imposito officio) partes sunt, sub Rege summo, in suo quemque districtu, secundum ab ipso præstitutas æqui bonique regulas, ipsius ita gubernare subditos, cum ut imprimis omnibus qua licet modis Dei promoveatur honos, tum ut proxime salus hominum procuretur; allaborantibus iis, ut et Deus ubique summa reverentia colatur, et homines vita secura, tranquilla, commoda perfruantur: quinetiam horum præfectorum unusquisque commissi sibi gregis utilitati speciatim ita prospicere debet, ut simul omnes aliquatenus universi generis humani commoda respiciant, cum reliquis hominibus pacem, amicitiam, innocuum beneficumque commercium fovendo, versusque cunctos, quibuscum eos rem habere contingit, humanitatis officia et æquitatis leges observando: illis porro Dei vicariis quæ committitur authoritas, omnimodam complectitur ad illos consequendos fines necessariam, vel utcunque requi-

sitam potestatem, leges æquas et idoneas sanciendi, judicia exercendi, dispensandi præmia, pœnas infligendi, sic ut hisce subditi, juxta Dei voluntatem et ex divini juris vigore, sese morigeros præstare teneantur. Adsimili ratione, ecclesiæ caput et absolutus rector Christus (cui scilicet *omnis in cælo, supraque terram potestas est donata*) spirituale regnum suum dispensat, partim immediate sui Spiritus directione et efficacia, partim legatorum et præsidum suorum (τῶν ἡγουμένων, τῶν προεστώτων, τῶν ἀγγέλων, "judicum vice Christi," quos vocat Cyprianus, τῶν τοῦ σωτῆρος ἐπεχόντων πρόσωπον, ut ait Basilius[a]) ministerio, quos ipse variis ecclesiæ suæ provinciis præposuit, authoritate sic instructos, ut eo modo res ecclesiasticas ordinare possint atque debeant, qui cum ad Christi provehendam gloriam, tum ad populi Christiani bonum procurandum maximopere conducat[b]; scilicet, ut imprimis Regi Christo debita reverentia concilietur, ut ejus mandatis integrum deferatur obsequium, ut ipsius regnum in optimo statu conservetur atque floreat, quin et indies accrescat et prolatetur; tum ut ejus subditi (quibus in rebus ipsorum vertitur salus, et bonum præcipuum) ad officium suum peragendum instructione requisita dirigantur, et monitis opportunis excitentur; a peccatis muniantur, et perficiantur in sanctitate; quoque modo demum quam optime præparentur ad æternam illam, ad quam (Dei benignitate gratiosa) destinantur ac

Mat. xxviii. 18.

Epist. 55.

2 Cor. xiii. 10.

[a] Ὁ γὰρ καθηγούμενος οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ ὁ τοῦ σωτῆρος ἐπέχων πρόσωπον. Basil. Const. Monast. cap. 22.

[b] Nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, quando habeat in ecclesiæ administratione voluntatis suæ liberum arbitrium unusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus. *Cypr. Ep.* 72.

invitantur, felicitatem occupandam. Hi vero Christiani regni dispensatores, ita quisque propriam, quam nactus est, Spartam singillatim obire debet ac ornare, totius ut interea corporis utilitati consulat atque studeat, cum reliquis fidelibus "communicationem pacis," ut cum Tertulliano loquar, et "appellationem fraternitatis," et "contesserationem hospitalitatis" servando; hoc est, concordiam mutuam obnixe colendo, propensamque versus universos Christi cultores charitatem exercendo; quinetiam ipsis quæ a Christo demandatur authoritas, omnimodam continet ad ista complenda requisitam potestatem: penes ipsos est (in sua penes unumquemque provincia) leges aut regulas salubres præscribere, causas emergentes decidere, præmia distribuere, sed et pœnas irrogare (officii nempe sui spiritualis naturæ consentaneas, et ejusmodi proposito accommodatas), ita demum, ut etiam hujusce regni populus, e Christi Domini mente jussuque, legibus istis parere, decisionibus acquiescere, censuris subjacere constringantur.

De Præscript. c. 20.

Heb. xiii. 17. Matt. xxiii. 2.

Hæc vero potestas (magna saltem ex parte) multis ab inde seculis appellari consuescit *potestas clavium*, ex illis, quæ legi, verbis adsumpta nomenclatura; quibus in verbis Sancto Petro pollicetur Dominus, se regni cœlestis claves ei donaturum: circa quod seu promissum (seu prædictum) illud imprimis observandum venit, quod licet uni Petro (verborum ad formam et sonum attendendo) factum videatur, revera tamen commune sit, et ad ecclesiam totam ejusque rectores pertineat: nec enim occasio promittendi Petrum unice spectabat, neque causa propter quam promitteretur Petro suberat peculiaris; nec alligabatur uni Petro promissi materia; nec in Petrum denique solum derivatus est ejus effectus. Occasio-

nem quod attinet; interrogavit omnes (quotquot aderant) discipulos Christus, ***Vos autem quem me dicitis esse?*** Petrus e more suo (utpote præ reliquis promptus et fervidus; πρόθυμος et θερμὸς, ut ait Chrysostomus, vel ut inter illos ætatis, vocationis, aut alia nescio qua ratione quodammodo præeminens; ut πρόεδρος, adeoque πρόηγορος) e vestigio præsultans responsum arripit (προπηδᾷ καὶ προλαμβάνει, ait Chrysostomus), id omnium nomine dictans, quod indubie cuncti senserunt, uti colligitur e capite 14. ubi succlamant omnes, ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς εἶ, quanquam Bellarminus (satis id audacter et temere) quid potissimum responderent ignorasse cæteros, haud veritus est oggerere; sane quum, apud S. Johannem, simili (fortassis eadem) ex occasione confessionem hic apostolus prorsus eandem ederet, expressum habetur; Ἡμεῖς, inquit, πεπιστεύκαμεν καὶ ἐγνώκαμεν, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος· ita tunc exerte, nunc autem implicite Petrus, velut Apostolorum os (quo illum nomine cum hic, tum alibi Chrysostomus insignit), "pro omnibus loquens, et ecclesiæ voce respondens" (uti loquitur B. Cyprianus). Suppar est causæ promissum hoc velut elicientis ratio: quod nempe Petrus Christum Dei Filium esse cognoverit, crediderit, et confessus sit: "Mercedem" (inquit Hieronymus) "accepit vera confessio:" Petro revelatum id dicitur; cunctis hoc fidelibus æque competit; nec enim quisquam ***nisi per Spiritum S. Jesum appellare potest Dominum; Omnisque spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est:*** firme credidit, et clare professus est illud Petrus; idem facere Christianis omnibus ex æquo convenit et incumbit: ***Quis enim est, qui mundum vincit, nisi qui credit Jesum esse Filium Dei? Corde creditur***

—qui sibi fidit Dux regit examen.

Matt. xiv. 33.
De Pontif. Rom. i. 12.
Quum pro omnibus responderet.
Tertull in Marc. iv. 21.
Joh. vi. 69.
Ἕκαστος ἦν τῶν ἀποστόλων, καὶ στόμα τῶν μαθητῶν καὶ πορφὴ τοῦ χοροῦ.
Chrys. in Joh. xxi. 15.
Cypr. Ep. 55.

1 Cor. xii. 3.
1 Joh. iv. 2.
Gal. i. 12.

1 Joh. v. 5.
Rom. x. 10.

ad justitiam, et ore fit professio ad salutem: nihil igitur hac ex parte Petro fuit proprium, nullum hic singularis privilegii fundamentum habetur. Neque si rem ipsam expendimus, aliquid Petro delatum constat, aut exhibitum, quod non et aliis æque competit, ac alibi diserte tribuitur: affirmat Christus sese super Petrum, ceu rupem firmam (super Petrum; etenim istum sensum, ut aliquatenus simpliciorem, ut Petri saltem prærogativæ, si qua fuit, faventiorem, haud respuimus), ecclesiam suam extructurum; hoc est ejus imprimis opera efficace se multos in cœtum sibi fidelem ac obsequentem, divina protectione conservandum, compacturum; se Petri prævalido testimonio, impigroque studio ac labore, *domum* suam (quam in Epistola sua vocat ipse Petrus) spiritualem erecturum: hoc autem reliquis apostolis (quin et omnibus ecclesiæ doctoribus aliquatenus) congruere res ipsa clamat, et expresse docetur: nam in Apocalypsi, duodecim fundamentis innitens describitur urbis cœlestis murus, quibus totidem apostolorum inscribuntur nomina; et apostolorum atque prophetarum fundamento inædificari ecclesiam astruit S. Paulus; idemque vocat eandem *ædificium Dei*, cujus ipse velut sapiens architectus fundamentum posuerat.

1 Pet. ii. 5. Rom. xv. 20. Apoc. xxi. 14. Eph. ii. 20. 1 Cor. iii. 9, 10.

Pollicitus est etiam Petro Dominus (id quod phrasis propositæ sensum explicat), quicquid is super terram alligarit, id in cœlis alligatum fore; quicquid ille solverit hic, id ibi fore solutum: idem hoc explicite verbis prorsus iisdem ecclesiæ spondetur Matt. xviii. quin et verbis æquipollentibus alibi discipulis suis promittitur a Christo, Joh. xx. Sed et illa nedum promissa, sed et ipsis exhibita, ab ipsis exercita luculente constat. Nam si denuo promissi respiciantur effectus, nil hujusmodi peculiare quippiam accepisse

Matt. xviii. 18. Joh. xx. 22, 23.

Petrus vel præstitisse deprehendetur, quod non et alii pariter acceperint et usurparint. Nihil ille juris supra reliquos collegas adsumpsit sibi, vel exercuit: id innuit Christus, ubi scribarum ambitionem sugillans, subdit; Εἷς ἐστιν (inquit) ὑμῶν ὁ καθηγητὴς Χριστὸς, πάντες δὲ ὑμεῖς ἀδελφοί ἐστε· liquido testatur id universus tenor historiæ apostolicæ: sed et aperte significat S. Paulus, ubi de seipso prædicat, nihil ipsi defecisse, quod sibimet apostolorum præcipui possent vindicare (οὐδὲν ὑστέρησα τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων): ubi quoque (quasi solicite caveret, et obviam iret illorum commento, qui non immediate collatam, sed a Petro derivatam volunt in reliquos apostolos hanc potestatem) se nec ab hominibus, neque per homines (οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπων), apostolum esse constitutum asserit, ast immediate Christo ipsi Deoque Patri suam acceptam referre potestatem apostolicam; ubi sibi cunctarum ecclesiarum curam incumbere testatur; ubi denique se Petro nominatim exerteque comparat, neque sibi minus potestatis aut officii concreditum innuit in sua provincia, quam Petro in sua.

Matt. xxiii. 8.

2 Cor. xii. 11.

Gal. i. 1.

2 Cor. xi. 28.

Gal. ii. 7.

His expensis, haud immerito censetur hoc quicquid est potestatis (clavium nomine designatum) non in Petrum personaliter (hoc est restrictive, vel exclusive) consideratum, sed quodammodo repræsentative (communis ex fidei, vel communis officii ratione), vel quatenus is aliorum omnium simili conditione gaudentium, similive munere fungentium quasi vices obiret, aut sustineret personas, conferri, vel conferendum promitti: in Petrum, tanquam strenuum fidei confessorem, eximium ecclesiæ fundatorem, gnavumque pastorem; fere juxta quod ita commentatur Origenes; "Quod si nos loquimur idem quod Petrus loquutus "est, efficimur Petrus; et nobis dicetur, *tu es Petrus:*

In Matt. Tract. 1.

" Petra enim est quisquis est discipulus Christi." Vel si Petrum directe spectent hæc verba, saltem ea interpretative vel consecutive non minus ad alios pertinere, quibus ex rationis paritate, vel officii similitudine conveniunt; præsertim reliquis apostolis, qui (ut B. Cyprianus ait) " hoc erant quod fuit Petrus, " pari consortio præditi, et honoris et potestatis:" in ecclesiam adeo totam finaliter (hoc est, in ejus gratiam et beneficium) collatum est, formaliter autem (hoc est, quoad ejus usum et exercitium) iis præsertim concessum intelligatur, quibus ecclesiæ propagandæ conservandæque cura demandatur, et officium incumbit. Ita certe rem accepere veteres; e multis, quæ protulerunt huc spectantia, paucula quædam allegabimus: Tertullianus; " Si adhuc clausum putas " cœlum, memento claves ejus hic Dominum Petro, " et per eum ecclesiæ reliquisse, quas hic unus- " quisque interrogatus atque confessus feret secum." Ita Pater ille prædoctus, e communi sententia, ut videtur; quam tamen alibi, Montanismo penitius infixus, ut ejus *ὑποθέσει* serviret, retractavit; nam libro de Pudicitia, ordinariam in ecclesia peccata remittendi potestatem convellens, ac eapropter asserens apostolos non ex disciplina, sed ex potestate (mirifica scilicet aut prophetica) id fecisse, sic infit: " De tua " nunc sententia quæro, unde hoc jus ecclesiæ usur- " pes; si quia dixerat Petro Dominus, *Super hanc* " *Petram*—idcirco præsumis et ad te derivasse sol- " vendi et alligandi potestatem, id est, ad omnem ec- " clesiam Petri propinquam, qualis es, evertens atque " commutans manifestam Domini intentionem, per- " sonaliter hoc Petro conferentem."—Ita tunc is, et in eam mentem plura pro fanaticis Montani deliriis adversus ecclesiam disputans. Cyprianus, Epist. 27.

De Unit. Eccl.

Scorp. in Gnost. cap. 10.

De Pud. c. 21.

" Dominus noster, cujus præcepta et monita obser-
" vare debemus, episcopi honorem, et ecclesiæ suæ
" rationem disponens in evangelio loquitur, et dicit
" Petro, *Ego tibi dico*—Inde per temporum et suc-
" cessionum vices episcoporum ordinatio, et ecclesiæ
" ratio decurrit, ut ecclesia super episcopos constitu-
" atur, et omnis actus ecclesiæ per eosdem præpositos
" gubernetur." Firmilianus, Cæsareæ Cappadocum episcopus, apud Cyprianum, Epist. 75. hunc citans locum, subjicit: " Potestas peccatorum remittendorum
" apostolis data est, et ecclesiis, quas illi a Christo
" missi constituerunt, et episcopis, qui eis ordinatione
" vicaria successerunt." B. Ambrosius, Epist. 83.
" Claves illas regni cœlorum in B. Petro cuncti sus-
" cepimus sacerdotes." Augustinus in Johannem:
Tract. 118. in Joh. " Petro dicitur, *Tibi dabo claves regni cœlorum*,
" tanquam ligandi et solvendi solus acceperit potes-
Tract. 124. " tatem, cum et illud pro omnibus dixerit, et hoc
" cum omnibus, tanquam personam gerens unitatis,
" acceperit." Rursus: " Quando ei dictum est, *Tibi*
" *dabo claves*—universam significavit ecclesiam;"
Tract. 50. Et, " Si in Petro non esset ecclesiæ sacramentum,
" non ei diceret Dominus, *Tibi dabo claves*—si hoc
" ergo—in ecclesia fit, Petrus quando claves accepit,
" ecclesiam sanctam significavit." Basilius in Constit.
Const. Mon. cap. 22. Monast.—Πᾶσι δὲ τοῖς ἐφεξῆς ποιμέσι καὶ διδασκάλοις παρέχει ἴσην ἐξουσίαν· καὶ τούτου σημεῖον τὸ δεσμεῖν ἅπαντας, καὶ λύειν ὥσπερ ἐκεῖνος. Theophyl. Εἰ καὶ πρὸς Πέτρον μόνον εἴρηται τὸ, δώσω σοι, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς Ἀποστόλοις δέδοται.—E quibus præstantium veteris ecclesiæ magistrorum dictis de illius sensu constare videtur: itaque jam ratum habeatur promissam hic, et aliquando proinde commissam fuisse potestatem hanc Clavium nomine designatam; id quod ex ejus natura,

usu, scopo verisimilius evadet; quæ modo nobis breviter instituimus exponenda, methodum hanc insistentibus; primo, Nomen ejus; secundo. Objectum seu terminum: tertio, Phrases æquipollentes, quibus exprimitur, aut explicatur: quarto. Praxin ejus et exercitium in ecclesia primæva: quinto. Ejus instituendæ originem, vel exemplar in ecclesia Mosaica; sexto, Ejus necessitatem, et utilitatem (hæc, inquam, vel horum partem aliquam nunc pro modulo temporis et nostro) perstringemus.

I. Clavium nomen (metaphoricum cum sit) significat eo denotatam rem e natura sua, vel quoad aliquam proprietatem suam, ipsi præsertim intimam et nobis obviam, claves referre. Claves autem, velut organa certis usibus destinata, nullam obtinent naturam aut proprietatem aliam immediatam, quam ut aditum, sive transitum, qui est ab uno loco in alium, muniant, illum vel recludendo, vel occludendo; illarum consequenter effectus proximi et primarii sunt vel introitum aut admissionem præbere; vel egressum prohibere, seu introrsum detinere; vel aditum obstruere, et ab intrando arcere: horum igitur actuum omnes aut aliqui (vel iis analogum et agnatum quiddam) huic potestati, quo nomen hoc apte sibi adsciscat, congruere debent, respectu loci seu status, quem ipsa respicit: per eam adeo jus habetur vel in regnum cœlorum admittere, vel in eo detinere, vel ab eo excludere, cum nihil aliud firme suppetat, propter quod hoc nominis indipisci potuerit. Enimvero cernimus, cum similes ad casus illustrandos adhibetur hæc metaphora, horum effectuum nonnullos interpretandi causa adjectos: ita cum in Apocalypsi de sancto illo et verace (de Servatore nempe nostro) dicitur ipsum habere *clavem Davidis*, subjicitur,

Apoc. iii. 7. Is. xxii. 22.

Aperit et nemo claudit; claudit et nemo aperit: cum et Dominus Judæorum legisperitis improperat, eos *clavem abstulisse scientiæ*, dicti sui mentem elucidat, subdens: *Ipsi non intrastis, et eos qui intrabant prohibuistis*; itidem de scribis ait: *Claditis regnum cœlorum* (locum scilicet haud alium ab eo de quo nunc agimus) *ante homines*; quid hoc? exponit: *Vos enim*, addit, *non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Unde colligi potest, hanc potestatem in eo præcipue sitam esse, ut in locum, quem respicit, adducat, vel ab eo secludat quomodocunque; de quo loco proxime dispiciendum est; etenim talis sit potestas hæc oportet, qualem rei, quæ regnum cœlorum appellatur, natura capit aut exigit.

Luc. xi. 52.

Matt. xxiii. 13.

II. Regnum cœlorum, e Novi Fœderis usu, duos præcipue sensus accipit: imprimis crebro designat religionis sub evangelio statum, prout is a rerum conditione distinguitur, quæ sub antiqua lege vigebat. Sub legis Mosaicæ tempora Dei regnum quodammodo terrestre fuit: *Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus; factus est in Salem locus ejus, et habitatio ejus in Sion.* In Hierosolymis (*magni Regis civitate* quæ dicitur) velut in arce regia, imperiique sui metropoli, residebat Deus; Ei quod illic extabat templum quasi palatii loco fuit, pro solio (præsentiæ specialis loco) tectum fuit, arcæ sacræ Cherubinis interjectum: inde subditos gubernare videbatur, edictis extra ordinem subinde promulgatis, hoc est, oraculis, per temporum occasiones, in sacerdotum atque prophetarum ipsum consultantium ora infusis. Leges imposuit, ex magna parte carnales (ἐντολὰς σαρκικὰς, ut est apud Apostolum ad Hebræos) et terrenas: visibilia potissimum tributa (cultum crassum et corporeum) exegit atque

Psal. cxiv. 2. cxlvii. 19. lxxvi. 2.

Ps. xci. 1, &c.

Heb. vii. 16.

etulit a subditis; privilegia, beneficiaque terrena oncessit et elargitus est illis; ad legum suarum bservantiam terrestrium præmiorum pollicitatione xcitavit et allexit; ut et ab inobedientia præsentia amna pœnasque temporales interminando deterruit; erbo, nihil fere non sub illa dispensatione (saltem mmediate, quoad primam speciem) terrestre videatur ac temporale, præsentem hanc in terris vitam espiciens. Verum sub evangelica constitutione prout egnum Dei capacius et illimitate protensum evasit, Joh. iv. 24. Rom. xiv. 17.
ta nullum Deus adsumpsit sibi peculiarem in terris esidendi locum, nec aliter jam præsidet, aut colitur, uam ut in cœlo (nativa quasi majestatis suæ gloiæque sede) residens, et lucem habitans inaccessam; er legem mortalibus imperitat perpetuam et immuabilem, inde delatam; hostias jam et adorationes 1 Pet. ii. 5.
xposcit maxima ex parte spirituales, eo dirigendas; rivilegiis et beneficiis spiritualibus subditos ornat Eph. i. 3.
bstringitque; eos præmiis ad obsequium invitat Joh. xviii. 36.
n cœlo conferendis, ab impietate pœnis subducit ost hanc vitam inferendis; breviter, nihil fere jam nculcatur non cœleste vel æternum: hic itaque erum status apte *regnum cœlorum*, *regnum Dei*, *regnum Christi* (regnum veniens et appropinquans, ἡ ἐρχομένη, ἡ ἐγγίζουσα βασιλεία, tunc utique cum in Matt. iii. 2. iv. 17. vi. 10. x. 7.
erris ipse Christus Rex noster humiliter versaretur; at vero jam regnum præsens, postquam Christus ad Luc. ix. 27. xix. 11. xxi. 31, 32.
cœlestem thronum evectus, ibique juxta Patris omnipotentis dextram residens, inde super omnia longe Matt. xii. 28.
lateque dominatur); in quod regnum transferri, ad Colos. ii. 9.
cœlestem Hierusalem accessisse, concives et cohæredes evasisse sanctorum in luce degentium, in cœlo 1 Cor. xv. 27. Colos. i. 12, 13.
πολιτεύεσθαι, cœlestis vocationis participes fieri, cum Heb. xii. 22. iii. 1.
Christo cœlestibus in locis considere dicuntur, qui- Eph. ii. 6,

Phil. iii. 20. Heb. xii. 28. Matt. v. 20. cunque sincera mentis persuasione Christi doctrinam amplexantur, animique firmo proposito se Christi legibus subjiciunt; eo scilicet ipso cœlestis hujus regni civibus ac subditis ascripti, munia suscipientes ei statui debita, nec non privilegiis in eum collatis dotati: hujusmodi vero status vel relatio in sacris literis ita passim et obvie *cœlorum regnum* vocatur, nihil ut sit opus instantias allegare, vel ei confirmandæ tempus impendere: subnotandum est tantummodo, Christi regnum hoc (sicuti quoad alia regna fit) ibi vigere, ubi vere nomen ejus colitur, et auctoritas agnoscitur; ubi veritati, quam docuit, fides adhibetur, et legibus quas tulit obsequium præstatur; ubi vicariis ejus rite constitutis honos et observantia deferuntur; ubi denique charitas et concordia, disciplina, et ordo conservantur (mediocriter saltem, si non exquisite); unde cœtus hominum, ita Christo fidentium et obsequentium, in tali statu constitutus et compactus, etiam subinde cœlorum regnum dicitur: ut, verbi gratia, ubi cœlorum regnum agro assimilatur, cui bonus Sator triticum insevit, malus autem interspersit zizania; ubi fermento confertur in massam ingentem saporis sui quiddam diffundenti; ubi sagenam referre dicitur, quæ mari injecta piscium (bonorum simul ac malorum) promiscuam copiam apprehendit et complectitur; hæc autem acceptio (juxta quam regnum cœlorum ecclesiam designat) eodem recidit quo prior, nec in re proposita quicquam immutat; perinde fuerit an statum abstracte, vel concrete homines in hoc statu constitutos intelligamus: ita enim in usu sermonis vulgari fit, ut regnum quodpiam vel pro ipso statu, vel pro personis ei subjectis accipiatur.

Luc. xviii. 16. ix. 62. Matt. xiii. 24. Matt. xiii. 33. Matt. xiii. 47.

Sed et præterea sæpe phrasis eadem statum al-

rum designat, qui priorem illum extreme perficit[a]; am αἰώνιον βασιλείαν, æternum illud Christi Servaris nostri regnum (de quo S. Petrus), hoc est, suemum illum beatitudinis ac gloriæ statum; qui æparatur iis, et in quem denuo recipientur omnes eles Christiani, qui per hanc transitoriam vitam jugi versus Regem cœlestem obsequio perseverant; quem *non quicunque dixerit Dominus, Dominus* (qui tantum ore, vel externa specie tenus se ıristi subditum profitetur), *at qui Dei in cœlis istentis voluntatem peragit, ingredietur.* Jam ro cum hi duo status (unus gratiæ seu favoris aprentis hic in terris, ἡ χάρις αὕτη ἐν ᾗ ἑστήκαμεν, ut S. ulus loquitur; alter gloriæ gaudiique perennis in lis) natura sua, et ex intentione primaria cohæant indivulse; quippe cum huic iste tanquam adus subordinetur, vel in hanc ut via prætendar[b]; quum hic illius completio quædam et consumatio sit; is ordine præcedat, hic fine proponatur; circo quod unum ipsorum immediate spectat, id alterum ex consequentia refertur; videlicet in su, qui præ manibus, potestas aperiendi vel claundi statum gratiæ (in hunc admittendi, vel ab hoc cludendi) merito potestas quoque censeri possit ad oriæ statum, pari (respective) modo relata; quoam vero personæ, quibus induitur vel inhæret hæc testas, hic versantur, et hic eam exercent; cum ejus immediati effectus hic appareant (etenim etrus in terris ligat, atque solvit) ideo par esse vi-

Matt. vii. 21.

Rom. v. 2. Act. xx. 24.

[a] 2 Pet. i. 11. Matt. viii. 11, 16, 28. xviii. 23, 25, 34. xxvi. Luc. xxii. 29. Act. xiv. 22. 1 Cor. vi. 9, 15, 50. 2 Tim. iv. 1 Thess. ii. 12. 2 Thess. iii. 14.

[b] Idem erat specie status peregrinantium in eremo, et residenım in terra promissionis; at gradu differebant.

detur, ut directius et immediatius ad præsentem hunc gratiæ statum referatur hæc phrasis; regnumque cœlorum intelligatur hoc, in quod Christi nomen professi recipiuntur; status hic, inquam, intelligatur; aut si malitis, cœtus ipse, cui potestas hæc committitur; quanquam remotius et ex consequente gloriosum insuper Dei regnum, eoque gaudens societas in cœlo triumphalis connotetur. Succedit itaque jam ut despiciatur quomodo status hi (præsertim ille gratiæ, qui immediatius respicitur) hujusmodi clavibus subjacere possint; qua ratione penes hominem quempiam concipiatur gratiæ statum aperire vel claudere; ejus respectu ingressum vel egressum præbere quomodocunque, vel auferre. Cum variis hoc modis effici possit, illorum plerique saltem ad hæc pauca capita redigantur. 1. Per efficacis adjumenti, quo quis admoveatur huic statui, vel in eo permaneat, subministrationem: aut e contra, per interpositionem obicis aut impedimenti, quo quis ab eo amoveatur. 2. Per intercessionem, qua cuipiam intrandi permanendive voluntas et facultas impetrantur. 3. Per discretionis facultatem, qua dotatus quis cum dignos ab indignis, aptos ab ineptis internoscere queat, tum juxta qualitates ipsorum exploratas respective (pro suo arbitratu) jus habeat vel illos recipiendi, vel hos rejiciendi. 4. Per formalem actum judicii, cujus virtute post causam cognitam decisamque quidam participes fiant jurium et privilegiorum ad hunc statum pertinentium, alii reddantur illorum incapaces, et exortes.

1. Primo, inquam, hujusmodi status recludi potest, verum quodpiam adminiculum suppeditando; qua ratione, qui docendo viam commonstrant, qui consiliis, argumentis, hortatibus, admonitionibus et re-

prehensionibus tempestivis adducunt; qui media vel occasiones suppeditant; qui leges præscribunt eo conducentes, vel adjuvantes, utcunque recludere dicantur. Ita Deus Gentilibus ostium fidei dicitur aperuisse præcones idoneos ad illos summittendo. Sic et sibi magnum et evidens (vel efficax) ostium Ephesi apertum, et alterum apud Troadem dicit S. Paulus; idemque Colossenses hortatur Deum exorare, ut sibi λόγου θύραν aperiat, Christi mysterium prædicandi; ubi *januam aperire* nil denotat aliud, quam opportunitates et adjumenta rei peragendæ necessaria dispensare. Ita vero status istius, de quo loquimur, ad naturam attendendo, quandoquidem e debito versus Dei gloriam ac hominum salutem respectu obstringuntur omnes (suo quisque modo ac ordine) conniti, ut homines quotquot ubique sunt, in cœlorum regnum adducantur, aut in eo persistant; hoc autem ecclesiæ præsidum (pro officio quod obeunt pro facultate qua pollent) potissimum intersit; ideo rei naturam spectando, jure censeatur hic modus propositæ potestatis unam partem constituere, vel eam ingredi (nec enim subesse ratio videtur, cur ab hujusce phrasis significatu quicquam rejiciamus, quod illo satis apte vereque comprehendit): quo admisso, possint exhinc multæ claves, aliquatenus distinctæ, numerari; nempe, clavis doctrinæ, clavis exhortationis, clavis admonitionis, clavis correptionis, denique clavis νομοθεσίας, et his, si quæ sunt, affines aliæ.

Act. xiv. 27. ἰησοῦ θύραν. 1 Cor. xvi. 9. 2 Cor. ii. 12. παράκλησις.

Quin et ab altera parte, qui viæ notitiam auferunt aut impediunt, qui dehortantur ab ingressu, vel deterrent; qui media vel occasiones subducunt; qui difficultates, pericula, damna, vel obstacula quæpiam objiciunt; qui leges condunt præpedientes viam, aut arcentes ab ingressu, ejusmodi statum claudere di-

Luc. xi. 52. cantur, vel ab eo excludere: ita scribæ regnum cœlorum claudebant, hoc est, impediebant, ne Christi doctrinam amplecterentur homines, aut ejus se legi subjicerent; eos ab attentione fideque dictis ejus et factis præstanda, per calumniosas suggestiones, avertendo; ut et ab agnitione perspectæ veritatis per minas, contumelias, et pœnas acerbas abigendo. Talis autem clavis, ut cuiquam concedatur, rei natura vix fert; conscientia siquidem et charitas vetant eo modo gratiæ statum obstruere; Scribisque vitio vertitur, quod homines ita cœleste regnum ingredi non siverint. Est tamen nonnihil, ab hujusmodi legitima potestate non abhorrens, quod et huc referri possit: cum scilicet iis, qui veritatem malitiose respuunt (ἀπωθοῦσι τὸν λόγον, et se vita æterna indignos judicant, ἀντιτάττονται, καὶ βλασφημοῦσι, ut habetur in Actis), qui salubria monita præfracte repellunt et aspernant, qui noxiis erroribus aut vitiis pertinaciter adhærent, qui turpi vita religionem dehonestant, qui pacem et ordinem conturbant[c], ad tempus, et sub conditione (quousque scilicet impietati vel contumaciæ suæ involuti persistunt) illa submoventur adminicula, quibus ordinarie patefit aditus in hunc statum; iis doctrina subtrahitur; ab eos monendo desistitur; iis cœtuum actuumque sacrorum participatione interdicitur; ab eorum consortio abstinetur, quo nempe cum aliis prosit exemplum, terror incutiatur; subducatur contagio, depellatur infamia; tum ipsis ejusmodi pœna corrigendis inserviat; si forte de suo statu admoniti, pudore suffusi, metu perculsi, dolore compuncti resipiscant.

Act. xiii. 46, 51. xviii. 6. Matt. x. 13.

[c] Tit. iii. 10. 1 Tim. i. 20. 1 Joh. v. 16. 2 Joh. iv. 10. Matt. xviii. 17. vii. 6. 2 Thess. iii. 6, 14. Rom. xvi. 17. 1 Cor. v. 7, 11, 13.

Hinc aliud clavium genus; [rejectionis, declinationis, excommunicationis claves; quæ] tamen ad alia capita commodius referantur.

2. Alius aperiendi modus est intercessio, qua scilicet ab eo, qui solus eos præstare potest, tales effectus impetrantur; quo pacto cœlum plusquam triennio clausum reseravit Elias; qualis etiam cœlum occludendi potestas testibus Apocalypticis concessa traditur. Hic vero modu spropositi status naturæ admodum quadrat; quatenus oratione ad Deum fusa (quæ plurimum valet) cum voluntas prompta, tum apta dispositio comparantur iis necessariæ, qui statum hunc capessunt: hoc modo Christianis omnibus aliquatenus competit cœleste regnum aperire; pastoribus autem id apprime convenit, ex officio peculiari; quorum utpote functio preces concipere, et ore fungi cœtus universi: nam S. Paulus ideo mandat pro cunctis hominibus supplicationes fieri, quoniam Deus omnes vult salvari, et ad veritatis agnitionem pervenire; hoc est, cupit omnes hunc cœlestis regni statum ingredi; illum proinde vult communium precum clave reserari. Etiam S. Johannes, cum hoc modo præcipit: *Si quis videat fratrem suum peccatum admittentem, quod non ad mortem,* αἰτήσει καὶ δώσει αὐτῷ ζωὴν, *precetur et illi vitam donet;* eximiam scilicet insinuat ad hoc ipsum orationis efficaciam. Domini quoque nostri promissum habetur, huic ipsi non obscure agnatum et annexum, quo post exhibitam ligandi solvendique potestatem, continuo spondetur, *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est:* hinc emergit altera clavis, hanc potestatem ex parte constituens, nempe clavis orationis vel intercessionis.

Luc. iv. 25. Jam. v. 17. Apoc. xi. 6.

Jam. v. 16.

1 Tim. ii. 1, 4.

1 Joh. v. 16.

Matt. xviii 19.

3. Alter, tertio, succurrit hujusmodi statum aperiendi modus per facultatem discretionis, qua quis instructus personarum aptitudinem perspiciat, et ex illius perspectæ ratione quosdam admittere (quos aptos nempe dignosque censuerit) alios autem repellere vel eliminare sibi concreditam habeat potestatem [t]: veluti si quis servo, vel amico cuipiam suo domum committat, cum mandato vel licentia quosdam (sibi puta amicos, vel agnatos, vel alioquin bene comparatos) excipiendi hospitio; et neutiquam tales alios excludendi; cui non absimilem potestatem ob-
Luc. xii. 42. tinet œconomus, quem (ut in evangelio habetur) constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore demensum suum; qualem et eleemosynarius usurpat in dispensanda Domini sui liberalitate; qualem denuo legatus habet a rege suo perduellibus ad fidem reducendis deputatus, cui integrum sit cuicunque, pro personæ qualitate delictive modo, veniam condonare vel subtrahere: hujusmodi discretione (modo quodam mirifico, mensuraque plusquam ordinaria) dotatos fuisse constat ecclesiæ primævæ pastores: nam inter Spiritus charismata recensetur
1 Cor. xii. 10. πνεῦμα διακρίσεως, et τῆς προφητείας actibus adnumera-
xiv. 25. Act. v. tur, cordis arcana patefacere; cujus doni specimen edidit Petrus Ananiæ nequitiam detegens; sed et δοκι-
1 Joh. iv. 1. μάζειν πνεύματα pastoribus aliis ordinarie (suo modo ac modulo) competit; nedum quatenus (ut alii) humana prudentia utuntur, ast insuper ex inflexu et assistentia speciali Dei; nam et hoc proculdubio charismatis illius divini partem constituit, quod presbyterii
1 Tim. iv. 14. χειροθεσίᾳ collatum innuit S. Paulus ad Timotheum
Act. viii. 21, 23. scribens; cujus et ipse Petrus aliud specimen ex-

[d] Εἰσί τινες τεταγμένοι πρὸς τὸ φιλοπευστεῖν τοὺς βίους, καὶ τὰς ἀγωγὰς τῶν προσιόντων, &c. Orig. in Cels. III. p. 142.

hibuit, cum de Simone Mago proferret illud: *Cor tuum non est rectum coram Deo: In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse;* cujusmodi sententias, rebus inspectis, et assistente Deo, proferre valent ordinarii pastores. Porro satis liquet hoc modo cœlestis regni statum reserari vel obserari posse; cum quicunque charitatis et prudentiæ judicio digni, recteque dispositi sunt (qui sunt εὔθετοι εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, qui nempe Christi doctrinam intellectu capiunt, assensuque comprobant, qui de vita priore male acta resipiscunt, et ad Christi mandatis dehinc obtemperandum se composuerunt), ecclesiæ protinus inseri debeant; ut et illos exhinc secludi par sit, quos secus animatos esse constat: cum et nonnulli sacrorum mysteriorum e rei dignitate, cumque suo fructu participes esse queant, adeoque debeant; alii vero non sine ecclesiæ dedecore, suoque detrimento res ejusmodi sacras attingant; cum quibusdam recte moratis consolationem impertiri, aliis prave affectis iram denunciari expediat; cum alii sint oves veræ, quibus caula patere debeat, et pascui copia fieri; alii vero sint canes mordaculi (quibus contemerandum dari vetuit Christus, quod sanctum est) aut immundi porci, quibus projici non debent conculcandæ margaritæ; vel lupi rapaces, (non parcentes gregi) quos ideo fas et æquum est procul arcere. Cum et hos secernere pastoribus ecclesiæ concessum sit, ac ut ea facultate utantur nedum in honorem illis, sed in ecclesiæ commodum cedat, quidni concredatur illis talis authoritas? quidni (rem ipsam spectando) ad illam de qua agimus potestatem pertinere censeatur clavis discretionis, in sacramentorum dispensatione ab illis adhibenda, qui sunt οἰκο-

Luc. ix. 62.

1 Cor. xi. 29.

Joh. x. Matt. vii. 6. Act. xx. 29. Λύκοι βαρεῖς——

1 Cor. iv. 1.

νόμοι μυστηρίων Θεοῦ. Sane speciatim baptismus, quem competentibus et idoneis, juxta suum arbitratum,
r. 40. dispensandi jus obtinent ecclesiæ pastores, a Nazianzeno diserte vocatur κλεὶς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, et οἴχημα πρὸς Θεόν· ab Augustino[e] ecclesiæ janua, porta gratiæ, primus introitus sanctorum ad æternam Dei et ecclesiæ consuetudinem. " In Christi baptismo
rt. de d. 21. " reseratur aditus cœlestis regni, quo solvuntur alli- " gata retro delicta", ait Tertullianus. Eademque plane ratio est reliquorum actuum, quos pastorum prudentiæ commisit et commendavit Dominus.

4. Demum quarto hujusmodi status aperiri claudique concipiatur per actus judiciales, et quasi prætorios, juxta sententiam, secundum præstitutas leges aut regulas, deliberatione præmissa causaque mature discussa prolatam; eo fere modo, quo cernimus indies nonnullos civium (his vel illis privilegiis ac immunitatibus gaudentium) in statum ascribi recipique; sed et alios ab eo distineri vel expungi, per suffragia decretaque formaliter ab iis enunciata, quorum auctoritati, juxta reipublicæ constitutionem, assignatum est id muneris aut officii: cujusmodi potestate quum donatus esset atque defungeretur ille
Es. xxii. 22. (apud Esaiam prophetam) Servatoris nostri typus Eliacim, de eo propterea dicitur, *Dabo clavem domus David super humerum hujus; et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiet:* hunc vero modum in nostro casu adhiberi natura rei nedum pati, sed prorsus exigere videtur. Cum enim (ut prænotatum est) huic statui vel inseri vel inhærere debeant illi tantummodo, qui cum a

[e] Aug. de Pecc. Mer. et Remis. Per lavacrum undæ regeneratricis janua panditur cœlestis regni. *Bed.*

mentis fide, tum a morum habitu digni sunt (quorum recta fides et honesta conversatio Deo simul ac ecclesiæ honorem concilient, et illorum quibuscum versantur ædificationi deserviant) nec non ab eo vel omnino vel ex parte (pro hominum causarumque merito) secludi par sit illos, qui seu noxiis erroribus afflati, seu pravis moribus imbuti divinam gloriam obfuscare, ecclesiæ dedecus impingere, socios corrumpere, pacem interturbare, scandala quævis progignere, compariti sunt; cum etiam super hujusmodi dispositionibus et factis eas indicantibus necesse sit (e conditione rerum humanarum) interdum suboriri controversias; cum et harum aliquæ graviores sint, quam ut æquum sit, aut intersit reipublicæ, illas perfunctoriæ vel arbitrariæ decisioni subjici (ne scilicet hominum conscientiæ famæque nimis absolute dominari videantur pastores, indeque causas etiam arripiant insolescendi) expedire videtur omnino, ejusmodi dubiis eventilandis atque dirimendis leges quasdam particulares formulasque statas institui, quarum ex præscripto pastores ecclesiæ tales causas cognoscere debeant ac definire; cujus processus effectus sunt, hinc, reos condemnare, pœnisque subjicere; inde, illos absolvere, et in integro collocare. Unde clavis habetur jurisdictionis; et in hac comprehensæ claves magis speciales excommunicationis, suspensionis, restitutionis, absolutionis; hisque suppares ac affines.

Talis et totuplex existimetur hæc potestas objecti naturam attendendo.

III. Verum ut lucis amplius nonnihil affundatur huic negotio, phrases istas excutiamus paulo, quibus in parallelis evangeliorum locis exprimi vel explicari videtur hæc potestas; imprimis quid sibi volunt an-

titheta ista *ligare* et *solvere*[f]; tum quid designant *remissio peccatorum* et *retentio.*

Quod ligationem attinet et solutionem, satis apparet hoc ipso in loco potestatem a Petro Petrique similibus usurpandam consequentes effectus hisce verbis significari, *Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; quodcunque solveris super terram, erit solutum etiam in cœlis.*

Jam vero *ligatio* quamlibet determinationem, restrictionem, aut detentionem apposite denotare potest rebus aut personis impositam; *solutio* quicquid illis contrarium est, puta rem in medio liberam relinquere, personam nexu quopiam eximere. Qui justa potestate dotatus utensque quicquam mandat aut vetat, illud rei ligat (moralem ejus qualitatem determinando, faciendo ut bona sit vel mala, justa vel injusta) personas etiam ligat, eas ad observandum aut abstinendum obstringendo. Idem ille legem abrogans aut relaxans (dispensando vel excipiendo) solvit; rem quidem, faciendo, ut illa jam adiaphora sit; personam, ut is jam liber evaserit: hujusmodi ligationem, et illi oppositam solutionem attingit apostolus, ubi de muliere nupta pronunciat, Γυνὴ δέδεται νόμῳ, *mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat:* hinc de Judaicæ legis doctoribus illis affirmatur, Δεσμεύουσι φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα, καὶ ἐπιτιθέασιν ἐπὶ τοὺς ὤμους τῶν ἀνθρώπων (quanquam hoc etiam ad legum interpretationem referri potest): hoc modo leges omnes sunt vincula (omnes θεσμοὶ sunt totidem δεσμοὶ), et obligare dicuntur eos, qui legitime subsunt; illarumque vim infringere (vel in solidum abrogando, vel ex parte

1 Cor. vii. 39.

Matt. xxiii. 4.

[f] Solvunt autem eos apostoli sermone Dei, et testimoniis scripturarum, et exhortatione virtutum. *Hier. in Is.* 14.

dispensando) consequenter est solvere, vel relaxare; talis itaque ligandi solvendique potestas nihil est aliud, quam illa, quam supra perstrinximus, clavis νομοθετικὴ, leges (hoc est regulas actuum nostrorum directrices) figendi refigendique potestas. Huic suppar est potestas leges a Deo vel ab ecclesia institutas (cum authoritate, vel ex officio) interpretandi, hoc est, definiendi declarandique quidnam præcipitur, quid prohibetur, aut liberum relinquitur: quod præstare (sicuti Cameron, Seldenus et Grotius observant) a scriptoribus Hebræis nominari solet *ligare* et *solvere:* quod et Tertullianus confirmare videtur; dicens, "Quam vero clavem habebant legis doctores, "nisi interpretationem legis?" Hæc autem potestas ecclesiæ pastoribus eximie competit, et ad doctrinæ clavem liquido pertinet; præcipua quippe docendi pars in divinarum legum expositione (ἐν τῷ διανοίγειν τὸν νοῦν τοῦ συνιέναι τὰς γραφὰς) consistit: etiam apud omnes gentes divinam mentem interpretari peculiare sacerdotum censebatur officium: horum quisque talis semper habitus est, qualis apud Horatium,

Tert. adv. Marc. IV. cap. 27.

Religionum interpretes, Cic. de Leg. Cæs. l. 6. &c.

Orpheus———sacer interpresque deorum.

Præterea jurisdictionis cujuspiam, aut arbitrii jurisdictionem æmulantis exercitium, quatenus causas determinat, eoque personas (ad resarciendum damnum, ad offensæ parti satisfaciendum, ad pœnam subeundam) astringit, vel ab iis eximit, est ligatio quædam aut solutio; quales actus aperte spectat huic agnatus ille locus (Matt. xviii. 18.) ubi Dominus validum fore pronunciat arbitrium inter duos disceptantes ab amico peractum uno vel altero; vel (si minus dirimendæ liti suffecerit illud) ecclesiæ finale judicium, de quibus sic asseverat: *Amen, dico vobis, quæcunque vos* (hoc est, e discipulis meis ali-

qui; vel ipsorum quicunque cœtus legitimus, hoc modo litem quamcunque per arbitrium aut judicium definiendo) *alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo;* hoc est, omnes vestræ decisiones et sententiæ (rite secundum æqui bonique leges peractæ prolatæque) apud Deum invalescent, ratæque fient, sicut iis repugnantes Deum sensuri sint ipsarum assertorem et vindicem; juxta quod S. Chrysostomus ait, ἅπερ ἂν ἐργάσωνται κάτω οἱ ἱερεῖς, ταῦτα ὁ Θεὸς ἄνω κυροῖ, καὶ τὴν τῶν δούλων γνώμην ὁ δεσπότης βεβαιοῖ· cujus acceptionis ad normam intellecta potestas hæc jurisdictionis illam (quam mox antehac attigimus) clavem comprehendit.

Chrys. de Sacerd. 3. (p. 16.)

Porro, qui contractum ineunt, vinculo quodam obligantur, ab iis injecto, quibuscum pactum contrahitur; quomodo pastores etiam illos ligant, qui Christianismum primo suscipientes, aut eum denuo redintegrantes, fœdus ineunt cum Deo, fidem suam et obsequium Christo devoventes.

Item detentio quæcunque sub alterius potentia vel imperio vocatur *ligatio;* qua qui emancipatur proinde *solutus* dicitur: *Annon*, inquit Dominus, *hanc filiam Abrahæ, quam alligavit Sathanas ecce decem et octo annis non oportuit solvi a vinculo isto die Sabbathi?* ubi quod dicitur *a Sathana ligari*, alibi exprimitur καταδυναστεύεσθαι ὑπὸ τοῦ Διαβόλου· ut et in statu quovis præsenti detineri, vel ab eo liberari, ligari illud, hoc solvi est: Δέδεσαι γυναικί; (inquit apostolus) μὴ ζήτει λύσιν, de statu perpete conjugii. Ὅσοι ὑπὸ ζυγὸν δοῦλοι, de statu servitutis. Συνέκλεισε ὁ Θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν, de statu hominum, ante patefactum evangelium; ita si cui sub reatus iræve statu jacenti, vindictæque idcirco vel pœnæ obnoxio, non conceditur aut abnuitur venia;

Luc. xiii. 16.

Act. x. 38.

1 Cor. vii. 21, 27.

1 Tim. vi. 1.

Rom. xi. 32. Gal. iii. 22.

vel si veniæ procurandæ necessaria aut idonea media subtrahuntur, is ea ratione *ligatus* censeatur; ut et *solutus*, qui ab ejusmodi statu per exhibitionem veniæ, per mediorum eam procurantium applicationem, per obstantium causarum amotionem extricatur: cui sensui quadantenus altera phrasis, illi quæ præ manibus ἰσοδύναμος, coincidit, quæ habetur apud S. Johannem, ubi Servator discipulis sic affatur: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt;* hoc est, quemcunque merito dignum reputabitis, qui absolvatur a reatu, et in gratiam recipiatur, adeoque cui veniam annunciabitis et exhibebitis, illi revera Deus conciliabitur et ignoscet; quemcunque vero (propter animi pravas affectiones nondum exutas) minime dignum aptumve judicabitis, cui divinus favor indulgeatur, reatus aboleatur, cœlestis regni privilegia concedantur; et cui proinde, justis ex causis, Dei nomine veniam impertire recusabitis, ille talis in eo statu misero revera detinebitur et persistet, exors remissionis, et a divina gratia semotus [g]: vester eo spectans (ille vel hic) actus a Deo comprobabitur, effectumque proinde certissimum obtinebit. Joh. xx. 23.

Verum ut hæc paulo curatius exponantur, advertamus variis modis intelligi posse, quod ecclesiæ pastores peccata dimittunt; idque prænotandum est, quod cum principaliter et absolute peccata remittere Deo soli [h] (Regi Judicique supremo) competat (nec enim abs ratione scitabantur isti Scribæ, *Quis præter unum Deum peccata valet remittere?*) id tamen Marc. ii. 7.

[g] Tunc vera est sententia præsidentis, quando æterni sequitur sententiam judicis. *Ambr.*

[h] Semper Dei est illa gratia, et Dei sacramentum, hominis autem solum ministerium, &c. *Aug. Ep.* 166.

1 Cor. v. 4. iv. 1. Act. xxvi. 16. Tit. i. 7. 2 Cor. vi. 4. 1 Pet. iv. 10.

ut homines (Dei nomine et voluntate, tanquam ejus ὑπηρέται, διάκονοι, οἰκονόμοι, συνεργοὶ, πρεσβευταὶ, quibus illos nominibus et officiis insigniunt sacræ literæ,) instrumentaliter et subordinate faciunt, a Deo concessum et constitutum esse: prout et iis homines convertere, regenerare, salvare, similiaque talia (qualia primario solus efficit Deus [l]), utcunque tribuuntur; ita quidem, ut quot et qualibus ipse Deus, tot fere talibusque modis pastores ordine suo peccata dimittunt: id autem hisce potissimum modis exequuntur:

Primo, Dispositive; dum homines ad remissionem obtinendam parant, illas animi dispositiones (fidem scilicet et pœnitentiam) ingenerando, quæ ad remissionem necessario prvæiæ sunt, et quas hæc certo consectatur, ex vi fœderis et promissi divini: dum eos ad hunc statum invitant, alliciunt, adducunt, in quo remissio peccatorum offertur, et exhibetur: dum

1 Cor. v. 12. τοὺς ἔξω

suorum criminum et errorum arguunt reosque peragunt; de statu suo perquam periculoso com-

Act. ii. 37. xvi. 29.

monefaciunt, certosque reddunt; compunctionem ac terrorem iis incutiunt; resipiscentiam acriter inculcant [k]: hinc a Domino nostro tale describitur apo-

Act. xxvi. 18, 20.

stolo Paulo demandatum munus: *Constituam te ministrum et testem—te deligens ex populo et gentibus, in quas nunc mitto te; aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Sathanæ ad Deum, ut accipiant peccatorum remissionem, et sortem inter sanctos, per fidem quæ est in me*—quod et ipse mox præstitisse narratur—ἀκ-

[l] Ministerium dedit servis, potestatem sibi retinuit. *Aug. in Joh. Tract.* 5.

[k] Quo de modo Firmilianus "non quasi a nobis remissionem "peccatorum consequantur, sed ut per nos ad intelligentiam de-"lictorum suorum convertantur." P. 198.

ἀγγέλων μετανοεῖν, καὶ ἐπιστρέφειν ἐπὶ Θεόν· quo munere S. Petrum defunctum cernimus, ita concionando: Μετανοήσατε, καὶ ἐπιστρέψατε εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἁμαρτίας. Idem versus τοὺς ἔσω similiter præstant, quum illos in errores vitiaque prolabentes aut prolapsos admonent officii, severe redarguunt, corripiunt, increpant, quin et aliquando coërcent, et castigant; necnon enixe modis omnibus eos ad sanam mentem reducere student; qualia peragentes dum *peccatorem convertunt ab errore viæ suæ*, (sicuti B. Jacobus docet), *salvant animam a morte, et multitudinem peccatorum operiunt.*

1 Thess. v. 14. 2 Thess. iii. 15. Act. xx. 31. Tit. i. 13. 1 Tim. v. 1, 22. 2 Cor. ii. 6. xii. 20. xiii. 10. 1 Cor. iv. 21. Jac. v. 20.

Secundo, Idem exequuntur declarative, dum per illum quem ebuccinant λόγον καταλλαγῆς, peccatorum sensu perculsis, et ad Deum animi serio firmoque proposito revertentibus, indubie paratam apud Deum veniam, gratiamque mox præsentem attestantur et annunciant[1]; velut legati, seu præcones, ad homines sub his conditionibus Deo reconciliandos deputati: ita munus apostolicum et pastorium depingit S. Paulus, ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβεύομεν—*Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obsecramusque pro Christo, reconciliamini Deo.*

2 Cor. v. 19. 2 Cor. v. 20.

Tertio, Peccata remittunt impetrative, precum energia divinam gratiam conciliantes peccatori. Ita monet S. Jacobus infirmos, ut ecclesiæ presbyteros advocent pro ipsis oraturos; κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκώς, ἀφεθήσεται αὐτῷ· *Et si languens peccati quippiam commiserit, id* (intercedente presbyterorum oratione) *ei dimittetur:* ita sacerdotes peccata dimittere Chrysostomus arbitratur: Οὐ γὰρ ὅταν ἡμᾶς ἀναγεννῶσι μόνον, ἀλλὰ καὶ μετὰ ταῦτα συγχωρεῖν ἔχουσιν ἐξουσίαν ἁμαρτή-

Jam. v. 15. De Sacerd. 3. pag. 17.

[1] Lomb. Dist. 18. Dominus tribuit sacerdotibus potestatem ligandi et solvendi, id est, ostendendi hominibus ligatos vel solutos.

ματα· ἀσθενεῖ γάρ τις—inquit ille, dictum S. Jacobi locum adponens.

Quarto, Propius hoc et immediatius exequuntur dispensative; peccatorum nempe remissionem exerte dispensando; quin et eam revera concessam et exhibitam symbolis solennibus obsignando: nempe,

Tert. de Bapt. c. 1. 1 Dum baptismum conferunt—"felix illud" (ut Tertullianus loquitur) "sacramentum aquæ nostræ, "qua abluti delictis in vitam æternam liberamur;" in Rom. vi. quo commorientes et consepulti Christo justificamur Act. ii. 38. a peccato; de quo Petrus—βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, et Ana- Act. xxii. 16. nias S. Paulum alloquens—ἀναστὰς βάπτισαι καὶ ἀπό- Act. iii. 19. λουσαι τὰς ἁμαρτίας—quod cum sacerdotum judicio simul ac opera administretur, eapropter illi peccata remittere dicantur; et huc Domini promissum aliquoties refert B. Cyprianus, et e Patribus alii.

2. Dum in gravia scandala prolapsis, et idcirco peccatorum reatu innodatis, post resipiscentiam probabilibus indiciis compertam, absolutos pronunciant, in statum gratiæ redintegrant (verbum est Pauli- Gal. vi. 1. num, *vos spirituales*, καταρτίζετε τὸν τοιοῦτον) in ecclesiæ sinum et sacrorum officiorum consortium restituunt, id beneficii solenni χειροθεσίας ritu confirman- 2 Cor. ii. 7, 10. tes; id quod S. Paulus χαρίζεσθαι, *gratiam indulgere*, vocat: ᾧ δέ τι χαρίζεσθε, καὶ ἐγώ· huc et illud spectare videtur ejusdem apostoli monitum, Timotheo dic- 1 Tim. v. 22. tum: Χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει, μηδὲ κοινώνει ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις. Cave ne cuiquam, ante pœnitentiam luculente comprobatam, absolutionem impertias, ne in causa sis, ut peccator remissionis præmatura spe delinitus nihil amplius curet, adeoque cum remissionis exors fiat, tum in peccatis obduretur: huc etiam Christi promissum refertur a Patribus. Ambrosius

contra Novatianos disserens: "Cur baptizatis, si "per hominem peccata remitti non licet? In bap- "tismo enim utique remissio peccatorum omnium "est; neque interest, utrum per pœnitentiam, an "per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotes sibi "vindicent; idem in utroque mysterio est." Hisce modis ecclesiæ pastores peccata remittunt, sed et ἀντιστοίχως eadem retinent, cum media submovent, quibus homines ad peccatorum remissionem consequendam disponantur; dum iram Dei denunciant; dum (quod subinde fieri posse S. Johannes innuit) a precibus pro illorum salute fundendis abstinent; dum baptismum indignis denegant; dum ab ecclesia depellunt aut distinent; adeoque tanquam ethnicos et publicanos habent: vel dum a Deo quasi divulsos Sathanæ tradunt exagitandos.

De Pœnit. c. 7.

1 Joh. v. 16. 2 Joh. 10.

Ex his omnibus, quæ de potestatis hujus nomine, de ejus objecto, de phrasibus æquipollentibus ac exegeticis præmissa sunt, tametsi satis verisimiliter ipsius natura deduci possit et determinari; quid tamen sit, et quousque se extendat, haud aliunde clarius eliciatur elucideturque, quam ex eo quod proxime decreveram attingere.

IV. E praxi scilicet et exercitio potestatis istius, quæ cum primitus apostolis ut ecclesiæ magistris et rectoribus demandata sit, existimare nefas est illos eam secus quam par erat usurpasse, vel ultra citrave justos limites extendisse: quicquid igitur ab iis (officii ratione, vel per modum auctoritatis ordinariæ) factum cernimus, applicabile vel consentaneum horum verborum sensui rationabiliter exposito, quidni merito potestatis hujus, ipsis a Domino tam expresse communicatæ, virtute factum arbitremur? Idem de ecclesiis ad illorum tempora proxime

accedentibus jure supponamus licet; quicquid illæ nempe (regiminis et disciplinæ modo) passim factitarunt, id eas non temere, vel ab auctoritate sibimet arbitrarie desumpta vel arrogata, sed ex jure potius ab ipsius Christi institutione derivato (quod singulas ecclesias in ordine statuque recto stabilientes apostoli declararint, constituerint, et ad singulares casus accommodarint) usurpasse vel exercuisse; juxta Ter-
Cont. Marc. iv, 5. tulliani priscum illud effatum: "Constat id esse ab "apostolis traditum, quod apud ecclesias apostolorum "fuerit sacrosanctum."

Verum has et cæteras, quæ supersunt instituti discursus partes (etiam potissimas) vel ut nunc obmittam, vel ut immaniter patientiæ vestræ molestus sim oportet: illud prius faciam potius; et Tertulliani luculentis verbis (in Apologetico) clavium usum primitivum repræsentantibus sermonem claudam:
Apol. cap. 39. "Certe fidem," inquit, "sanctis vocibus pascimus, "spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præ- "ceptorum nihilominus inculcationibus densamus: "ibidem etiam exhortationes, castigationes et cen- "sura divina: nam et judicatur magno cum pon- "dere, ut apud certos de Dei conspectu; summum- "que futuri judicii præjudicium est, si quis ita deli- "querit, ut a communicatione orationis, et conven- "tus, et omnis sancti commercii relegetur [a]."

Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

[a] Istum locum episcopi et presbyteri non intelligentes aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur; cum apud Deum non sententia sucerdotum, sed reorum vita quæratur. *Hier. in loc.*

CONCIO AD CLERUM.

JOELIS ii. 12.

Convertimini ad me toto corde vestro, et in jejunio, et fletu, et planctu.

QUO tempore vixerit hic propheta, et circa quæ singularia eventa versetur ejus prophetia, cum nec ipse diserte indicet, nec uspiam in sacra historia tradatur, nec ex rerum quas enarrat circumstantiis, satis liquido appareat, merito ambigitur ab interpretibus, et in varias sententias fit discessio; nec e re nostra fuerit, in tam difficili lite componenda admodum solicitos esse. Illud constat, valde lugubrem fuisse et calamitosum illorum temporum statum, qualem habemus in primo capite luculenta descriptione expressum. Liquet etiam Judæis ex hostili invasione graviores ærumnas impendisse, quas propediem consequuturas capite hoc comminatur Deus, denunciat propheta, ejus horribiles circumstantias tragicosque eventus ad terrorem composita oratione accurate depingens. Ne autem tam immanis periculi magnitudine simul ac propinquitate perculsi et consternati, ex desperatione animos abjicerent, quo pacto Dei iram placare et instantem vindictam propulsare possent, docet illos propheta verbis modo lectis. In quibus pertractandis non alia utar methodo, quam textus seriem persequens, ut ipsa qualitercunque explicare satagam, deinde quæ continent utilia documenta ut expromam.

Convertimini ad me, id est, ad Deum. *Converti*

vero, vel *reverti ad Deum*, ἐπιστρέφειν ἐπὶ Θεὸν, juxtu stylum sacrum et propheticum dicuntur,

Primo, Qui postquam ad idololatriam desciveran errore deprehenso ad veri Dei cultum redeunt: au saltem qui ab ineunte ætate quum alienis superst tionibus addicti et innutriti essent, denuo meliu edocti veram religionem ex animo agnoscunt et am plexantur: quod et nunc vulgo obtinet ut dicatu *Converti*. Etenim Deum recta fide confitentes e debito honore reverentes mentis obtutu Deum resp ciunt, affectu accedunt, corde amplectuntur, et pr inde in sacris literis, *Deo adhærere*, Græcis vertent bus, κολλᾶσθαι τῷ Θεῷ, hoc est, *Deo agglutinari*, ite Deo appropinquare, Deo appropriari, ad Dei peculiu pertinere, a Deo adoptari, institui, regi dicuntur; e consequenter Deum deserere, fugere, abnegare, re pudiare, Deo adversari, in Deum rebellare et forn cari, a Deo ἀποστατεῖν, deficere, tergiversari, abalie nari, divelli, faciem avertere, qui a vera religione a superstitiosos ritus deflectunt; proinde optimo jur ad veram fidem et sanctum cultum receptus ad Deu *conversio* nuncupatur. Quomodo, Jer. iii. 6. *Dix autem Jehova—Vidistine quæ fecit rebellis Israel abit ipsa super omnem montem excelsum, et in om nem arborem viridem, et fornicatur ibi, et dix postquam feci omnia ista, Ad me revertere:* et it passim in Veteri Testamento; quinetiam in Nov Act. xiv. 15. Εὐαγγελίζομαι ὑμᾶς ἀπὸ τούτων τῶν ματαίω ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν Θεὸν τὸν ζῶντα· ἀπὸ τῶν ματαίων· ἀπ τῶν εἰδώλων. Nam idolum Hebræis appellatur הֶבֶל id est, μάταιον, sicuti cum aliis locis patet, tum ex ill Jeremiæ, viii. 19. Διότι παρώργισάν με ἐν τοῖς γλυπτοῖ αὐτῶν, καὶ ἐν ματαίοις ἀλλοτρίοις.

Secundo, *Converti ad Deum* dicuntur, qui ab im

pietate ad pietatem, ab iniquitate ad justitiam, a contumacia ad obedientiam, a pravis et impuris moribus ad probum sanctumque vivendi institutum se recipiunt. Nam et qui Dei mandatis obtemperant, et mores suos ad divinæ legis normam componunt, Deo attendunt, Deo auscultant, Dei nutum observant, ideoque cum Deo ambulare, in Dei semitis incedere, Deum sequi, Deum amicum et familiarem sortiri, cum Deo consuetudinem habere, Deo uniri, imo et Deo inesse perhibentur, et ejusmodi passim magnificis titulis atque elogiis ornantur; contra, qui divinis præceptis minus obsequentes sunt, desertores, transfugæ, perduelles, hostes, a Deo alieni, separati, aversi appellantur: itaque vitam emendantes, et ad bonam frugem reducti, ad Deum vultum reflectere, regredi, converti dicuntur; nec aliud est hoc modo acceptum *converti*, quam μετανοεῖν, resipiscere, mores corrigere, vitam reformare. Quo spectant sacræ scripturæ loca, Deut. xxx. 2. *Et conversus fueris ad Jehovam Deum tuum, obedierisque voci ejus per omnia.* Is. lv. 7. *Derelinquet impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, revertaturque ad Jehovam.* Hos. xii. 6. *Tu ergo ad Deum tuum revertere, misericordiam et justitiam custodi, et fide Deo tuo semper.* Ps. li. 13. *Docebo prævaricatores vias tuas, et peccatores ad te convertentur.*

Tertio, *Converti ad Deum* dicuntur illi, qui se vitæ male institutæ pigere, peccata admissa agnoscere, et serio dolore prosequi, debita illis supplicia deprecari, et misericordiam divinam implorare, externis indiciis testatum faciunt: quod et simili metaphora *faciem Dei quærere*, et nonnunquam *resipiscere* dicitur; quatenus alterius conversionis, hoc est, animi

pœnitentis, mutati propositi, et vitæ ad obsequium redeuntis argumentum, initium atque instrumentum est. Ita de Ninevitis, qui solenne jejunium observarant, cilicium induerant, et in pulvere sederant, dicitur, Jonæ iii. 10. *Vidit autem Deus opera eorum, quod conversi erant a via sua mala.* De Tyriis et Sidoniis pronunciat Christus, Matt. xi. 21. πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετενοήσαν· de se Daniel testatur, cap. ix. 3. *Posui faciem meam ad Dominum, ut quærerem orationem et deprecationem jejunio, sacco et cinere.*

Nec dubium est, quin hoc loco propheta sicuti ad priores conversiones duas, sinceræ religionis studium, et vitæ emendationem, potissimum collineet, ita ultimam hanc magis directo obtutu respiciat; adeo quidem ut in intentione primariæ illæ, hæc in executione prima esse, illæ succedere, hæc præludere, illæ perfici, hæc subministrare, debuerit. E sacra enim historia et scriptis propheticis apparet, Judæos tunc temporis magna ex parte a pura religione, quam lex Mosaica præscripserit, ad Gentilium conterminorum impias superstitiones defecisse; istorumque pravos mores, sacrificia sæva et sanguinaria, ritus stolidos, obscœnos et detestabiles ex vesana quadam κακοζηλίᾳ æmulatos esse; legem vero divinam neglectui penitus habitam, et quasi oblivioni traditam jacuisse. Quinimo apud ipsos crassissimam inscitiam, pestilentissimam superbiam, delicatissimam mollitiem, profusissimam luxuriam, insatiabilem avaritiam, eque his natas immanissimam crudelitatem, gravissimam oppressionem, execrabilem perfidiam, omne genus vitii, sceleris et injuriæ viguisse, quibus merito divinam iram irritaverant, pœnasque in se varias et severa judicia accessiverant; quibusque avertendis, ut se ad veræ

religionis studium reciperent, mores improbos corrigerent, et ita faciendi propositum extraordinariis quibusdam officiis ostentarent, propheta cohortatur.

Subdit autem, *cum toto corde vestro.* Cor in sacra dialecto non est tantum principale viscus illud, vitæ omnis, motus et caloris nativi fons; sed et facultatum omnium et operationum animalium pariter ac vitalium principium, origo, sedes intellectus, phantasiæ, memoriæ, affectuum; scaturigo, ex qua cogitationes, discursus, imaginationes, passiones et motus, qui in homine sunt omnes, fluunt ac emanant; thesaurus insuper virtutum, vitiorum sentina, et habituum quorumcunque repositorium; unde לב Græcis transductoribus varie redditur, nempe, *καρδία, ψυχὴ, φρὴν, νοῦς, διάνοια, ἐπιθυμία.* Est itaque *cum toto corde,* cum sincero assensu mentis, cum serio voluntatis proposito, cum affectuum vehemente impetu, cum valido virium conatu בְּתֹם לֵב ut alibi habetur, *in mentis integritate,* vel *perfectione,* non בְּלֵב וָלֵב *cum corde duplicato,* vel potius *dimidiato.* Vult nimirum vates, ut conversio penitus cordata sit, hoc est, vera et sincera, non ficta, fucata, hypocritica: seria et solida, non ludicra, levis, perfunctoria; diligens et efficax, non imbecilla, remissa, ignava; integra denique et plena, non concisa, mutila et imperfecta.

Sequitur *cum jejunio, fletu et planctu;* quorum explicationi non est quod diu immoremur; per *jejunium* enim nihil aliud intelligitur, quam ab alimentis et oblectamentis corporalibus ad certum tempus omnimoda abstinentia, ad religiosos fines ordinata et exercita: per *fletum* vero et *planctum* externa signa denotantur, quibus internum animus dolorem, status sui displicentiam et miseriæ incumbentis sensum, vel

naturæ instinctu, vel consuetudinis receptæ arbitrio,
Sen. Ep. 99. exprimere solet. Cor enim cum gravis mœstitia occupat, lachrymas naturalis necessitas exprimit, et spiritus ictu doloris impulsus, quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos, quibus adjacentem humorem perpremit et expellit. *Planctus* vero, κοπετὸς, quum pectus manibus contundunt, caput allidunt, crines vellicant, et consimiles sibi injurias inferunt, ex instituto dolorem indicare videtur; ex se enim hi gestus furoris potius quam mœroris indicia sunt, et mentem emotam magis, quam affectu commotam repræsentant. E quibus sic explicatis, et ad contextum collatis atque expensis, hæc tria elicimus documenta.

Primo, Ad divinam iram leniendam, et pœnas, quæ ex illa consequuntur, avertendas, necessario requiritur ac summopere conducit seria resipiscentia, seu vitæ reformatio et morum emendatio. Cujus effati veritas cum aliis plurimis testimoniis et exemplis e sacra pagina, tum validissimis e rei natura deductis argumentis, demonstrari potest. Testimonia atque exempla prætereo, cum brevitatis studio, tum quia huic fundamento universa fere prophetarum præconia innitantur, ad hoc evincendum tot valida elenchorum tela vibrantur, ad hoc persuadendum illorum atroces minæ, graves querelæ, pathetici hortatus diriguntur. Argumenta vero perstringemus. Et,

1. Patet hoc ex natura et ingenio hominum, quibus pœnæ infliguntur. Hi enim dum vitiosis habitibus imbuuntur, pravis affectibus distorquentur, et impuris moribus indulgent, non possunt non Deo displicere, nequeunt suis nefariis flagitiis non divinam in se indignationem provocare. Non sunt cœ-

lestis misericordiæ idonea objecta, non capaces ullius felicitatis. Ita comparati sunt, ut non prosit illis, imo obsit magnopere et noceat divina indulgentia. Ex divinis beneficiis ut nullum commodum, ita gravissimum detrimentum percepturi sunt; nec ab ipsis deteriores tantum fient, sed et miseriores, ut sibi et aliis molestias creent, inde ansam arrepturi. Ex impunitate crescit improbitas, et corroboratur prava dispositio. Inde pœnitentiæ omnis cura abjicitur, sensus peccati extinguitur, cor obduratur, conscientiæ callus obducitur, animus ad divinæ legis monita minasque obsurdescit. Inde stolidi magis, præfracti, obstinati, intractabiles fiunt, giganteam quandam animi ferociam concipiunt, horribili superbia inflantur, profundo stupore demersi obbrutescunt: sui immemores evadunt et Dei, quem quia scelerum vindicem non sentiunt, vereri desinunt, aspernantur et negligunt, tandemque existere non credunt, aut rebus humanis non prospicere. Itaque priusquam vitiis renunciaverint, virtutemque amplexati fuerint, non jure debetur, non ex decoro convenit, imo non expedit illis, ut a pœnis liberentur, aut Deum sibi propitium experiri videantur. Cum vero ita dispositi fuerint, tum divinæ misericordiæ capaces esse incipiunt, tum faventis cœli beneficia grato animo accipere, et ex rebus prosperis qualemcunque fructum percipere queunt.

2. Patet idem ex natura, fine et usu pœnarum. Naturam habent remedii. Ex primaria intentione sua ad correctionem ordinantur. Ad hoc utiles sunt, ut melior et felicior evadat, qui perpetitur: ἡ κόλασις ἐπ' ἀγαθῷ καὶ ἐπ' ὠφελείᾳ τοῦ κολαζομένου· non ex pura vindicta procedunt, non ex odio mero; sed ab ira quadam propenso amore temperata, quali subinde Cl. Alex. Ped.

parentes in liberos incandescunt. Non sui gratia inferuntur, nec in patientis dolorem, miseriam, perniciem tendunt, imo in ejusdem gaudium, solatium, salutem collimant et destinantur: παιδείας rationem habent, quem castigant, monentis et instruentis; medicinæ amaræ, sed salubris; cathartici fastidium parientis, ast vitiosos humores evacuantis: caustici putridas excrescentias adurentis, sanas carnes reparantis. Instar ferri corruptas partes recidunt, sinceras conservant. Falcis ritu, inutiles ramos amputant, ut feliciores inserantur. Tanquam ventus, aream averrunt, difflant paleas, frumentum emundant. Ut ignis, sordes absumunt, scoream segregant, bonam massam puriorem, nitidiorem, splendidiorem reddunt. Verum animæ purgatorium sunt, ei incoctam labem excernens, affectus spurcos purificans, mentem cœlo præparans. Nec ob alios fines, quam ut animi stolidas opiniones avellant, stupidam incuriam excitent, contumacem ferociam contundant, fastuosos tumores reprimant, indomitas cupiditates compescant, peccati vividum sensum ingenerent, conscientiæ veternum excutiant, sui moneant, Dei memores timentesque efficiant, divinæ providentiæ fidem faciant, vitiorum denique ut radices extirpent, virtutum semina insinuent, vitam reforment, moresque corrigant, pœnæ mortalibus infliguntur. Quos fines antequam assequutæ sunt, expedit ut perdurent, illasque subducere crudelitati verius quam clementiæ esset deputandum. Sin scopum suum attigerint, castigatumque ad sanam mentem pertraxerint, earum omnis ratio evanescit, tum peracto suo negotio protinus cessare debent, nec habent quod ultra operentur: tum prorsus inutiles sunt, et velut sano medicina, frustra adhibentur.

3. Patet hoc ipsum ex natura Dei pœnas infligentis: quæ quidem ex quadam naturæ proprietate impura omnia et perversa odit ac detestatur; citiusque adversi poli coëant, prius cœlo infernus collidatur, facilius inter se amice conspirent infensissimæ antipathiæ, desinat esse prius contrarius ignibus humor, quam cum homine Deus, pessimo Optimus in gratiam redeat. Non potest ille non ad omnem impuritatem expurgandam, ad omnem iniquitatem coercendam, ad omnem nequitiam expugnandam, non seipsum naturæ sanctissimæ indesinenti impetu effundere. Nec ex alio manat hæc qualitas, quam ab illo bonitatis immensæ dulcissimo fonte. Bene enim Clem. Alex. ἕπεται τῷ ἀγαθῷ, ᾗ φύσει ἀγαθός ἐστιν, ἡ μισοπονηρία· quippe vitia quantum creaturæ suæ damni, molestiæ, miseriæ, afferunt, nequit ignorare, nec cum sciat non misereri et succurrere laboranti; nec ideo non enixam operam dare, ut a gravissimis istis malis liberetur, via naturæ suæ convenienti, id est, monitis, hortatibus, minis, correptionibus et pœnis; quas proinde infert, non sponte, nec ex suopte ingenio, sed invitus, et quasi coactus. Talem nobis depingit Jeremias Threnorum iii. 33. *Qui non affligit ex animo suo, mœstitiaque afficit mortales.* Talem se præbuit, cum Ephraimum castigaret, propheta attestante, *sonuerunt viscera mea super eum*, quasi condolesceret ac compateretur patienti. Sæpe se opera sua universa diligere testatur, mortem impii nolle, omnes ad salutem perductos velle. Nos vero Parentis optimi in nos indignationem concitamus, nos clementissimi Domini ultricem manum armamus, Jer. xxxi. 20.

—neque per nostrum patimur scelus
Iracunda Deum ponere fulmina.

Optime in hanc rem Salvianus: "Nos vim Deo "facimus iniquitatibus nostris, nos nolentem ulcisci "cogimus, nos parcere volentem non permittimus." Nec male Deo convenit quod Augusto tribuit Naso,

Est piger ad pœnas princeps, ad prœmia velox;
Quique dolet quoties cogitur esse ferox.
Qui cum triste aliquod statuit, fit tristis et ipse;
Cuique fere pœnam sumere pœna sua est.
Victa tamen vitio est hujus clementia nostro,
Venit et ad vires ira coacta suas.

Clemens est Dei ira, mitis justitia, salutaris severitas. Itaque antequam peccator resipiscat, potest Deus a pœna irroganda absistere, non magis quam bonus et justus esse desinere; nec magis quam fidelis medicus a curando abstinere, prius quam morbum expulerit, ægrumque ad justam sanitatem perduxerit. Tum vero, cum propositum suum obtinuerit, cum perversum rectificarit, aberrantem reduxerit, male affectum ad sanam mentem restituerit, ultro ei deferbescit ira, intime reconciliatur animus, serenatur vultus, seponitur flagellum, manu excidit fulmen; tum favoris amplo cumulo præterita supplicia compensat, et ad bonam frugem revocatum prodigum tenerrimo affectu complectitur; nec absurde dixit [a] Seneca, "Deum habet faventem et propitium, "quisquis sibi se propitiavit." Est enim Deus ex indole æterna, necessaria et immutabili benignus, misericors, placabilis, χρηστὸς, φιλάνθρωπος, μακρόθυμος, πολυέλεος· quo propterea argumento noster vates Judæos ad conversionem invitat, versu proxime sequenti, *Convertimini*, inquit, *ad Jehovam Deum vestrum, quia misericors et miserator est, longanimis, et multæ misericordiæ, et pœnitens super malum.* Talemque nobis Deum sacræ literæ, naturæ vox, gentium consensus, suffragia sapientum,

[a] De Provid.

et quotidiana experientia exhibent ac repræsentant. Ex quibus liquido apparet, quo Dei iram et inde oriundas calamitates evitemus, nobis necessario incumbere, ut convertamur ad Deum cum toto corde; id est, primo ut vitam reformare et mores emendare studeamus.

Secundo, Ex his colligimus, ad Dei iram avertendam necessario exigi et plurimum conferre de peccatis admissis serium dolorem, seu validam animi displicentiam. Cujus etiam pronunciati veritatem cum multa sanctæ scripturæ loca confirmant, tum rei ratio perspicue evincit. Quisquis enim vitæ male actæ sibi conscius, quot bonis exciderit, quantis se miseriis implicuerit, quam impie, inique, ingrate, optimum Patrem ac Dominum tractaverit, quantam a se bonitatem alienaverit, qualemque adversus se potentiam irritaverit, serio perpendit, non potest non summopere contristari, et gravissima cum animi anxietate sortem suam deplorare, nec ideo non peccata sua valde detestari, tot malorum causas, tam acerbi doloris origines. Ad quæ in posterum devitanda (cum alioqui divinæ indulgentiæ spes affulgeat), ut vitæ melius instituendæ consilium ineat, eique pertinaciter insistat, prægustatæ amaritudinis memoria acerrime stimulatur: ita quod S. Paulus asserit, ἡ κατὰ Θεὸν λύπη μετάνοιαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται. 2 Cor. vii. 10. Etenim ut Aristoteles ait, λύπη καθ' αὐτὸ φευκτὸν, nec 10. Eth. ad Nicom. in illa quis ultro se ingerit, a quibus vehementer doluisse se recordatur. Timet naufragus mare, ignem fugit, quisquis eum vel semel attrectavit; corpori cavet miles utcunque saucium se expertus; solitarios calles declinat a prædonibus aliquando spoliatus; qui ægrum se commeminit, sanitati noxia aversatur; quæ fastidium olim pepererunt palatum semper re-

spuit; quidni æque a vitiis abhorreat, qui vitiorum acerbos morsus præsensit? Se vero nec Deum vereri, nec peccatum odisse, nec seipsum nosse, nec periculi sui conscium esse, nec emendandæ vitæ propositum fovere, nec proinde divinæ misericordiæ capacem aut veniæ opportunum esse commonstrat, qui morborum spiritualium maxime sontico laborat, τῇ ἀναλγησίᾳ. Itaque ubique Deus sibi demissam animi dispositionem impense placere, se mœstos consolari, afflictos et animo pauperes recreare, humiles erigere, laborantes sublevare, corde contritos sanare, miseriæ suæ sensu dejectis veniam, subsidium, effugium indulgere, paratum ostendit; contra his oppositos animi habitus, superbiam, arrogantiam, confidentiam, ferociam aversari et abominari profitetur. Itaque ad Deum mitigandum, et pœnas depellendas, expedit, ut de admissis peccatis serio doleamus.

Tertio, Deducimus ad eosdem effectus, (nempe ad favorem recuperandum, et instantes calamitates averruncandas) externis animi mœsti contritique signis qualemcunque efficaciam competere, eademque a Deo injungi, probari, benigne accipi. Docemur hoc cum aliis, tum Achabi et Ninevitarum illustribus exemplis, et illo Ezræ viii. 23. *Jejunavimus itaque, et petivimus a Deo nostro propter hoc, et pacatus est nobis.* Nec de nihilo est quod, ut præmonitum, hæc conversionis et resipiscentiæ titulis commendata nobis veniunt. Nimirum Deo valde arridet doloris nostri spontanea ostentatio, humilitatis verecunda expressio, mutati propositi solennis attestatio; divinam gloriam illustrant, nostrum statum decent, ad mutuam ædificationem faciunt, quam profitentur pœnitentiam valde promovent, augent, confirmant, vitæque ad emendationem properantis ex-

imia pignora, auspicia, adminicula sunt: imprimis jejunium, de quo, quia res meretur, et præsens occasio flagitat, paulo fusius disseremus.

De *jejunio* nihil uspiam habetur in lege Mosaica expresse præscriptum, aut definitum; nulla regula traditur ejus observationem dirigens, nullum tempus ei dictum aut injunctum legimus. Nec alibi fere sub alieni nominis larva innuitur, nisi ubi de expiationis festo agitur, in quo Judæis præcipitur, ut animas suas vexent; quam vexationem sicuti de aliis abstinentiis voluptatum, ita præsertim de jejunio interpretantur Hebræi, haud absurde, ut mox videbimus. Nihilominus constat ipsos postea sibi omne genus jejunia instituisse, tam ordinaria, et ex statis temporum intervallis recurrentia, quam extra ordinem, et hæc cum publica, tum privata. Statorum jejuniorum celebris est mentio apud Zachariam vatem, cap. viii. *Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi, mensis erunt domui Judæ in gaudium, et lætitiam, et solennitates præclaras*; quæ quidem jejunia quatuor ex occasione variarum afflictionum et ærumnarum, quæ genti Judaicæ obtigerant, jam olim indicta, ad hunc usque diem observantur. De jejuniis extraordinariis ob præsentem aliquam vel imminentem calamitatem indictis sæpe legimus, quale Israelitarum, quum a Benjamitis cæsi et profligati sunt; Josaphati regis, quum ipsi Moabitæ et Ammonitæ bellum inferrent; Esdræ, cum ex captivitate Babylonica ad templum instaurandum se accingeret. Privatorum etiam jejuniorum non infrequens est mentio, quæ pii homines suopte arbitrio ad bonos fines sibi obeunda susceperunt; nec opus est ut Davidis, Nehemiæ, Danielis, et aliorum exempla proferam,

quando Salvator noster illis legem dixerit, et methodum descripserit; et constet e Judæis, quicunque præ cæteris devoti et pii erant, per totius anni curriculum singulis diebus Lunæ et Jovis jejunii agendi consuetudinem usurpasse, in quibus ille in evangelio Pharisæus gloriosus nomen profitetur suum. E quo ritu fluxisse videtur mos iste Christianorum antiquissimus, et nescio an ab ipsis apostolis ad nostra usque tempora deductus, bis hebdomatim jejunandi, utpote qui a Clemente Alexandrino, et Tertulliano, vetustissimis Patribus, communi suorum temporum usu comprobatus memoretur. Imo in hac omni materia, quam Judæi licentiam sumpserant, sibi eandem Christiani vindicarunt, quod ne facerent, nulla ratio prohibuit. Nam ex eo, quod licet in lege Mosaica de jejuniis omnibus (unico forsitan excepto) altum sit silentium, nedum ut de iis lex ulla figatur, vel certa aliqua et constans regula præstituatur, utcunque Hebræi non dubitarint complura ipsi observare, et aliis observanda præcipere, clare sequitur, Hebræos non ita se Mosaicæ legi adstrictos censuisse, ut extra ipsius explicitum præscriptum in cultu divino nihil attingere deberent; quin potius quæ ad pietatem in lege commendatam vel promovendam vel exprimendam conducere videbantur, ultro excogitabant, instituebant et observabant, prophetis Dei non improbantibus, imo laudantibus, et astipulantibus; qualia fuerunt festa εὐχαριστικὰ, atque jejunia Purim, Mardochæi magnatis authoritate stabilita, et Encœnia a Machabæis instituta; atque illæ, de quibus modo dictum, jejuniorum statæ solennitates. Quod si id Judæis non illicitum fuit, quibus Deus, quoad ritus religiosos et modum cultus sui, curiosius prospexerat, et strictiores officiorum cancellos præfini-

verat, multo minus Christianæ ecclesiæ adempta est, quam et semper sibi asseruit, quæ ad λογικὴν λατρείαν honesta, decora, utilia videbuntur, statuendi et præcipiendi potestas, cui scilicet Deus ampliorem indulsit libertatem, cui in modo, ordine, mensura et circumstantiis cultus sui nihil fere expressum, determinatum, vel singulare præcepit, ut consulto ipsius judicio et prudentiæ reliquisse videatur, quod in his rebus sibi ex usu esset, liberum deligendi arbitratum. Quod nisi partium immodicum studium, et altercandi prurigo pestifera multos transversos ageret, et omnia ex certis incerta faceret, nullam arbitror hac in parte, ut per multa secula non fuit, ita nunc dierum exituram controversiam. Et sane qui Judæos in extraordinariis festis atque jejuniis celebrandis sequi se et imitari non diffitentur, cur in statis et ordinariis obeundis eorundem exemplum tam pertinaciter detrectant, nisi quantum in animos hominum præjudicia valeant, non ignoranti mirum cuivis videri possit. Non enim hoc facere magis liberum illis fuit, quam nobis; imo tanto magis nobis, quanto Deus nobis parcius in his rebus providit, nosque minus arctis limitibus circumscripsit, quanto nos illis altius sapere voluit, quantoque licentia concessa nos melius uti possumus, aut posse debemus. Nec major iis ratio fuit, aut graviores illi causæ, cur hæc solennia jejunia procuderent, quam prisci religionis Christianæ antistites habuerunt, ut nobis nostra commendarent. Siquidem enim Judæi tabulas legis lapideas confractas, Hierosolyma obsidione cincta, templum concrematum, Gedaliam interemptum (quæ scilicet ex Judæorum unanimi consensu causæ fuerunt præcipuæ quatuor, quorum Zacharias meminit solennium jejuniorum instituendorum) anniversario

in perpetuum luctu recolenda autumarint; si istarum rerum recurrens memoria, ut proavorum antiqua delicta deflerent, et memorem Dei vindictam deprecarentur, satis illis causæ subministrarint, quanto dignior est passio Domini et Redemptoris nostri, qui pro nobis acerbam et ignominiosam mortem subiit, quæ solenni recordatione quotannis (quid si dixerim quotidie?) in sempiterna secula sit concelebranda? quanto potiori jure occasionem hanc arripere debemus peccata nostra gravissima fatendi ac deplorandi, qua Filium Dei sanctissimum et innocentissimum, deque nobis optime meritum, in crucem adegerunt? quo præterea luculentiori symbolo tam impensi amoris sensum exhibeamus? quo illustriori indicio pro tam eximio beneficio gratitudinem nostram exprimamus? quo denique certiori documento tantæ erga nos bonitatis benevolentiæ et charitatis susceptum æstimare nos, suscipere, et magni pendere demonstremus? Non ideo gravior illis causa fuit, sed nec sanctior finis propositus nec usus commodior oblatus fuit, nec major necessitas incubuit, nec uberiorem inde fructum isti percipere potuerunt, quam nos possumus; quod patebit jejunii fines et usus expendenti, quos nobis sacræ literæ, ratio et experientia ferme tales indigitant.

Primo, Primarius jejunii finis in sacra pagina perhibetur, ut ob perpetrata peccata conceptum dolorem augeat et intendat; unde passim afflictio, vexatio, humiliatio, vel depressio animæ nuncupatur; Græcis traductoribus nunc κάκωσις, nunc ταπείνωσις τῆς ψυχῆς. Ps. xxxv. 13. *Affligebam in jejunio animam meam;* ἐταπείνουν ἐν νηστείᾳ τὴν ψυχήν μου. Esræ viii. 21. *Tunc indixi ibi jejunium juxta fluvium Ahava, ut affligeremus nos coram Deo nostro.* Esaiæ lviii. 3. *Ut quid*

jejunavimus, et non aspexisti, afflixímus animas nostras, et nescivisti? Judithæ, iv. 9. ἐταπείνωσαν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἐν ἐκτενείᾳ μεγάλῃ, quod de jejunio intelligi ex contextu liquet. Et proinde patet in expiationis festo, quum imperatur ut affligant animas suas, de jejunio recte accipi a Judæis: quod et sub gravis pœnæ periculo injungitur, Lev. xxiii. 29. ***Omnis enim anima, quæ non fuerit afflicta eo ipso die, excidetur a populis suis.*** Idemque proculdubio respicitur, Num. xxx. 14. ***Omne votum, et omne juramentum obligationis, ut affligat animam suam,*** Ὅρκος δεσμοῦ κακῶσαι ψυχήν, ubi materia fit voti vel juramenti Deo sancte præstandi, etiam a feminis. Nec obscurum est, pio dolori amplificando jejunium quantopere inserviat; cum operative naturam lacessendo, sensum imitando, spiritus acuendo, appetitum stimulando, quam privative dolorem prohibens gaudium submovendo, voluptatem extinguendo, et lascivientis animi impetus coercendo. Recte philosophus, Nicomacheorum ultimo, γινομένης μὲν ἀναπληρώσεως ἥδοιτο ἄν τις, καὶ τεμνόμενος λυποῖτο, Semper inediæ mœror sequela est, sic ut lætitia accessio saginæ. Nec sane nisi subductis lætitiæ alimentis, cibo et potu, possibile est, ut quispiam valde contristetur. His natura velit, nolit, reficitur, oblectatur, exultat. Ex horum usu per inevitabilem resultantiam venæ turgent, spiritus exhilarantur, corpus roboratur, sensus titillatur, lætificis halitibus cerebrum repletur, imaginatio obtunditur, et cum mentis acumine tristitiæ acrimonia hebetatur. Itaque ferocienti jumento pabulum subtrahendum, servus contumax fame edomandus, prurienti naturæ blandimenta præcidenda sunt, siquidem peccati vivido sensu cruciari, et vehementis molestiæ aculeis animum pungi oporteat.

Secundo, Nec solummodo dolorem alit jejunium, sed et spiritualem parit lætitiam, animumque ad percipiendam e cœlestibus voluptatem summopere disponit; nec hoc tantum indirecte et ex consequenti, quatenus defunctæ officio conscientiæ necessario gaudium adnascitur, sed directe et effective, juxta Augustini dictum, " Cessando a lætitia carnis " acquiritur lætitia mentis. Crassis enim corporeæ " voluptatis fumis soluta mens amœnioribus radiis " scintillat." A ventriculo quæ exhalant, nubibus discussis, in amabile sudum serenatur; sensualis complacentiæ sordibus detersis, nitidiori facie resplendet. Compedibus exemptis liberior, onere sublato levior, amotis impedimentis expeditior, molestiis abdicatis alacrior, sensu carnali destituta ad spirituales gustus acrior, occupationibus corporeis defuncta ad intellectus munia habilior, inimica carne debilitata, spiritu fortior, vegetior, animosior, ex his omnibus lætior, placidior, vivacior evadit. Quo spectat Basilii monitum, *εἰ βούλου ἰσχυρὸν ποιήσαι τὸν νοῦν, δάμασον τὴν σάρκα διὰ νηστείας.*

Tertio, jejunium ad precum aptitudinem et efficaciam admodum conducit. Unde hæc duo, ***oratio et jejunium***, in sacris literis indivulsa copula sociantur; juxta Chrysostomi effatum, *νηστείας ἀδελφὴ καὶ ὁμόζυγος εὐχή.* Uno partu gemellam hanc sobolem religio enixa est: inde perpetuæ consuetudinis fraterno vinculo colligantur; idem sacra biga officiorum jugum trahit; indissociabili nexu comitantur se invicem, et amice conspirant, maximosque semper ad pietatis effectus collatas operas præstant. *Σύντε δὺ ἐρχομένω* Adag. nihil non valent efficere, cœlum flectunt, infernum expugnant, mala abigunt, judicia avertunt, beneficia accersunt. Ex hisce partibus conflata est

sanctæ mulieris Annæ devotio, Luc. ii. 37. Νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν quo his vacarent, monet apostolus conjuges, ut maritali toro interdum abstinerent, 1 Cor. vii. 5. Ἵνα σχολάζητε τῇ νηστείᾳ, καὶ τῇ προσευχῇ. Harum junctas vires libidinum dæmoniis eliminandis unice sufficere docet Christus, Matt. xvii. 21. Τοῦτο τὸ γένος οὐκ ἐκπορεύεται, εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ. Gemina hac oblatione apostoli Deo sacrorum administros consecrabant, et ecclesiæ gubernaculis presbyteros admovebant. Act. xiv. 23. Χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν παρέθεντο αὐτοὺς τῷ Κυρίῳ· quorum vestigiis etiamnum insistit ecclesia, et semper inhæsit; ut non dubitet Basilius M. affirmare, nefas esse sine jejunio quenquam sacrum hoc officium attrectare: οὐ γὰρ δυνατὸν (inquit) ἄνευ νηστείας ἱερουργίας κατατολμᾶν. Imo nec olim nisi per orationis atque jejunii bipatentes valvas, quisquam in ædem Dei, ecclesiam dico, admissus est. Author est S. Justinus, Apol. II.[z] pro Christianis: Ὅσοι ἂν πεισθῶσι, καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα, τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ Θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων, καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς. Nec fere (ut paululum digrediamur) ut sine precibus, sic absque jejunio præclari quicquam gestum aut administratum legimus. Sub jejunii conditione humani generis salus primæva stetit; nec nisi violata legum vetustissima, *Ne comedas*, simul et semel pessundati omnes, et ab amplissimæ felicitatis fastigio in hunc infimæ miseriæ statum delapsi sumus; nec jejunio nobis jam opus

Vid. Cyp. Ep. vii. p. 20.

[z] [Apol. I. 61.]

esset, si Eva olim jejunasset[a]. Jejunii quoque impa-
*Tert. tiens Esau, "*facilius ventri quam Deo cessit," pabulo
potius quam præcepto annuit, salutem gula vendidit;
Heb. xii. 16. et ἀντὶ βρώσεως μιᾶς ἀπέδοτο τὰ πρωτοτόκια αὐτοῦ, ut est
apud authorem ad Hebræos. Quadragesimale quod-
Tert. dam jejunium quum observaret Moses, vidit oculis
Dei gloriam, et audivit auribus Dei vocem, et corde
conjecit Dei legem. Æque diuturnæ inediæ patiens,
legis vindex, et vatum antesiganus Elias, cum in
speluncam divertisset, familiari Dei congressu et
quodam Numinis quasi contubernio exceptus est.
Nec in minus temporis spatium protracti jejunii ar-
matura instructus, legis veterisque instaurator, et
novæ author, Christus Diaboli insultus sustinuit, re-
pulit, superavit, ἡμᾶς παιδεύων νηστείαις ἀλείφειν, καὶ παι-
δοτριβεῖν ἑαυτοὺς πρὸς τοὺς ἐν τοῖς πειρασμοῖς ἀγῶνας, ut
optime inquit Basilius. Paris intervalli abstinentia
Ninevitæ enormibus flagitiis suis accensam Dei iram
restinguere, excidii latam in se sententiam rescin-
dere, ipsumque Deum quasi ad palinodiam adigere
potuerunt: quod exemplum intuens Patrum non
nemo satis audacter dixit, " Sodoma quoque et Go-
" morrha evasissent, si jejunassent." Semiquadra-
gesimali temperantia (vir desideriorum) Daniel ad
visiones eximias claro intuitu conspiciendas, atque
ad revelationes istas mirabiles puro animo percipi-
endas sese comparavit. Triduano jejunio Regina
Esthera Amani perniciosas molitiones elusit ac in-
fregit. Jejunio freti Esdras et Nehemias ad urbem
sanctam extruendam, et domum Dei instaurandam,
auspicato se contulerunt. Ejusdem præsidio com-
muniti Samuel Philistæos, Josaphatus Ammoni-

[a] Εἰ ἐνήστευσεν ἀπὸ τοῦ ξύλου ἡ Εὔα, οὐκ ἂν ταύτης νῦν ἡμεῖς ἐδεόμεθα τῆς νηστείας. Bas.

tas, et, ni fallor, Hezekias Assyrios exultantes repressit et profligavit; Achabus vero quas peccando acceleraverat pœnas, jejunando distulit, et a se penitus elongavit. Quæ ex sacra scriptura lubens commemoro, ceu non temere effusa, sed in usum et exemplum nostrum πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, tradita et consignata. Quid porro pœnitentiæ præconem referam et evangelicæ lucis phosphorum, Johannem, cujus vita, angelicæ æmula, μία νηστεία ἦν, ut e Patribus aliquis dixit, continuum fuit jejunium? quid ethnici orbis magistrum apostolum, qui, seipso teste, frequentibus jejuniis corpus suum subegit et maceravit? cum nemo, opinor, usquam fuerit sanctorum, qui non ad cœlestem militiam sacra hac gymnastice se exercitarit, qui non divina hac face devotionem suam accenderit, cujusque non hac ala subvectæ preces ad cœlos evolarint. Nam ut Basilius, νηστεία προσευχὴν εἰς οὐρανὸν ἀναπέμπει, οἱονεὶ πτερὸν αὐτῇ γινομένη πρὸς τὴν ἄνω πορείαν. Hoc autem præstat (ut tandem ex diverticulo in viam redeamus), preces, inquam, adjuvat jejunium,

2 Tim. iii. 16.

1. Indigentiæ nostræ sensum imprimendo, et excitando animæ desiderium ad res necessarias appetendas. Nobis enim usu venit, ex unius rei, qua caremus, conscientia, ut ad alia, quibus pariter egemus, consideranda et expetenda erigamur; et semel excitatus affectus ad quælibet sua objecta se promptius diffundit, haud secus quam fluens aqua in quosvis sibi obvios canales facile derivatur. Terreno pabulo destitutus, cœlestis cibi memor et cupidus efficitur: corporeæ voluptatis exors ad spirituales delicias anhelat.

2. Deinde comprimendo cupiditates lascivas, im-

puras, supervacuas, quibus sancta animæ desideria, ceu puræ aquis superfusis flammæ, suffocantur; quibus affectuum meliorum fervor retunditur, cordis puritas inficitur, Spiritus Sanctus abigitur.

3. Item animam ad meditationem facilius, suavius et tranquillius obeundam comparando; dum multiplice sarcina prægravatum allevat, corporeos tumultus sedat, fluctuantem phantasiam componit, et phantasmata vaga, stolida, tumida, spurca fugat, crassos halitus discutit, menti nebulam offundentes, cogitandi quoque instrumenta, spiritus animales defæcatiores reddit, puriores, subtiliores, agiliores.

4. Denique animæ dispositiones istas gignendo, alendo, confortando, quibus Deus potissimum delectatur, et ad auscultandas preces disponitur. Nam,

Quarto, Jejunium ex se est exercitium multarum virtutum, quas procreare aptum natum est, productasque fovere et conservare. Omnimodæ temperantiæ directe et immediate inservit, ejusque fidissima disciplina, utilissima palæstra, tutissima est custodia. Docet enim appetitus immodicos refrænare, voluptatum illecebris obsistere, corpus subigere et δουλαγωγεῖν. Affectus carnales cohibet, voluntatem propriam subjugat, et ad ἑαυταπαρνησίαν assuefacit. Humilitatem ac modestiam vi quadam sua peculiari parit et nutrit. De pœnitentia quid dicam, ad cujus incrementum ex primaria intentione designatur, nec idcirco inepte a *quodam vocatur, ἀρχὴ μετανοίας, et ab eodem dicitur, μετάνοια χωρὶς νηστείας ἀργή? Paucis, ad vitiorum ferme omnium radices avellendas, nervos succidendos, alimenta subducenda, fomites restinguendos, non exilem sortitur efficaciam. Nec, si frequens ejus usus sit, si bono animo suscipiatur, et prudenti consilio administretur, ullum fere habet re-

* Bas. M.

ligio omnis nobilius, potentius, accommodatius instrumentum.

Quinto, Utile est jejunium publicum præsertim ad hoc, ut dolorem nostrum significet, alienum eliciat, humilitatem privatam prodat, publicam provocet, et consequenter ut gloriæ Dei consulat, et ecclesiæ ædificationem promoveat. Nos enim peccata nostra sentire, fateri, detestari, deplorare, deprecari, divinam Majestatem vereri, potentiam expavescere, justitiam agnoscere, misericordiam implorare testatur: quam de Deo magnifice, de nobis demisse sentiamus; ut pœnis merito obnoxios, præmiis indignos, beneficiis impares, nec necessaria vitæ, nedum oblectamenta attingere promeritos nos arbitramur; quamque præ Dei cultu, favore, et obsequio reliqua omnia, utcunque suavia, vel necessaria contemnimus et posthabemus, eo palam docemus et profitemur. Omitto minores ejus usus et commoditates percensere, veluti quod satisfactionis cujusdam speciem habet, dum delicta nostra voluntariis quasi pœnis expiamus; nos ipsi judicamus, ne judicemur a Deo; Deoque illatæ injuriæ spontanea ultione divinam nemesin antevertimus, cum Augustino nimirum dicente, " Excrucio me (plane) ut ille parcat; do de " me pœnas, ut ille subveniat:" quod ex eo temporis usuram lucramur, negotiis secularibus renunciantes, ut divinis vacemus; ut cœlesti pabulo reficiamur, terreno temperantes; nec digerendum stomacho cibum ministrantes, ut pia meditatione defixi divina ruminemus. Quod corporis sanitatem conservat, et infirmitati medetur, unde μήτηρ ὑγιείης, εὐεξίης φυλακτήριον, σώματι σύνοικος ἀσφαλὴς dici meruit. Quod denique charitati et eleemosynis suppetias fert, nostræ gulæ abstrahens, quod pauperum fami

Bas.

saturandæ erogemus; quod in vero jejunio requirit
Es. 58. 7. Esaias, cap. 58. *Nonne hoc est jejunium quod ego elegi—Ut frangas esurienti panem tuum, et pauperes vagos introducas in domum*, &c.

Accedunt ad laudem jejunii consummandam, Christi et apostolorum exempla, monita, consilia; piorum omni ævo consentiens praxis; sanctorum Patrum magnifica encomia, et argumentorum invictissimum, experientia utentium. Cum igitur tam graves causas, tam laudabiles scopos, tam insignes usus, tam eximios fructus, tam sanctam authoritatem habeat jejunium, quæ causa est, ut ecclesiæ adeo salutare institutum commendanti refragemur? Quid si lamentabili cum ejulatu vociferari, lachrymis coactis sinum perfundere, vestimenta discindere, pectus tundere, cilicio corpus involvere, capiti cineres inspergere, humi nos prosternere, et pulvere demersos volutare, (qualia pœnitentiæ indicia, non inter Judæos modo, sed et veteres apud Christianos invaluisse, præter indubitatæ suffragium historiæ vel hujusce diei titulus abunde fidem fecerit,) a nobis ecclesia postularet? Ita pauca, tam mitia, adeo facilia jubenti qui tam præfracte adversantur, quo clamore tam austeram disciplinam exciperent, quas querelas evomerent, quales tragœdias excitarent? At quibus longe graviora illi pertulerunt, cur nobis intoleranda videntur? quæ fructuosa illi experti sunt, unde nobis perniciosa evaserunt? quamobrem nos ceu superstitiosa arguimus, quæ sancta illi reputarunt? Quæ prisci doctores illi, quibus religionem nostram acceptam, servatam, propagatam, nobisque in manus traditam debemus; illam qui voce professi sunt, ingenii acumine viribus propugnarunt, vitæ exemplo illustrarunt, et sanguine suo obsignarunt; quæ, inquam, illi proba-

runt, laudarunt, usurparunt, quare nos damnamus, rejicimus, detrectamus, nisi quod nos illis immane quantum magis delicati, morosi, refractarii sumus? Certe nondum officii nostri ratio cessavit, nec divini præcepti vigor defecit, nec ecclesiæ quasi senio confecta potestas expiravit, nec rei ipsius virtus effœta, vel abolita est efficacia. Adhuc jejunium utile, et salubre, et sanctum, et pene necessarium est; quod nemo ausit negare. Displicet vero quod tempus ei præstitutum, quod crebrius usurpatur, quod præcipitur, et imperatur; placiturum nempe si vagæ, indeterminatæ, et arbitrariæ observantiæ permittatur; imo vero ita placiturum ut penitus negligatur, contemnatur, in desuetudinem abeat, nisi certa illi lex figatur, et statum tempus deputetur. Quidni etiam iisdem objectiunculis freti ab oratione crebra, a Deo solenniter laudando et celebrando, a concionibus frequentandis, et ab omnibus sacris officiis pariter abhorreant? quibus etiam sua tempora assignavit, quorum frequentem usum exigit, quæque pari authoritate sanxit ecclesia? cur non et hæc libero cujusque arbitrio relinquuntur, ubi, quando, quomodo collubitum fuerit, suscipienda, vel omittenda? Annon confessio peccatorum nostrorum æque ac divinorum beneficiorum agnitio; dolor pro Deo offenso, ac lætitia in Deo propitio; contritio cordis, ac emendatio vitæ, humiliatio, sui abnegatio, abstinentia voluptatum æque ac aliæ quælibet virtutes a nobis semper exiguntur? Quidni igitur harum instrumenta, adminicula, exercitia, pariter ac illarum, in perpetuo, constante, ordinario, præfinito sint usu? Et si hæc sæpius adhibita vitæ sanctimoniam juvare queant, ædificationi communi inserviant, nec exiguas nobis utilitates afferant, quæ ingratitudo, quæ ini-

quitas, quæ perversitas, imo quæ insipientia est optimæ matris curam aspernari, consilia respuere, mandatis obmurmurare? Verum hisce diutius inculcandis ut abstineam, tempus admonet, ne prolixitate nimia patientiam vestram violem, vobisque quam immodice laudo, importune inducam pœnitentiam. Ad hoc igitur tantum veniæ vestræ indulgentiam aliquantisper peto, liceat ut mihi duntaxat paucis ad nos prophetæ verba adaptare, *Convertimini ad me cum toto corde vestro in jejunio, et fletu, et planctu.* Convertamur, inquam, nos ad Deum; nos vitam reformare, peccata deflere, supplicis pœnitentiæ signis conspicuis fructibusque idoneis iratum Numen mitigare, summa ope enitamur. Nos, quibus alios convertendi officium incumbit, quique ad Deum redeuntibus præire exemplo, et iter præmonstrare debemus. Nos, qui in Deum præ aliis gravissime deliquimus, contra mentis lumen clarius, et veritatem intimius perspectam, et acriores conscientiæ stimulos, et ampliora Dei beneficia, et cœlestis gratiæ uberiores influxus. Nos, inquam, in quos Deus se haud mediocri ira exarsisse, non obscuris indiciis patefecit; quos severioribus judiciis exercuit, quosque ultimo pene exitio devovisse visus est; quosque proinde liberaliore misericordia devinxit, tot ærumnis exemptos, tantis perplexitatibus extricatos, et ab impendentis ruinæ faucibus ereptos.

Enimvero, fratres, ex gravissimis malis emersimus; immania rerum discrimina effugimus; ex desperato languore in sanitatem pene integram convaluimus, magnam partem pœnarum, quas divina justitia inflixerat, supra modum, præter spem, ultra meritum nostrum clemens, divina bonitas relaxavit. At nisi pravos humores malignæ intemperiei reliquias

evacuamus, nisi mores nostros nondum satis defæcatos repurgamus, ut recrudescat morbus, nosque in pejorem statum relabamur, ut consopita nemesis evigilet, et læsa Dei patientia in furorem recandescat, ingens subest periculum, imo certa necessitas. Quamobrem luctuosa experientia ad sapientiam eruditi, præcedentium malorum causas solicito studio vitemus; quibusque impegimus scopulos, cauto remigio prætervehamur. Corruptricem morum luxuriam sobrio victu castigemus. Ambitionem, ordinis nostri summum dedecus, exuamus; ejusdem præcipua ornamenta, humilitatem et modestiam induamus. Inanium titulorum ventosos strepitus, mundanæ pompæ ludicrum splendorem, popularis auræ insulsos plausus, et secularis potentiæ fallaces typhos contemnentes, ad inculpatæ vitæ solidam laudem, et veræ virtutis intaminatum honorem aspiremus. Infamis avaritiæ pestem, qua nulla clero infensius odium conciliare, aut graviorem conflare solet invidiam, cane pejus et angue, execremur. Non alienis rebus inhiemus; nec viis illicitis vel inhonestis ad opimas possessiones contendamus, nec præsentis seculi de sordidis exuviis rixas, et turbas, et controversias moveamus: virtutis potius, sapientiæ, et pietatis cœlestibus thesauris reponendis operam impendentes. Socordiæ quoque excutientes veternum, officio quisque suo gnaviter, constanter, fideliter defungamur. Præcipue vero charitatis, in qua religionis nostræ summa consistit, in qua Christianæ vitæ perfectio elucet, cui salus nostra, pax, et felicitas tam æternæ, quam temporariæ innituntur; charitatis, inquam, sanctæ, beatæ, gloriosæ divinum, qui refrixit, ardorem exsuscitemus. Nos invicem omnes sincero et fervido affectu diligamus. Injuriarum, discordiarum,

simultatum, et inimicitiarum veterum memoriam deleamus, novarum causas, occasiones, prætextus devitemus. Alter alterius onera portemus, infirmitates toleremus, offensas condonemus. Infensa præjudicia deponamus, iniquis suspicionibus ne indulgeamus; credulitati malignæ et temerariæ censuræ temperemus; ne calumnias cuiquam struamus, nec detrahamus, nec obtrectemus; nec maledicamus, nec insultemus, nec facta in sequiorem partem detorqueamus, nec dicta duriori interpretatione pervertamus; nec probris immeritis, imo nec meritis quempiam incessamus; in neminem satyrica petulantia invehamur, nec insolente cum ferocia detonemus; nec e sacro hoc suggestu ebullientis cerebelli spumas aut æstuantis stomachi bilem, aut exulcerati splenis virus eructemus; nec religionis fuco inveteratum odium, aut zeli pallio turpem invidiam, vel veritatis obtentu atrocem malitiam occultemus. Cum omnibus pacem, concordiam, benevolentiam colere; humanitatis, pietatis, et charitatis officia commutare parati simus. Æquos nos quibuscunque, ingenuos, benefícos, mansuetos, comes, affabiles præbeamus. Controversias, factiones, dissidia ne foveamus, nec de rebus minimi momenti tanta cum acerbitate litigemus; judiciis nostris ne nimium tribuamus, nec privatis opinionibus alii alios vexemus, torqueamus, inquietemus. Dissentientes placide feramus, non Turcas dico, vel paganos, aut hæreticorum nequissimos, quanquam humanitatis id esset, sed fratres nostros, eandem fidem profitentes, eadem spe imbutos, ejusdem in præcipuis animi; circa minutulas tantum quæstiunculas, et argutulos subtilitatum apiculos sententia discrepantes, humanæ forsitan fragilitatis vitio deceptos, aut sophismatum laqueis irretitos, aut

speciosis ratiociniis illectos, vel diversæ disciplinæ præjudiciis abreptos; hos, inquam, tales ne tetrica vi, nec zelo amaro, nec furiali iracundia, nec hostili odio, nec effræni maledicentia insectemur, ast aberrantes qua licet, fideli consilio, blanda admonitione, amica suadela in viam reducamus. Nemo aspere præsit, morose, superbe, ceu impotentem dominatum affectans, sed benevoli animi signis, comitate, gravitate, prudentia subditos in obsequium trahat, tanquam illorum qui bono studeat, et commodo invigilet. Nos vero, qui subsumus, demissos nos præstemus, morigeros, tractabiles, antistitum justis mandatis alacriter obtemperantes, prudentibus consiliis prompte auscultantes, personis debitam reverentiam officiose deferentes; nec in illos immodesti, pervicaces, queruli, vel importuni simus, nedum ut eos vituperemus, infamemus, convitiis proscindamus. Invidiam denique omnem, malitiam, contumaciam, reliquosque pravos affectus seponamus. Ita quidem, contra quam plerique nunc facimus, vitam instituamus oportet, si aut ecclesiæ honori consultum cupimus, aut patriæ quietem sartam tectam conservari volumus, aut favorem propitii Numinis diuturnum retinere præoptamus. Nec ut vitæ tantum futuræ seriem juxta legis evangelicæ normam emendate transigamus; sed præteritæ errata ut serio dolore prosequamur, fateamur, detestemur, iisque debitam divinam ultionem cum jejunio, ploratu, et planctu deprecemur. Nec idcirco instantem hanc, quam ecclesiæ veteris consuetudo, præsentis consilium, legis insuper politicæ præscriptum, et reipublicæ authoritas nobis commendarunt, opportunitatem omnino negligamus. Quæ bono cum fructu et felice successu ut efficere valeamus, nos gratiæ suæ cœlestis

præpotente influxu juvet, Fons ille bonitatis, et Pater misericordiarum æternus, cui cum benedicto Filio et Sancto suo Spiritu, sit omnis honos, laus et gloria in secula seculorum. *Amen.*

Pax Dei, quæ superat omnem intellectum, conservet corda vestra, et mentes vestras, in cognitione et amore Dei, et Filii ejus Jesu Christi Domini nostri; et favor omnipotentis Dei, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, vobis adsit, vobisque semper maneat. Amen.

EPITOME FIDEI ET RELIGIONIS TURCICÆ,

A MUHAMETO KUREISCHITA,

ARABUM PROPHETA,

PRIUS IN ARABIA DESERTA, POSTEA A SUCCESSORIBUS PER TOTUM PENE ORIENTEM DIFFUSÆ.

MUHAMMED, cum quadragesimum ætatis suæ annum attigisset, sibi revelationes fieri, legemque a Deo constitutam commatim per angelum Gabrielem adferri XXIII annorum spatio apud Arabes, præcipue Meccanos et Medinenses, prædicabat. E quibus, scilicet, cœlitus demissis commatibus conflatus est liber ille, qui Alcoran (id est, Legenda) appellatur. hic liber apud Turcas tanta cum veneratione contrectatur, ut quispiam illoto corpore et manibus non aperire aut legere solum, sed ne tangere quidem audeat, nisi forte necessitate coactus; tunc temporis panno aut sudariolo aliquo obvolutum sublevare licet: huic libro, aut suo lectori, terga vertere nefandum est. *Hitet*, id est, scriptores, qui hunc librum pulcherrime describunt, magnis præmiis decorantur; aliqui mille coronatorum pretio mercantur. *Huffar*, id est, eos qui hunc librum memoriter conservant, ceu numina quædam venerantur, et quibus facultates adsunt, ad ædes convocatos thymiamate honorant, et iiscum convivalia oblectamenta peragunt; omnes libros, paginas et schedulas, tam propriis quam exoticis literis exaratos, diligenter recon-

dunt, ne pedibus conculcentur, aut parum pie tractentur; veriti quod versus aliquis Alcorani, aut saltem ipsum nomen Dei in ipsis notatum inveniatur: unde Christianos hostili odio et maledictionibus prosequuntur, quod (salvis auribus) charta tam scripta quam inscripta podices abstergant: versiculos exinde descriptos amuleti loco ex collo aut brachiis suspendunt, et ita se ab omnibus corporis ac animæ periculis salvos esse firmissime credunt: pro victoriæ aut aliarum divinarum gratiarum impetratione aliqua particularia Surath (id est, capita) ex expresso imperatoris edicto perlegunt: procellarum tempore ad antennas, pugnarum ad vexilla appendunt: omnes fere legunt, et quidem tam superstitiose, ut literas, accentus et periodos connumerent, ast perrari intelligunt, a concionatoribus tamen explicationem audiunt, qui nisi approbatissimi sint, concionari non permittuntur. In hoc igitur libro seculares et spirituales leges continenti præcipitur,

I. Primo, Ut quilibet credat unum esse Deum, non trinum; absque ullo consorte aut consimili; Creatorem, Largitorem, Præservatorem, Permutatorem omnium creaturarum, exemptum ab epitheto Patris et Filii, ut quippe qui nec natus est nec genuit; nullibi manet, et ubique existit; nullam effigiem, qualitatem, colorem, membrum possidet: est sine principio, et sine fine erit: essentia ejus ex seipso est, et non ab alio: natura ipsius semper in eodem statu est; nec ullos unquam animi affectus patitur. Si vult, omnia creata in nihilum vertet, et iterum reficiet: nemine indiget, et omnes eo egent; si omnes infideles fidem ingrediantur, et omnes impii pietatem colant, nihil ei hinc commodi; et si omnes

ɜani fuerint, nec eum adoraverint, nihil damni pro-ıire potest: vivit; scit omnia tam occulta quam ınifesta; numerum foliorum et granorum, arena-n et capillorum novit; specialia, universalia, præ-ita et futura, mentes et corda, præsentia et ab-ıtia ille solus, non quispiam alius, cognita habet: ı obliviscitur, non errat, nec quicquam negligit: lit omnes voces tam submissas quam erectas, taci-ıimos quosque susurros: videt nocte obscura quo-e; nigræ formicæ gressum super nigrum lapidem nit; et auditus et visus ejus auditui ac visui hu-no dissimilis est: omnia ex sua voluntate depen-ıt, cum mala, tum bona: fidelium fidem et pio-n pietatem, paganorum infidelitatem et sceleru-um scelera vult; et si nollet, nullus esset infidelis, : ullus protervus: muscæ alas commovere ne-eunt absque sua voluntate: ejus mysteria inenun-bilia sunt, nec acerrimis quibusque ingeniis in-ıtigari possunt; neque ea scrutari debemus, sed ficit simpliciter credere talem esse qualem dixi-ıs.

II. Secundo, Credatur esse angelos, servos Dei ɛdientes; qui nec peccant, nec comedunt, nec bi-nt, nec masculini, nec fœminini sexus sunt. Inter ı sunt Deo propinquati, et prophetæ etiam: qui-et suo muneri et officio præest; aliqui in terris, qui in cœlis, aliqui stantes, aliqui inclinati, aliqui ɔstrati: alii laudes canunt; alii hominibus præfecti, o bona et mala opera recenseant; alii pro ipsorum ıtodia: aliqui maximi corporis sunt, et eximio ro-re pollent; una hora e cœlis in terras descendunt; una alæ penna montes elevare et dissipare possunt: rum maximus est Gabriel et potentissimus: Esrail ɔrientium animas recipit, et angelus mortis vocatur.

Israfil extremi judicii indicatricem tubam canere debet, quam semper ori appositam tenet, et jussum Dei præstolatur; jussus inflabit tubam; ejus clangore perculsi viventes omnes, sive sint animæ sive corpora, emorientur, ipsemet tibicen interibit, et totum universum XL annos vacuum permanebit; post dictos annos rursus Israfil a Deo resuscitabitur, iterumque sonare jubebitur, quo sonitu omnes animæ et angeli excitabuntur et reviviscent, ac ad tremendum judicium comparebunt. Lucifer, qui Iblis vocatur, olim fuit angelus lucis, sed quia Dei mandato, (scilicet, ut ante Adamum noviter creatum simul cum aliis angelis sese prosterneret,) inobsequens fuit, et se ex lumine creatum præstantiorem esse eo, qui ex limo productus erat, superbe prædicavit, e cœlis ejectus est, et usque ad diem extremum spem gratiæ expectat: hic plurimos peperit filios, cum quibus filiis hominum adversatur; hi sunt angeli mali et tentatores; in quodlibet membrum hominis ingredi possunt, seducunt et decipiunt: suggerunt tamen ad infidelitatem, sed cogere nequeunt; quilibet sibi ab ipso caveat, eumque esse inimicum humanæ naturæ pro certo sciat.

III. Tertio, Credatur quatuor potissimum libros, viz. Biblium Moysi, evangelium Jesu Christo, Psalmos Davidi, Alcoranum Mahumeto cœlitus demissos: omnes esse veros; tres autem anteriores, utpote a plerisque false descriptos, interpretatos, falsificatos, corruptos et abolitos per Alcoranum novissime demissum abrogari: in eo enim omnia ea, quæ vere in prædictis libris continebantur, reperiuntur; et hic sufficiet usque ad diem resurrectionis; non augescet, nec diminutionem aut corruptelam patietur.

IV. Quarto, Credatur prophetas et evangelistas a

Deo esse missos, ut prædicent veritatem. Adamum, prophetarum patrem, ex sicco cœno conflatum esse, ut suæ proli Factorem sui indicaret; hic primus propheta, uti Muhammed omnium ultimo missus in mundum: hujus anima, tam hominum quam dæmonum gratia, ab æterno creata in ardenti lampade conservabatur usque ad diem suæ nativitatis. Lex, quæ ei data est, in æternum perseverabit: ejus asseclæ omnium præstantissimi habentur apud Deum: hujus miracula erunt et post mortem, uti fuerunt in vita: ex digitis fontes manarunt; Lunam digiti signo unico in duas partes divisit, quæ e proprio orbe in sanctum venerabundæ descenderunt, ac per sinum ingressæ, et per manicarum aperturas egressæ, iterum ad suum locum ascenderunt; saxa, arbores, animalia ipsum alloquebantur, verumque Prophetam Dei esse confitebantur.

V. Quinto, Credatur fore diem judicii, et quæ Muhametus de signis, quæ ante hunc apparere debent, nunciavit omnia esse verissima; nempe, adventum Deggiali, hoc est, antichristi; descensum Jesu Christi e cœlis, ut eum interficiat; nativitatem Muhdi, hoc est, directoris, e stirpe Muhameti, qui cum Jesu Christo conveniet, et ei suam filiam nuptum dabit; tunc temporis XL annos una fides manebit per totum orbem, et hæc Mahumetica a Jesu Christo attestata; exitum Gog et Magog, *viz.* extremi orientis Scytharum, qui formicis minores erant; et aliorum reptilium, quæ totius mundi aquas ebibent, quapropter homines siti necabuntur: horum Gog Magog 50,000 unum humanum calceum inhabitare debebunt, et admirari quod antiquitus tam magnæ aulæ fundarentur; ortum solis ab occasu, et occasum ad orientem; mortem omnium animantium; montium per aërem volatum;

liquefactionem cœlorum, et post aliquod tempus eorundem instaurationem; nudorum hominum a mortuis resurrectionem; prophetis, sanctis, doctoribus, togarum cœlestium (quæ Hulet appellantur) et jumentorum coruscantium (quæ Burak vocantur) e Paradiso demissionem, quibus ii vestiti et conscensi sub obumbrantem Dei thronum migrabunt, ibique considebunt: gentes autem residuæ nudi, famelici, sitibundi, in pedibus consistentes, ac præ timore mingentes remanebunt; post aliquod tempus versus solem conducentur, cui unum miliare appropinquati fervido sudore madebunt; aliqui usque ad talos, aliqui usque ad genua, aliqui usque ad renes, aliqui usque ad collum, aliqui usque ad os, aliqui usque ad verticem sudori immergentur; 50,000 annorum spatio in hoc statu perseverabunt, et pro operibus eorum mercedem intenti postulabunt; posthac bilanx accommodabitur; bona et mala opera uniuscujusque ponderabuntur; quibus bona opera præponderabunt, paradisum, quibus mala, infernum adibunt nisi forte Deus optimus ignoscat, aut prophetarum sanctorum, doctorum et proborum intercessione liberentur: qui tamen extra fidem morietur, intercessione fraudabitur, nec unquam a pœnis inferni absolvetur; sed si in fide morietur et peccata præponderabunt, et si condonatio et deprecatio non sequetur, pro quantitate et qualitate delictorum gehenna urentur; tandem cœlo gaudebunt. Deus quoque absque mediatore aliquo in quemlibet inquiret; a tyrannis oppressorum justa exiget; si quid bonorum operum habebunt, auferet, et injuriam passis donabit: si nihil habuerint, peccatis injuria affectorum oppressores onerabit. Pons Sirath, qui pilo tenuior et ense acutior erit, super infernum distendetur; omnes gentes

hunc transire cogentur, aliqui ut fulmen, aliqui uti ventus, aliqui uti velox, aliqui uti succussator equus, et aliqui fatigatim peccatis super humeros gravati transibunt, condemnati non permeabunt, sed in infernum decident; peccatis non gravati transcurrent, et ad cœlos pervenient: quisque propheta suam habebit piscinam, ex qua, antequam cœlum adiverint, cum suis populis bibant: piscina Mahumeti major erit quam aliorum; ex uno capite in alterum unius mensis iter patebit; in viridissimis et opacis ripis appositi erunt urceoli, stellarum multitudinem excedentes; hinc semel bibens, non amplius sitiet; aqua piscinæ lacte candidior et melle suavior erit: cœlestes semel cœlum ingressi, in eo manebunt in æternum, nunquam egressuri; ibi nulla mors, nulla senectus, aut decrepita ætas; vestes non senescent, nulla excrementa aut foria, sed omnia per sudorem evacuabuntur; nullus somnus, nullus labor, nulla passio: ibidem cœlestes virgines, quæ Hur vocantur, et aliæ mulieres nulla menstrua aut puerperia patientur; non pravi mores, nullum odium, nulla invidia, sed æternus ac purus et incorruptus amor: qualemcunque cibum aut potum desiderabunt, epulis apportabuntur; hæc tamen non coquentur, sed semper parata inveniuntur: terra ex musco, super quam palatia mixtim ex aureis et argenteis lateribus fabricata, auro et gemmis intextis peristromatibus strata, Phrygio opere laboratis cervicalibus instructa, sedes ex pretiosissimis lapidibus fabrefactæ; vini jucundissimi saporis a pocillatoribus pulcherrimis propinabuntur; coitus cum virgunculis et puerulis, periscelibus, torquibus, armillis, et inauribus ornatis; emissio spermatis quousque placebit. In inferno autem infideles et diaboli æterne manebunt, ii quoque im-

mortales; his collo camelorum crassitudine similes serpentes, et mulorum magnitudine horrendi scorpiones tormenta injungent: illi ferventibus pice aquis aduri debent; combusta corpora et in carbones versa iterum novas carnes et cutes induent, pœnasque infinitas, et crudeles, ac inexplicabiles luent.

VI. Sexto, Credatur omnia bona et mala fieri ex decreto et providentia divina; quodcunque fuit aut futurum est, prædestinatum est; et in *leuh* et *mahfuz* (id est, tabula adservata) rerum fata ab æterno descripta sunt; ei scripturæ nihil contrarium accidere potest; fidelium fides et devotorum devotio, aliaque bona fiunt ex scitù, voluntate, prædestinatione, consensu, complacito Dei, et dictæ tabulæ creatæ inscriptione; sic quoque infidelium infidelitas, et prævaricatorum prævaricatio, ac mala omnia fiunt quidem ex scitu, providentia, prædestinatione, et dictæ tabulæ inscriptione, sed non ex consensu et complacito Dei; hæc autem cur prædestinaverit, voluerit, noluerit, nemini indaganda sunt, prout occulta Dei mysteria, quorum ratio apud illum solum constat; imo in Deum gravissime peccabitur, si impenetrabilia et scitu impossibilia secreta Dei perscrutabuntur.

Et hi sunt VI articuli fidei Turcicæ, quæ corde credere et lingua profiteri obligantur, dicentes, Credo Deum, et angelos, et libros, et prophetas, et diem judicii, et prædestinationem boni et mali a Deo celsissimo. Fidem quoque exterioribus actionibus sustentant, nimirum, testatione, precibus, eleemosyna, jejunio mensis Ramadan, et peregrinatione ad Mecham, si viaticum suffecerit. Attestatio est formula, per quam patet transitus ad sectam Mahumetanam; nempe, Non est numen præter Deum, et

Muhamed est propheta Dei. Turcarum ergo filii puberes ad hanc repetendam stimulantur; ille vero, qui ab alia fide Mahumetanam ingreditur, in conspectu imperatoris, aut alterius cujusvis præpositi pileum e capite abjicit, atque dicit se velle fieri Musulmannum, hoc est, per fidem Mahumetanam salvum; tum præsens ille magnas jubet adferri syndonem, qua caput novitii obvolvendo redimitur, ac unam sagittam, quæ in ejusdem dextram porrigitur; hanc ille erecto digito indice recipit, et præscriptam formam ab antistite dictatam repetit; tandem secedit et ab alio conclavi prioribus vestibus exuitur, aliisque pro usu Turcico induitur, ac cum assumpta sagitta ad ditiores Turcas conducitur, qui commune gaudium ostentantes noviter sectam ingresso gratificantur; aliqui vestes, aliqui nummos donant; postea deducitur ad balneum, in quo raditur et lavatur, tandem ad circumcisionem: modus autem circumcidendi hic est; ex pannis sericis et tapetibus cortina præparatur, quam præputiatus cum circumcisore et curatore ingreditur; extra cortinam tibicines tibias inflant, tympanistæ tympana ac crembala quatiunt, adstans populus, magna voce, Deus, Deus, conclamant quousque circumcisor officium suum peregerit, qui dum novacula præputium abscindit, procurator a tergo digitum melle oblinitum ori novitii, ne forte veritus vociferetur, imponit; hoc peracto, circumcisor pulveribus constringentibus (veluti arundinum cineribus, aut caprinarum pellium rasuris) inspersis sanguinem sistit, deinde spectatoribus præputium ostendit; circumcisus lecto imponitur, circumcirca mensæ extruuntur, per diem epulantur, noctem ludis ducunt, mane abeunt, circumcisus solus cum suo curatore remanet, quousque ex vulnere sanus consur-

gat; tum iterum in balneo abluitur. Opulentorum vero Turcarum filii, antequam dictam cortinam ineant, pretiosis vestibus ornati, instratis equis per plateas exspatiantur, quibus pauperiores filios vel servos suos circumcidendos aggregant, ut sine ullo sumptu ditioris gratia circumcidantur, quos ille libenter ex opere charitatis recipit, ac filio suo pro labantis animi confortatione socios adsciscit: sæpius quoque hanc attestationem in ore habent Turcæ, et præsertim dum suas lotiones peragunt: hoc autem fit pro fidei renovatione; leves enim ob causas fidem labefactari, infirmari, et ab ea facillime avelli posse suspicantur: aliqui ipsorum religiosi vocati Zakir (id est, Memorator, quod hanc formam semper memorat) diu et noctu sine intermissione cantitant, sed



sine adjunctione, *Muhammed est propheta Dei*, tantummodo reiterant, agonizantibus clara voce in aurem inculcant, superliminaribus, vexillis, et aliis in locis spectabilibus majusculis literis exarant.

Oratio quotidie quinquies perorari debet, ante ortum solis, meridie, pomeridiano tempore, post occasum solis, et prima noctis vigilia, (id est, una hora et media noctis) tum ipso temporis momento, quod quidem melius fit, tum eorum intercapedine: ut *si* aliquis summo mane precibus non adfuerit, usque ad meridiem habet tempus satisfaciendi; at si meridionales preces ipsa meridie non peregerit, intercapedine, quæ inter meridiem et pomeridianum tempus est, persolvere poterit, et sic de cæteris: tempora autem a præconibus ex turri aut locis editis alta voce populo his verbis indicantur:

Deus Maximus, quod quatuor repetit.

Fateor non esse numen præter Deum! hoc bis repetit.
Fateor Mahumetem esse prophetam Dei, hoc quoque bis.
Adeste ad orationem, hoc quoque bis.
Adeste ad salutem, hoc quoque bis.
Jam incipit oratio, hoc quoque bis.
Deus Maximus, Deus Maximus, non est Numen præter Deum.

Oraturi debent esse a spermate, menstruis, sanguine et aliis sordibus, (inter quas vinum et porcina caro vel pinguedo immundissimæ habentur) impolluti, e quibus in balneis abluuntur, quæ lotio Gast vocatur: ante precationem autem fit lotio sacra, quæ est manuum, faciei, brachiorum, pedumque lotio; et humidæ dextræ manus per verticem capitis, et per posteriores partes colli utriusque manus ductio; hæc omnia instituto quodam ordine, et interjectis aliquibus precatiunculis perficiuntur. Si autem aqua defuerit, loco lotionis aqualis faciunt Teijmum, id est, lotionem pulveralem; accepto enim terræ pulvere, et quidem puriore, manus faciemque defricant, et sic sacram supplent lotionem: precationum aliquæ sunt Farza, id est, institutæ a Deo in Alcorano, aliquæ Sunna, institutæ a propheta Mahumeto: quæ a Deo sancitæ sunt, nunquam possunt omitti; et si intermittuntur, alio tempore omnino recoli debent; quæ vero a propheta, aliquando a parum devotis prætermittuntur, præcipue Sunna pomeridiani temporis et primæ noctis vigiliæ; Sunnæ omnes summissa voce et sine antistite singulatim peraguntur; Farzarum aliquæ clara, uti matutina, serotina, et nocturna; aliquæ tacita, uti meridionalis et pomeridiana; eædemque vel singillatim, vel cum multitudine et antistite: cum ergo precationi se accingunt, sint in templo aut quovis alio in loco, versum eam partem orientis, in qua templum

Meccanum est, sese dirigunt; ea autem pars vocatur Kyber; et ad Sunnam quidem soli per se sine ordine, ad Farzam vero si sunt duo vel tres precaturi, et serie prout acies militaris se disponunt, et unus eorum qui doctior est fit antistes, alter vero præco, qui præscriptam indicationem iterum in delubro replicat, ad cujus finem omnes manus erigunt, ac pollicibus aurium molliores partes attingunt, et ita se corde velle orare intendunt: ad cujuslibet autem temporis orationem sunt præcipue intentionis formulæ, postea junctis manibus ante pectus, hanc orationem tacite proloquuntur: *Gloria sit tibi, O Deus noster, et laus; et benedicatur nomen tuum, et exaltetur dignitas tua, et magnificentur encomia tua, quia non est numen aliud præter te:* postea dicit, *Confugio ad Dominum Deum a Diabolo maledicto, in nomine Dei miseratoris et misericordis;* ac tum primam Alcorani *suratam*, quæ potissima ipsorum est oratio, recitat; illa autem vocatur *Fatihe*, initium: *Laus Deo sabaoth, misericordi et miseratori, Regi extremi judicii: te adoramus, a te auxilium postulamus; dirige nos in viam rectam, viam eorum quibus benefecisti, non eorum quibus iratus es, nec eorum qui deviant.* Amen. Post hanc orationem tres aut quatuor versus, quicunque placuerint, ex Alcorano pronunciant, et hæc omnia memoriter; nam inter precandum legere non licet: hoc quoque perlecto dicitur *Deus maximus*, et miris ceremoniis sese ad medium corpus inclinant, ac ter, vel quinquies, vel alio impari numero usque ad novem dicunt, *Gloria Deo meo maximo:* post dicunt, *Deus maximus*, et iterum se erigunt; tum iterum, *Deus maximus* dicentes se inclinant; ac tandem in faciem procumbunt, et prædicto numero dicunt, *Laus Deo meo*

altissimo; et sic finitur una inclinatio: pro altera iterum se erigunt, et a præscripta Fatihe, usque ad procubitum eadem ratione progrediuntur: post secundam quoque inclinationem fit Kaade, Sessio; in qua oratio peroratur; *Benedictiones sint Deo, et orationes, ac bonæ actiones: pax tibi, O propheta, et misericordia divina, ac benedictio ejusdem, et pax sit super nos, et super servos Dei probos: fateor quod non est numen præter Deum; et fateor quod Mahumet est servus Dei, et propheta:* hac oratione peracta, si preces sunt duarum solummodo inclinationum, hunc precum epilogum adjicit; *Deus meus, esto propitius Mahumeto et populo Mahumetano, uti propitius fuit Abrahamo et populo ejus, quia tu es laudatus et glorificatus:* hoc dicto, facie ad dextram, post ad sinistram inversa, angelos custodes, quos ipsi humeris suis insidere credunt, salutant, dicentes ad utrumque humerum, *Pax sit vobis et misericordia divina:* ac sic manibus faciem detergentes dicunt; *Audivimus, et obtemperabimus tibi: parce nobis, O Deus noster, et ad te concurrimus.* Sic finiuntur preces, quæ si quatuor sint inclinationum, post priorem sessionem reservato epilogo, iterum se erigunt, et duas posteriores inclinationes, uti prius fecerant, persolvunt; (nisi quod hæc semper tacite recitantur;) tum iterum considentes sessionis orationem cum epilogo recitant et concludunt. Matutina ante Farzam habet Sunnam duarum inclinationum, et unius sessionis; post hanc sequitur Farza, eadem quoque duarum inclinationum et unius sessionis. Meridionalis ante Farzam habet Sunnam quatuor inclinationum et duarum sessionum; hanc sequitur Farza totidem inclinationum et sessionum; post Farzam fiunt duæ Sunnæ, prior quatuor inclina-

tionum, et duarum sessionum; altera duarum inclinationum, et unius sessionis: pomeridiana ante Farzam habet Sunnam quatuor inclinationum et duarum sessionum: postea sequitur Farza similiter duarum inclinationum et sessionum; hanc subsequitur Sunna duarum inclinationum et unius sessionis. Serotina incipit a Farza, quæ est 3 incl. et 2 sess.; prior sessio fit post duas inclinationes, secunda post tertiam: hanc sequitur Sunna 2 inclin. 1 sess. Nocturna ante Farzam habet Sunnam quatuor inclinationum et duarum sessionum; post sequitur Farza totidem inclinationum et sessionum: post Farzam habet Sunnam quatuor inclinationum et duarum sessionum; sed post secundam sessionem non recitant epilogum, uti in aliis, imo se erigit, et pollicibus aures apprehendit, ac intendit se velle orare *Vitu*, id est, orationem imparem, quam incipit a Fatihe, eaque finita, recitat *Doai kun ut*, id est, orationem stationis, quæ sic se habet; ***Deus noster, utique a te opem imploramus, et a te indulgentiam petimus, a te dirigi cupimus; in te credimus, ad te convertimur, tibi confidimus; tibi bona omnia imputamus, tibi gratiam agimus, et non sumus in te ingrati; repudiamus ac relinquimus eos qui in te contumaces sunt: Deus noster, te adoramus, tibi preces fundimus, et in faciem prosternimur, ad te recurrimus et properamus: speramus tuam misericordiam, et pœnam tuam timemus, quia pœna tua ad infideles pertingit:*** hac oratione absoluta se inclinat, prosternit ac considet, et sessionis orationem epilogumque recitat, angelos salutat, et finit: post cujusvis autem temporis orationes fit Litania, vocata *Tesbih*, quæ sic incipit; ***Deus unus est, non est aliud numen præter eum; vivus ab æterno, non cor-***

ripit eum dormitatio nec somnus; quicquid in cœlis et in terra est, ab ipso creata sunt: quis ille, qui intercedere potest apud eum nisi cum ipsius permissione? scit quid ante et post ipsos est, nec illius sapientiæ quicquam comprehendere possunt, nisi quod ipse vult; nec est Deo gravis cœli et terræ conservatio; et hic est altissimus et maximus. Gloria Deo, et hoc trigesies repetitur, et corolla precaria numeratur: trigesima vice dicitur, *Gloria Deo altissimo, maximo, et semper laus Deo;* sic trigesies, *Laus Deo:* trigesima vice dicit, *Laus Deo, Domino exercituum:* tunc, *Deus magnus;* hoc quoque trigesies: trigesima vice, *Deus maximus, sapientissimus, magnificentissimus, potentissimus; non est Deus præter eum solum, non habet consortem, ipsius est regnum et laus, hic etiam est omnipotentissimus:* tunc elatis manibus versus cœlum omnes precantes Turcæ dissonis vocibus ac magno motu tractis suspiriis ingemunt Amen septies; post septimum Amen dicunt, *O præstator rerum expetitarum, exaudi, O exauditor precum:* iterum septies Amen; et, *Sit laus Deo Sabaoth:* tandem consurgunt et ex synagoga egrediuntur.

Eleemosyna præcipua, aut contributio ex lege divina datur et consecratur; ea enim sanctificantur, augenturque opes reliquæ: ad hanc nemo constringitur, nisi Nisah hauli possideat; hæc autem est portio quarumvis opum ultra supellectilem necessariam uno anno absolute possessarum, quæ possessorem fidelem eleemosynæ dictæ obligat. Supellex necessaria vocatur Haget astire, qua quotidie fruimur, uti vestes, domus, servi, libri, boves operarii, jumenta oneraria aut pabularia; absoluta possessione liberi potiuntur; unde servus talionatus, id est, cui

summa aliqua pecunialis pro sui ipsius redemptione præscripta est, non obstringitur hac eleemosyna, quia etsi opum suarum sit possessor, non tamen ipse semet possidet: debitor quoque de tot opibus, quot pro debito persolvendo sufficiunt, nihil contribuit; nec quidquam tribuitur a bonis in fine anni perditis, aut iis quæ naufragio interierunt, aut vi ereptis: nec ereptor testimoniis convinci potest; nec in deserto sepultis taliter ut locus ubi sepultæ sint ignoretur; nec de eo credito, quem debitor toto anno negaverat, postea in præsentia aliquorum se debere fassus est; nec ab aliquo principe usurpatis et post aliquot annos restitutis; sed de iis opibus quibus anno integro potitus est, et quas debitor non negat, et siquidem persolvere nequeat; et de iis quas negat, sed testimoniis aut judicis notitia approbantur, eleemosyne dari debet: nec de aliis opibus extra aurum, argentum, camelos, boves, oves, equos, asinos eleemosyna impertitur, nisi forte sit possessoris intentio opibus iis mercaturam exercere: v. g. si quis servum emerit pro suo famulatu, de eo nihil persolvet, sed si eum vendere intendit, largitur: portio igitur dicta Nizab ex camelis est possessio V camelorum, ex bobus XXX boum, ex ovibus XL ovium, ex auro tam nativo quam cuso XX Miskal (Miskal autem est pondus $1\frac{1}{7}$ drachm.) ex argento C drachmæ, ex rebus mercatoriis quoque quæ C drachmarum argenti pretio constant: pro quotvis ergo V camelis, sint Persici aut Arabici, una ovis datur, usquequo augeatur possessio XXV camelorum, pro his tribuitur Ibn, vel Binetu Mechazin, scilicet, annum secundum agens camelus, vel camela, usque ad augmentum possessionis XXXVI, pro quibus Ibn, vel Binetu Lebun, hoc est, annum tertium agens came-

lus aut camela gratificatur, usque ad XLVI, pro quibus hik, vel hikkah, id est, quartum annum agens camelus, aut camela, usque ad LXXVI: pro his dantur bineta lebun, id est, duo cameli aut camelæ tertium annum agentes, usque ad XCI, post CXX, a quovis quinto una ovis et hikkatan usque ad CXLV, abhinc Ibn vel Binetu mechaz, et hikkatan usque ad CL; ab CL dantur hikak, id est, tres quartum annum agentes camelæ; postea iterum a capite, scil. a quovis quinto una ovis, et hikak usque ad XXXVI, ubi fiet summa camelorum CLXXXVI: pro his Ibn vel Binetu lebun, et hikak, usque ad XLVI, ubi erit numerus CXCVI camelorum, pro quibus dantur IV hikak usque ad CC: et sic augente numero camelorum augetur eleemosyna, inchoando a capite, uti post CL usque ad CC actum est; et sic semper a quovis L una hik, vel hikka, producitur, usque ad infinitum: de bobus ovibusque sunt certæ a certis numeris institutæ eleemosynarum proportiones, quæ in libris legum Muhamedanarum sub capite Zekiat designatæ reperiuntur, liberumque erit loco dictorum animalium æquiparabilem pecuniam impendere. Ex auro autem, argento, ac mercibus decimarum, quarta pars tribuitur, sic ut a 40 unum proveniat: hæ eleemosynæ distribuuntur inter pauperes, inopes, servos, talionatos, debitores, qui nullam ex prædictis portionibus possident, militibus, peregrinis in itinere remansis, et iis qui a suis opibus longe absunt: non possunt dari parentibus, conjugibus, mancipiis, parvulis, divitibus, nec tributariis: laudabile est donare tantum per vicem, quantum pro uno die pauperi a cibo mendicando exempto sufficere potest: et quilibet in sua urbe aut mansione habitantibus, non in alia loca transferendo partitur, nisi forte ejus loci

habitatores sint suis vicinis pauperiores. Alia eleemosynæ species est Fitu, id est, jejunii solutio: hanc enim dare debent in fine Paschatis Muhammedici, succedenti jejunio mensis Ramadani summo mane; et nummi qui donantur sint impari numero, nec cui datur intente respiciendum est. Eleemosynæ exequiales pro posse cujuslibet fiunt; Oryza cum melle et croco coçta, ac eadem cum butyro spissa; carnes elixas, dulciaria coquunt, ac quadragesimo septimo die post mortem, imo et in anni exitu distribuunt.

Charitates omnes laudant et exercent: si aliquos ex agnatis aut cognitis in statu afflicto somniant, panes emunt, confringunt, ac per vicos vagis canibus projiciunt: canes præsertim catellos bidentes summopere curant; iis enim tuguriola conficiunt, scruta substernunt, ac per aliquod tempus nutriunt. Solis sine ullo hospite cibum capere grave est; quapropter cœnaculorum portas patentes sinunt, et publice aliqui ante portas edulia sumunt et transgredientes invitant: die Paschatis victimarum et aliis temporibus, si aliquod boni successerit, aut ex aliqua tribulatione elabuntur, oves immolant et carnes pauperibus dispertiuntur: aquas pro communi usu a longinquis partibus magno sumptu conducunt: aliqui se solum huic servitio devovent, ut aquas a longe humeris aut jumentis portatas populo in templis, aut militibus in castris præbeant.

Jejunium principale ab apparitione lunæ dictæ Ramadan usque ad finem ejusdem ex decreto divino celebrant: a cibo, potu et coitu per totum diem a diluculo usque ad crepusculum abstinent; post solis occasuml ampades supra turres et in synagogis quam plurimæ accenduntur; tum temporis fit jejunii solutio, quæ fit dactylis aut aliis levioribus cibis ac

potu aquæ: postea serotinas preces peragunt; tandem mensæ accumbunt, usque ad primam noctis vigiliam, qua assurgunt et in templo congregantur; ubi ordinariis ejus temporis orationibus absolutis, extraordinarias et huic lunæ peculiares orationes (quæ conquiescentia nuncupantur) faciunt: hæc autem oratio est XX inclinationum; post quaslibet quatuor conquiescunt, et antiphonas variis tonis canunt; post domum redeunt, ac tota nocte edunt, bibunt, melicos audiunt, confabulantur, pætum et kahuvam pro evitando somno sumunt, interdiu dormiunt: infirmi et itinerantes a jejunio absolvuntur, alio tempore compensant; alias si aliquis data opera jejunium ruperit edendo, bibendo aut coëundo, piaculum, quo tale crimen expiatur, pensare debet; viz. pro unico die soluti jejunii servum aut servam libertate donare, et, si potis non fuerit, sexaginta dies jejunare, et si hoc quoque non poterit, pro LX pauperibus prandium conficere debebit; si autem casu, scil. si aliquis os eluendo parum aquæ absorpserit, aut vi coactus ad edendum, bibendum, vel actum libidinis fuerit, aut ore pleno vomuerit, aut putans adhuc noctem esse mane comederit, aut jam vesperam esse opinatus die claro jejunium solverit, diem pro die jejunabit. Si quis interdiu dormiens polluitur, aut oblitus comederit, biberit, aut se unxerit, vel collyrio oculos illeverit, aut osculatus fuerit, aut alicui obtrectaverit, aut parumper evomuerit, aut parum aquæ in aures illapsum fuerit, aut pulvis, fumus, vel musca in guttur inciderit, absolvitur. Si frustulum, quantum unum cicer, inter dentes remansæ carnis inglutierit, diem pro die reficiet, sin cicere minus fuerit, absolvitur, nisi forte semel ore exemptum iterum ingerat et deglutiat.

Et si aliquis unum granum sesami sine masticatione comederit, jejunium solvit, si vero masticat, non: et ore pleno vomitus iterum fortuito, vel consulte deglutitus, rumpit jejunium, sed parcus vomitus nequaquam. Imam Muhamet autem dicit, si parum vomitus iterum deglutitus jejunium solvit; sin multum, non. Si decrepitus aliquis jejunium sustinere non potuerit, solvat jejunium, et pro quovis die unum pauperem saturet, aut alio tempore diem pro die jejunet: prægnans, aut nutrix, si sibi aut puerulis timent, ne ex jejunio infirmentur, edunt sine pensatione. Si aliquis per aliquot dies hujus lunæ mente defecerit, postea sanatus, totidem dies jejunabit. Si aliquis toto mense Ramadan deliraverit, absolvitur; sed si aliquot dies tantum, pensabit. Sunt et alia quamplurima scrupula, quibus tale jejunium corrumpitur, sed quia auribus non competunt, reticeo: alia quoque jejunia ex voto et juramento observant; aliqui integro anno, sed multi tres lunas Regeb, Schaban et Ramadan, quovis anno jejunant, præsertim provecta ætate mulieres. Sunt et qui se in templis per aliquot dies et noctes continent jejunantes, nec nisi alvi inaniendi gratia prodeunt; noctu cibos capiunt, et pugnis pectora percutientes cum vehementi suspiratione *Huve! Huve!* (id est, Deus! Deus!) ingenti voce proclamant: aliqui et junctis manibus inter se choros circulares ducunt, ac assidue prædictum *Huve*, vel *lau illah illala* modulantur; hoc tale jejunium vocatur continentia.

Peregrinationem in Meccam a Deo sancitam quilibet fidelis liber, puber, sanus, videns, viaticum abundans et jumentum habens, ac familiam usque ad reditum penu bene instructam relinquens, semel in vita explere debet, si iter tutum est: mulieres quoque

cum maritis aut propinquis parentibus simul, si eorum mansiones plusquam trium dierum itinere a Mecca distant, peregrinari debent. Tempus in qua hæc peregrinatio peragitur, est a luna Schawal, in cujus principio fit pascha solvendi jejunii, usque ad decimum diem lunæ Dulhaiat, qui dies vocatur dies jugulationis, vel pascha immolationis, quæ in memoriam sacrificii patris Abraham colitur. Hujus peregrinationis Farzæ sunt tres: prima Naziratus, nempe vilioris vestis amictus, abstinentia a venatione terrestri, venere, odoribus; continentia a verbis obscœnis, jurgiis, rixis, venationis demonstratione tam actu quam dictu, tonsura barbæ, abrasione capitis et pilorum corporis, unguium sectione; ab indutu caligarum, vestium, cidaris, ocrearum, pannorum odorifero colore imbutorum, nisi forte odor evanuerit. Secunda Farza est, statio in monte Arefat, ut infra dicetur. Tertia, processus circa templum Meccanum visitationis gratia. Loca dicta Mevakit, in quibus variarum nationum peregrini congregantur, sunt quinque: 1. Hulyfa; hic locus septem milliaribus distat a Mecca; Medinensibus est destinatus. 2. Zatark; Babyloniensibus, Basrensibus, et Cufensibus. 3. Hugefa; Damascenis. 4. Karn; Negdensibus. 5. Yelemlem; Jemaniensibus. Antequam autem hæc loca ineant, squalentes pulvere vestes deponunt, puris et insutis, quarum altera succinctorium, altera pallium, corpora tegunt, vultumque et caput aperiunt: duarum inclinationum oratione peracta singuli hanc precatiunculam recitant, *Deus, Deus, profecto ego cupio peregrinationem, proinde mihi secunda eam, et suscipe eam a me:* tum intendit se velle perficere peregrinationem, et dicit, *Ecce adsum, et obedio tibi, O Deus meus; non est tibi con-*

sors; paratus consisto ad gerendum tibi morem, quia laus et beneficentia tua est, et regnum, nec est tibi socius: hæc verba multoties reiterantur, præsertim post quasvis orationes in ascensu montium et descensu vallium. Meccam ingressi imprimis ad templum Meccanum procedunt, quo conspecto exclamant, *Deus maximus, et non est numen aliud præter Deum:* recta lapidi nigro obviam eunt; hic est ille lapis niger, quem summa veneratione colunt Mahumetani, ob vestigia plantarum patris Abrahæ, quæ quod continue inde jumentum inequitaverat, et iterum super eum descenderat, impressa apparent: huic igitur lapidi appropinquantes manus imponunt, ac exosculantur, si in densa hominum turba sine molestia alicujus fieri potest; sin minus, aliqua alia re contingunt, atque eum osculantur: postea circum templum processionem boni adventus peragunt: hæc processio exteris nationibus Sunna est; inchoatur a dextra parte portæ pone septum quoddam imperfectum; ponentes pallium sub axillam dexteram, et projicientes partem ejus super humerum sinistrum septies obeunt; tres obitus anteriores cito quidem, sed parvis passibus, ac humeros agitantes circumcurrunt, et quavis vice petram illam nigram, ut dictum est, contingunt, ibique finiunt processionem: postea duas inclinationes in loco Abrahami, aut in quacunque parte templi placuerit, perficiunt: tum egrediuntur, et ascendunt montem Safa; ubi se templo obvertunt dicentes, *Deus maximus, et non est numen aliud præter Deum;* et erigunt manus, impetrantque quod cupiunt: postea vadunt versus montem Mervah currentes, ejusque fastigium petunt, et idem faciunt, quod in monte Safa; et sic ab uno monte ad alterum septies contendunt; rursus rever-

tuntur ad Meccam et pro libitu processiones peragunt. Septimo die lunæ antistes perorat, et peregrinos docet quomodo se gerere debent in Mecca; ac ceremonias, legem, et ritum sacrificandi demonstrat. Octavo die redeunt in vallem Munam, et ibi commorantur usque ad diluculum nonæ diei: nona die vadunt in montem Arefat; ibi antistes iterum prædicat, et instruit populum usque ad decimum diem. Decimo die denuo adeunt vallem Munam; ibi ritum sacrum dictum Gemerat incipiunt; viz. summo mane, orato matutino, dicunt, *Deus maximus;* et lapillorum vel silicum duobus digitis prensorum jactu Satanam quasi impetentes execrantur, atque averruncant; et tum reticent illam orationem Lebbeike, ac immolant oves, camelos, boves, si volunt, capillos tondent, et radunt potius: a dicta abstinentia Nazireati, præterquam a coitu, absolvuntur: post solis ortum processionem visitationis peragunt, et tum coire cum mulieribus licet. Undecimo, duodecimo, et decimo tertio die in ea valle demorantur, ac dictos lapides projiciunt, prius ter, postea septies, hoc autem fit quotidie. Ultimo, Meccam revertuntur; ac exteri in signum valedictionis templum circumeunt: Meccani autem habitatores ad ædes tendunt; limitem templi osculantur; pectus et faciem super Multezem, locum inter portam et lapidem nigrum ponunt, tegumentum templi arripiunt ac per unam horam tenentes supplicibus verbis orant, plangunt, gemunt, retrorsumque incedentes ex templo egrediuntur: qui autem non substiterit toto die in monte Arefat, meritum peregrinationis non acquirit: propterea processione peracta exuit Ihram, ac anno venturo peregrinationem renovat.

Animas, uti et corpora, sepulchro recondi credunt

Mahumetani usque ad diem extremi judicii; sepultis statim grandem et gravem clavam gerentem angelum Munker vocatum, una cum Nekir, alio angelo advenire, et defunctos de quatuor rebus interrogare: 1. Quis est tuus Deus? 2. Quis tuus propheta? 3. Quæ tua fides? 4. Quæ est tua directio? Ad has quæstiones ii, qui constanter fidem Mahumeti professi sunt, imperterriti respondent, Deus meus est ille, qui te creavit et me; propheta Muhamed; fides mea Islam, id est, Mahumetana, (quasi Salvatio;) directio, Caba, id est, templum Meccanum. Cæteri, qui extra hanc fidem sunt, ob eximiam magnitudinem angelorum summo terrore perculsi, percontatorem angelum pro Deo agnoscent; qua de causa clava percutientur, ac sepulchri compressione cruciabuntur; fideles autem placide requiescent, ac per apertam sibi in cœlis fenestellam omnia, quæ ibi aguntur, respicient, et sic extremum diem præstolabuntur. Mahumeti quoque anima sepulchro continetur; nam cœlum sibi oblatum refutavit, nolens eo sine suis fidelibus potiri; hanc animam omnes aliæ Mahumetanorum animæ uti ductricem ad cœlestem gloriam insequentur.

QUÆSTIONES ACT. MODERAT.

APRIL. 1651.

Habitus humani acquisiti non sunt revera diversi a memoria hominis.

Visionem fieri posse absque specie, aut imagine sensibili, probabile est.

De priori.

1. HABITUUM naturam rite et distincte explicari multum interest philosophiæ. Hac etenim rite et distincte intellecta, cum res plurimæ varii et pulcherrimi usus propius est ut cognoscantur, tum etiam confido fore, ut satis fœcunda inutilium quæstionum seges hinc continuo amputetur; plurimi nodi et difficultates cum suis fundamentis et vestigiis penitus evanescant; et ipse animus noster tot entium a se invicem, non reipsa solum, verum et specie etiam diversorum, hospitio et sarcina liberetur.

2. Ut rem ipsam aggrediar, innuo imprimis me non de habitibus infusis, sed de acquisitis tantum quæstionem instituere, ne scilicet confidentius quam tutius extra philosophiæ pomœria evagatus, theologorum, quorum sunt partes de habitibus infusis agere, in meum caput objectiones accerserem.

3. Moneo iterum me minime paratum fore in quæstiones alias de modo memoriæ, verum etiam sensationis efficiendæ meipsum induere. Neque enim istud aut mei officii esse, aut ad præsentem causam pertinere existimo. Seu memoria nihil aliud sit, quam imaginum quarundam intentionalium capaci cerebri ceræ impressarum retentio, seu per crassiores

quasdam et corporales picturas fiat, sive per membranulas illas Lucretianas—summo de corpore rerùm diremptas, et in capite asservatas; seu potius memoria sit tantum motus illius, per quem sensatio facta est, vestigium in cerebro; seu alio quovis modo, aut medio existat; satis est, modo hoc constet et concedatur, actuum ex quibus habitus ponuntur generari, in apothecis cerebri manere reliquias; quas phantasiam respicere, et ab ea intellectum sumere, mallem ceu experientia cognitum supponere, quam operose ut dubium demonstrare.

4. Nihil etiam morabitur me ista Platonicorum sententia asserentium quosdam habitus, virtutes præcipue et scientias, actibus novis non acquiri, neque in recente saltem memoria consistere, quippe quas non tam de novo discimus, quam veterem de iis scientiam repetimus, pulverem et rubiginem menti obductam detergentes.

5. Neque de illa quæstione valde solicitus sum, utrum quidam habitus non tam acquirantur, quam ab ipso initio connascantur.

6. Neque ad rem nostram aliquid momenti habet, an simplex tantum, an vero (ut quidam volunt, reclamante Aristotele) duplex sit memoria, in sensitiva parte una, in intellectu altera. Et si qua sunt similia dubia τῆς ἄλλης σκέψεως, iis nos minime immiscemus. Quocunque illa modo sumantur, et constat memoriam dari, et in ea ego, vel in aliquo ipsi ἀναλόγῳ habituum, essentiam constituo.

7. His præmonitis, ea quæ ad propositæ theseos explicationem ulterius desiderantur, et paucula sunt et breviter expediantur. Supponitur enim dari habitus: id quod cum experientia satis luculenter ostendat, tum etiam obiter postea ratione probabitur.

Ipsius autem habitus hoc in loco definitionem exhibere incongruum esset, quippe dum sub judice lis sit de ejus essentia. Satis vero mentem theseos intelligit, qui habitum mente conceperit esse eam rem, qualiscunque sit, quæ hominem ad aliquas actiones obeundas promptiorem reddit, ad quas alioqui non adeo facilis et idoneus erat. Penitus autem omittendum censui, si quid in vi vocabuli hujus, aut etiam Græci (ἕξεως), homonymiæ et diversæ acceptionis occurrat; quare enim opus esset hoc facere, quum quisque probe cognoscat qualis ea acceptio verbi sit, de qua agitur?

8. Quoniam vero potentiis operatricibus habitus omnes adjungunt, utile erit quædam de iis annotare, præcipue ut divisiones habituum, et subjecta ipsorum, secundum aliquorum sententiam, admodum calleamus. Aristoteles in secundo Nicom. cap. 5. ea quæ in anima sunt omnia in tria genera dispescit, ἕξεις, δυνάμεις, πάθη. Τὰς δυνάμεις (quibus accedunt reliqua duo) idem et in Ethicis, et in Physicis libris sæpius ψυχῆς μόρια vocat, qua appellatione et veteres omnes gaudent. "Dividitur enim in partes anima, "nunc in duas a Platone, nunc in tres a Zenone, "nunc in quinque, et in sex a Panætio, in septem a "Sorano, etiam in octo penes Chrysippum, etiam in "novem penes Apollophanem; sed et in decem apud "quosdam Stoicorum; et in duas amplius apud Posi-"donium, qui a duobus exorsus titulis, a principali, "quod aiunt ἡγεμονικὸν, et a rationali, in duodecim "exinde prosecuit." Ita et Seneca animam in membra dispertit, et partes ministras; Galenus et alii communiter μέρη, μοιρία, μοίρας, aliquando εἴδη nuncupant. Elegantissime omnium Tertullianus noster in libro de Anima ingenia nominat; "Non membra," inquit,

" sunt substantiæ animalis, sed ingenia; neque tan
" partes animæ habebuntur, quam vires et efficaciæ e
" operæ, sicut de quibusdam et Aristoteles judicavit.'
Sic ille exprimit ea, quæ ipse Aristoteles et sui interpretes δυνάμεις, ἰδιότητας, ἐνεργείας efferunt. Sane Aristoteli neque Anima διμερὴς est, ut Platoni, neque τριμερὴς, ut Galeno, neque ὀκταμερὴς, uti Chrysippo et Stoicis, verum ἀμερὴς potius, uti in tertio de Anima disputatur. Quæ reliqui partium loco habent, τὸ ἡγεμονικὸν, et τὸ ὑπήκοον, vel τὸ θυμικὸν, τὸ ἐπιθυμητικὸν, et τὸ λογιστικὸν, vel ut alii dividunt, τὸ ζωτικὸν, τὸ αἰσθητικὸν, τὸ κινητικὸν, τὸ νοητικὸν, τὸ ὀρεκτικὸν τῆς ψυχῆς, hæc, inquam, etsi aliis sint, et Aristoteli nomine tenus, tamen non sunt animæ revera partes philosopho. Non sunt illæ certis corporis partibus et officiis distributæ et disclusæ, sed ita singulæ in toto diffusæ, ut sunt proprietates in rebus naturalibus, quæ in his localiter disseptæ non sunt, verum qualitate tantum distinctæ, uti e. g. in igne siccum, calidum ac leve, quæ non loco distincta sunt, sed proprietate. Has igitur Aristoteles δυνάμεις, potentias, facultates appellavit, nomine aptissimo, quod etiamnum merito scholæ retinent. Harum etenim distinctiones, quæ revera prope infinitæ esse possint, pulchre ostendunt quot modis anima apta sit nata vel agere, vel pati; et vel se exercere, vel aliquid ab extrinseco recipere. Ei proculdubio hæ a natura insunt, vel ipsius potius natura et substantia sunt; et hisce instructa anima idonea censetur sua sponte, ad actiones sibi a natura concessas et debitas, modo adsint cætera requisita, in lucem proferendas.

Videntur nihilominus hæ facultates ad quædam objecta, etiam contraria, e sua indole indifferenter se habere; ad quosdam actus ἰσορρόπως tendere; ad

neutrum duorum se determinare, verum ex captu et ingenio suo ad utramque partem inclinare. Hinc ad ipsarum hanc ἀδιαφορίαν eximendam, alio quopiam opus esse experimur, quo quasi natura altera restrictiori agens ad unas partes alacrius, ad alias difficilius pertrahi contingat. Hoc quicquid sit isto modo facultati adjectum, ad ipsam in limites et ordinem cogendum, habitus titulo apud omnes dignoscitur.

9. Hinc facultatum multiplicem, imo infinitam divisionem esse posse perspicuum est; illa vero quæ nostræ rei præcipue conducere videtur, hæc est, qua altera animæ facultas cognoscens, altera appetens dicitur. Secundum enim hasce partes (ut distinctius agatur) utile erit et habitus dissecare. Quarum utramvis si habitus disponet secundum naturæ suæ debitam perfectionem, et ad consentaneam ejus operationem, virtus vocetur, sin aliter, vitium.

10. Illud vero ex ordine præsuppono, dum de habitu loquor, illud tantum me intelligere, quod in animo situm est. Ita scholastici de habitibus disputant; in facultatibus animi æqualitates quasdam ex crebris actibus nasci statuunt, quas habituum nomine indigitant. Ita et ego velim. Si quid ad corpus, aut organa quævis, vel instrumenta, vel requisita pertineat, non ingreditur habitus vel naturam, vel nomen. Sed infra pauca de hac re ex altera occasione.

11. De memoria illud tantum efflagito, ut concedatur, eos nempe actus, quos in aliquo genere virtutis vel vitii, seu in mente seu in appetitu residentis, agens exerceat, alicubi ita retineri et reservari, ut eos iterum mens quasi perpetua quædam simulachra respicere, et secundum eos agere queat. Hoc facere memoriæ esse patet; et tales actus esse quasi particulares quasdam reminiscentias seu retentiones

potius; in his ego habitum collocare profiteor. Quem reliqui plerique qualitatem quandam vel simplicem, vel ex pluribus conflatam, potentiæ τῇ ἐνεργητικῇ vel παθητικῇ inhærentem, et actibus frequentatis productam constituunt.

12. Quod ad Aristotelem attinet, antequam ad probationem ulterius procedam, meum esse contendo, et ex eo memoriæ terminum elucidandi occasionem desumo. Quum liceat pluribus, hisce tantum locis illud probo. Sunt in libro Περὶ μνήμης καὶ ἀναμνήσεως. Habitum etenim et memoriam ille isthic vel plane συνωνύμως vel aliam per alium effert. Semel sic loquitur, αἰσθητικοῦ μορίου ἕξις ἡ μνήμη, capite primo; in alio capite hæc sunt ejus verba; ὅταν γίνεται ἡ ἕξις ἢ τὸ πάθος, μνήμη ἐστι. Videte, confundit hæc nomina. Actum vero etiam scientiæ ex habitu profluentem alibi memoriæ tribuit; Οὕτω μέμνηται τὰς τοῦ τριγώνου, ὅτι δυσὶν ὀρθαῖς εἰσί. Ex hisce et similibus Aristotelis verbis animadvertere mihi videor triplicem esse quasi memoriam. 1. Illa est, quæ sæpissime sub memoriæ nomine in scholis venit; scil. potentia animæ, qua illa capax est a natura speciem rei intellectæ aut sensatæ apud se retinere, ut in ejus iterum cognitionem regredi queat. 2. Ipsa retentio, et quasi habitio hujus speciei in anima, quod, &c. Hanc Aristoteles memoriam, i. e. μνήμην semper vocat: etiam dicit modo πάθος modo ἕξιν, nunquam animæ δύναμιν. Verba ejus quarto Parag. primi capitis, de M. et Remin. ἐστὶ μὲν οὖν ἡ μνήμη οὔτε αἴσθησις, οὔτε ὑπόληψις, ἀλλὰ τοῦ μὲν τινὸς, ἡ ἕξις, ἢ πάθος, ὅταν γίνεται χρόνος· et in initio, Τινὶ ψυχῆς μορίῳ συμβαίνει τὸ πάθος. Quid sit μορίον ψυχῆς, visum est prius; facultas nimirum. Aristoteles igitur per memoriam minime designat facultatem; sed ei συμβαίνον τι, accidens

ejus; habitum nempe aut passionem. Liberum mihi puto ita usurpare hoc verbum, ut ipse philosophiæ nostræ magister, ὁ πάνυ, uti voluit. Hujusmodi igitur et ego memoriam intelligo in thesi, et expresse hoc commoneo ne aliquod de terminis litigium suboriatur. 3. Ipse actus memoriæ seu recordatio, τοῖς ἔξωθεν, ut ita dicam, sæpe memoria dicta, at rarius ita in scholis. Nominari poterit forte haud inconcinne triplex hæc memoria, potentialis, habitualis et actualis, e quibus mihi cum secunda solum res esto, (quarum unaquæque priorem perficit, et habet se ad eam tanquam actus ad potentiam.)

13. Ne nimium curiosus videar, breviter hæc theseos meæ mens, hic sensus est; agens ex habitu operari, nihil aliud est (quod solam mentem, seu partem imperativam et primariam spectat; organicam et instrumentalem prius amovi) nihil inquam aliud, quam in aliqua specie actionis reminisci illorum actuum, quos prius et sæpius in ea specie ediderit; qua mera ἀναμνήσει sine aliqua alia qualitate promptius et paratius redditur ad eum actum iterum iterumque exerendum. Hæc theseos meæ est explicatio; quam, si non urgentissima brevitas me oppressisset, subtilius forte elaboratam, et variis conjecturis uberius stabilitam habuissetis; nunc satis, imo necesse fuerit dilutius et popularius, addo, parcius et desideratius currentibus quibusdam argumentis confirmare. Et,

14. Primo, Primi vice se in conspectum sistunt ipsa experientia et inductio; per quam præcipua habituum genera diligenter excutiendo, constabit nihil eos aliud esse revera, quam quasdam memoriæ partes vel species. Pertinent habitus omnes, ut videtur, ad facultates, vel τὴν γνωστικὴν, vel τὴν ὀρεκτικήν.

Eas ordine inspiciemus. Intellectivæ partis quinque esse habitus a philosopho traditos nemo ignorat; quibus et sua vitia analoga opponere facile fuerit. Enumerem hos, et videam. Quid igitur aliud est ars, quam exemplarium vel idearum quarundam opus aliquod seu ποίημα respicientium comprehensio in mente, quæ exemplaria opifex semel vel sæpius plene ac dilucide exploravit, et in memoriam reposuit, vel suo ipse ingenio prius excogitavit, deinde perfecit, et in alta mente etiamnum ipsorum notitiam reservat? Eum qui sic fecit, etsi quidvis aliud absit, communibus omnes suffragiis in artificis censu collocamus. Quid hic a memoria nostra diversum aut alienum? Pari modo scientia habitus est mentem apposite instruens ad unam aliquam conclusionem, vel totam conclusionum molem ac compagem faciliter cognoscendam. Recte; nunc et hic habitus est tantum reminiscentia istorum principiorum, in quorum virtute hæc conclusio necessario delitescit, et e quibus eam vir sciens aliquoties elicuit, et ita se fecisse meminit; ideoque eodem iterum ordine elicere valet; quæ principia, qui actus, si e memoria dilaberentur, nonne actum esset de habitu isthoc, et de scientia? Sic et ille intelligens est et νοερὸς, cujus animus principiorum et theorematum locuplete penu instruitur; qui illa in numerato habet principia; quæ si aut minime adessent, aut aliquando effugerent, esset forte—ῥημάτων ποταμὸς, νοῦ οὐδὲ σταλαγμός. Idem in sapientia; at in prudentia adhuc clarius, nihil eam esse, præter memoriam quandam ob plurimorum annorum usum omnigenis exemplis, factis, responsis, monitis, legibusque luculenter refertam. Hinc præcipue senibus ob ævi spatium tribuitur, ut illi in secundo Odysseæ,

Ὃς δὴ γήραϊ κυφὸς ἔην καὶ μύρια ἤδη.

methodusque illa est, qua se acquirere sapiendi habitum profitetur Telemachus,

——ἐγὼ δ' ὅτι νήπιος ἦα,
Νῦν δ' ὅτι δὴ μέγας εἰμι, καὶ ἄλλων μῦθον ἀκούων
Πυνθάνομαι, καὶ δή μοι ἀέξεται ἔνδοθι θυμός.

Discebat, rogabat, inspiciebat, retinebat; hæc methodus est animum præclaris habitibus imbuendi. Merito igitur Cicero memoriam enumerat inter prudentiæ partes; latius scilicet inventivam et conjectivam partes in prudentia complectens. Jure Mnemosyne mater Musarum a poëtis constituta. Non indigne Apollonius hymnum memoriæ cecinit. Hæc scilicet via est scientias comparandi; distincte intelligere, et fideliter retinere; id dum facimus, ecce, (ut Prudentius.)

—Tardis semper processibus aucta
Crescit vita hominis, et longo proficit usu.

Eodem modo in vitiis oppositis, ἄφρονες, ἄνοι, ἄτεχνοι, ἀνεπιστήμονες, Grylli, et bardi, per inopiam scilicet et incuriam memoriæ evadimus. Ad morales jam habitus recensendo devenimus. Virtutes et vitia quomodo a memoria non abludant, exemplo uno aut altero discamus. Proponitur in medium vice reliquorum temperantia. Nonne eum omnes temperantem nominamus, qui quum legis illius, qua huic vitio interdicitur, probe meminerit, simul etiam oblata luxuriæ opportunitate ab ea aliquoties temperarit? quæ abstinentia reflectentis in se animi oculo perspecta, cum grata animum oblectatione perfundit ob honestam victoriam, tum etiam docet, quomodo deinceps abstineri poterit; hinc fit continuo ut hoc actu sæpius repetito, et hac memoria firmata facilius ab illius voluptatis illecebris avertitur, et virtus illa radices in animo altiores agit.

Vice versa vitiorum instantia fit ebrietas. Ille

tandem ex habitu ebriosus evadit, quem quum allectrix crapula semel et iterum ad istud τὸ ζωρότερον πίνειν impulerit, occupetque adeo sequutura occasionis vice phantasiam residens in memoria prægustata illa vini dulcedo, subit animum, quam benignis usus est sociis, quam grate et blande hilaris esse soleat,

> Cum bibitur concha, cum jam vertigine tectum
> Ambulat.———

Hæc memoria, sensim per renovatos actus magis magisque invalescens, ita demum totam mentem obruit, ut nihil aliud, quam fœcundos calices concipere et cogitare possit, blandæ tyrannidis vinculis irretitus. Adeo difficile est, quod subinde jactitabat lepidus ille rhetor, quorundam oblivisci. Liceret in aliis omnibus vitiis instare, quomodo hæc τελευτῶσα φύσις, et— Quam multos laqueo tenet ambitiosi consuetudo mali. Verum supersedebo hoc argumento, postquam uni objectiunculæ ex experientia desumptæ respondeatur, quæ suadere velit aliud quid præter memoriam ad habitus, puta ad artes, requiri. Supponatur enim quicunque cujuscunque artis regulas et ideas apprime callens, musicæ forte, vel scriptoriæ; neutiquam foret ut hic homo, si desit praxis, et exercitatio, tam peritus musicæ evadet, ac ille, qui aliquos citharæ pulsandæ annos impenderit; neque erit scriptor noster Ausoniano illi ταχυγράφῳ artis facilitate et promptitudine conferendus, de quo dicitur,

> Currant verba licet, manus est velocior illis,
> Nondum lingua suum, dextra peregit opus,

habeat ille prius dictus quantamvis memoriam, et tantam quantam habere possit. Sic etiam fieri potest, ut ebriosus ille, (de quo antea dictum) diuturno tempore Baccho sacer, etsi omnem pene memoriam immersit poculis, pergat tamen fortius genio et vitio suo

indulgere, habitu ebrietatis vel ipsum corpus obsidente; ut nulla legum virtutis quanquam exactissima cognitione ad bonam frugem retrahi possit. Respondeo, 1. Quod spectat musicum et scriptorem, eos qui ideis artium harum mentem plene instructam habent, et meminere quomodo omni modo organa artis tractare et applicare debeant, æque esse, quod spectat substantiam habitus, artifices, ac quosvis alios quantalibet praxi aut usu eximios. Sin vero ita ipsam artem exercere nequeant; est quædam accidentalis, extrinseca, et minus ad rem pertinens ratio; qualis est vegetior vis imaginativæ, corporalium membrorum habilitas, organorum dispositio aptior; manus scilicet, et partium habitui inservientium torpor, firmitas, mollities, flexibilitas, robur, quibus organa artis et habitus imperatis obsequentiora redduntur. Hæc autem ex accidenti se ad habitum habere, qui in animo situs est, jam antea præmonitum est; ad mentem enim dirigentem et imperantem, non ad manum habitus pertinet, cujus facultates perficit, facilitat et determinat; corpus vero et reliqua agentia mere naturalia, quæ sub arbitrio et nutu alterius sunt, quod sua natura ad unum propendeant, et passive solum indifferentia sunt, habitus incapacia sunt, imo potius ipsa sibi habitus sunt; facile id apta nata facere, ad quod a natura diriguntur; et quod contra est tentare, inepta et inidonea. Hæ dispositiones corporales, habitus quidem exequutioni extrinsecæ multum inservientes, non tamen magis pertinent ad ipsam naturam habitus proprie et præcise dicti, quam modulatio et integritas citharæ arti citharœdi conducat. Ebriosum quod attinet, si ex vitiosorum actuum frequentia corpus suum læsum, et imminutum, et immutatum est, induitur ille nova

potius substantia quam novo habitu, syncrasia corporis alteratur; quicquid vero in eo profluit ex habitu, idem etiam ex suavi memoria ebriosorum actuum. Actuum memoria, non regularis virtutis præstat homini habitum virtutis. Sed ecce secundum argumentum.

15. Secundo, Actuum habitum procreantium dari memoriam conceditur; hanc autem sufficere ad omnia habitus munia commode obeunda patefiet. Si hoc sufficit, notum est naturam in superfluis non redundare; et ulterius quicquam requirere, quam id quod necessarium est, curiosi esse ac satagentis animi. Non est ideo absque ratione temere nova qualitas confingenda, si hæc satis fuerit. Sufficere memoriam inde probo; quia quum hæc habitus sola sint officia, facultatem disponere et determinare ad hoc potius quam illud, promptam reddere operationibus producendis, agentis vires augere et corroborare, activitatemque ejus suo influxu promovere, et similia, hæc omnia memoria perficit, etiam sensu teste. Qui enim recordatur quomodo, quo ordine, quibus mediis et instrumentis aliquis actus edatur, modo non desint extrinseca requisita, quid illi deest quin possit quam paratissime et facillime operari? Saltem prope est, ut facile operetur; et accrescente et validius radicata illa memoria poterit adhuc facilius agere. Ego certe nihil video, nisi si hoc privilegii fictitia illa qualitas sibi proprium usurpet, ut agentis cujuslibet actioni pro sua authoritate intercedat. Sane præterea quicquam expetere videtur merus ἐξονυχισμὸς, inutiliter accurata subtilitas. Satis est artis pictoriæ perito, si simulachro semel effecto, prototypi penes se speciem et figuram retineat; ad quam se denuo convertens, simile efformare potest. Nec opus est ei veteriori

qualitate. Idem est et hic; agens sæpius actus produxit; eorum reservatur in animo similitudo habitualis; ad ejus effigiem quidni agens viribus præditum alium actum procudere possit?

16. Tertio igitur probatur, (idque ex ortu et interitu habituum, simul et memoriæ ex accremento et decremento, ex dependentia invicem necessaria,) idem esse horum utrumque, agere ex habitu et ex memoria. Nam quis eadem esse illa non agnoscat, quæ eodem modo, iisdem vicibus, eodem semper tempore oriuntur, et occidunt, vigent, increbrescunt, minuuntur, abolentur? Nam ex quibus signis evidentioribus aut magis authenticis rerum vel unitatem, vel identitatem concludere erit? Si hoc tam illi par et omnibus adjunctis simile, ac ὠὸν ὠῷ, ac Sosias Mercurio, quid erit in causa ut duo esse arbitremur? Videamus utriusque semina, dein funera. Aristotelis effatum est secundo Nicom. cap. 1. ἐκ τῶν αὐτῶν, καὶ διὰ τῶν αὐτῶν καὶ γίνεται πᾶσα ἀρετὴ, καὶ φθείρεται· ex actuum, scil. frequenti multiplicatione generantur habitus, Ἃ δεῖ μαθόντας ποιεῖν, ταῦτα ποιοῦντες μανθάνομεν. Similiter ex actuum cessatione denascuntur iterum; eos usus procreat, otium interimit; consuetudine comparantur, desuetudine labefactantur. Inchoantur primo, perficiuntur paullatim, postea confirmati suam ἀκμὴν et culmen obtinent, a quo eodem ordine præcipites descendunt, deficiunt, expirant. Exige ad has leges ipsam pariter memoriam. Ecce easdem observat, iisdem progreditur vestigiis, pari modo ætatem suam acquirit et retinet; indiget omnino consimili pabulo, exercitatione augetur—Et increbrescit eundo, alitur familiaritate agendi, intermissione deletur, enecatur, extinguitur. De memoria dicit Fabius[a], "Omnis

[a] [Id est Fabius Quinctilianus, *Instit.* xi. 2.]

" disciplina memoria constat; frustraque docemur, " si quicquid audimus præterfluat:" Disciplina, id est, habitus qui discuntur. Quin eadem passim utrique horum tribuuntur. Miratur Cicero, qua ratione memoria in suis thesauris tam multa tamque diversa recipiat, neque ea tamen confundat, sed discretim sincera conservat; qualia sint illi spatia, in quibus illa continet, ita suis sedibus disposita, atque etiam ordinata, ut et unumquodque separatim, et cuncta confertim, et singula ordinatim promat, statuat, digerat. Quomodo cuncta in se recipiat et recondat, ad ea recolenda, et cum opus est retractanda, gravis memoriæ recessus, commune hoc promptuarium et repositorium, disciplinarum custos et index, ut ex Platone Tertullianus noster, " sensuum omnium et intellectuum salus." Hæc mira memoria non se habet per modum actualis rei; ibi species in tenebris et silentio quodam latitant, quasi in vagina sua, aut arcula, vel in somno tranquille feriantes. Educere inde in actum, in usum, in lucem, si opus est, licet. Sane hæc ipsa est habitus effigies; est hic specialium actuum suorum quasi penu quoddam, et præsens atque mirus thesaurus. Habet se et hic ad instar potentiæ cujusdam dormientis et ociantis, δοκεῖ γὰρ ἐνδέχεσθαι καὶ καθεύδειν ἔχοντα τὴν ἀρετὴν, ἢ ἀπρακτεῖν διὰ βίου, in octavo ethicorum. Et Eustathius ad sextum Eth. ἡ ἕξις πρὸς τὴν ἁπλῶς δύναμιν ἐντελέχεια λέγεται, πρὸς δὲ τὴν ἐνέργειαν καὶ προαίρεσιν, ὡς ἐν τῷ κοιμωμένῳ γεωμέτρῃ γεομετρίη.

> Ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen, æque
> Optimus est modulator, et Alfenus vafer, omni
> Abjecto instrumento artis, clausaque taberna,
> Sutor erat:——— Hor. lib. I. Sat. 3.

Ut pugnam se habere ad inducias Gellius ait; " Non

"pax est induciæ, bellum enim manet, pugna cessat;" ita actus habet se ad habitum; ita et memoria ad actum suum; est ille habitus quidam (ut Aristotelem vocare visum est) ὠδίνει δὲ ἐνεργείαν, uterus est ex quo plerique actus nascuntur. Jam et a se invicem etiam dependent, et sibi mutuo respondent; Integra enim mente, memoriæ vel ex usu, vel ex temperamento cerebri, habitus manent et vigent; hac languente et labefactata marcescunt et decedunt. Vigent ergo in viris et habitus simul et memoria; in senibus disparent. Quum enim memoriam humiditatis modicæ alumnam, siccitatis inimicam, trudunt ἰαλεῶν παῖδες, et senibus vena omnis exaruit, et superfluus humor excoctus est, memoriam in illis debilem esse, aut nullam consequitur; pari passu et ab iis evanescere scientias et habitus compertum est, ut iterum quasi pueri videantur, tabula memoriæ derasa. Exemplo sit Hermogenes ille acutissimus juvenum, senum ex oblivione ignarissimus. Item insignis ille memoriæ rhetor, qui in libris controversiarum se duo nominum millia ordine prolata recitare potuisse tradit, cui tamen in senecta simul ars et memoria valedixere. Jam Themistoclem ita valuisse memoria, ut intra annum Persice quidem prompte loqueretur, historiis constat; detraxisset quis illi memoriæ munus, non habitum loquelæ reliquisset. Idem de Cyro, qui militum suorum nomina tenuit; de Mithridate, cui duas et viginti linguas, quot imperabat nationibus, traditur notas fuisse; de Theodecte, qui semel auditos quamlibet multos versus dicitur reddidisse; de Crasso divitis etiam memoriæ viro dicendum: quippe si quis rationem horum habituum reddere e vestigio juberetur, quid aliud responderet, quam excellenti illos viros me-

moria valuisse, quæ si perire contigisset, et reliqui illi habitus evanuissent? Sane si qualitas illa ex actibus progenita ab ea diversa est, proxime tamen illi haud dubie est συμφυὴς, et cognata; arctissimam habent συμπάθειαν,

> —Equidem credo amborum certo (fœdere)
> Consentire dies, et ab uno sidere duci.

Non est igitur æquum illa iis separare naturis, quæ suis omnibus attributis tam prope cohærent et quasi coalescunt; quæ adeo a se invicem mutuo dependent. Satis superque hic versatum est.

17. Ultimo, A ratione brevissime defungar. Hujusmodi ea est; habitus non est qualitas aliqua, aut forma actibus crebris genita, et facultatibus operatricibus inhærens; ut communiter ponitur. Ergo non differt a memoria. Aliud ergo medium non novi. Brevissime et festinantissime hoc ostenditur. 1. Habitus ex actibus generari asseritur. Facultatem autem ipsam agendo in seipsa aliquid producere, est valde obscurum, et nescio an absonum. Facultatis est actum elicere, et in aliud plerumque quippiam agere. Quomodo igitur seipsum agendo disponit, quo pacto actus e facultate impatiens egressus in ipsam revertitur? Urgeri hoc possit. Sed, 2. Monstri simile narratur, quod una simplex qualitas tot actibus variis et centies conduplicatis generetur. Excedit hoc ipsum prodigium Bacchi διμήτορος, ut centum eadem res celebret natales, ut ex mille oriatur seminibus indivisæ res naturæ. Unusquisque enim e tot actibus genitoribus illi pater est; imo idem pater qui et filius. Qui enim ex habitu agit, idem habitum agendo ulterius producit, stabilit, roborat, complet. 3. Quoniam non ex uno actu producitur habitus, sed e pluribus; An primus actus aliquid producit, vel

nihil? Si aliquid, num habitum? Hoc est contra hypothesin plurium actuum. Num aliquid præterea? Quid, quæso, est? Nemo, inquis, novit. At quodcunque est secundus, idem producet et tertius et deinceps; et sic qualis erit tandem lepidus ille habitus, ex tot entibus nescio quibus coagmentatus? Si dicitur primum actum nihil producere, recte, et idem secundus producet; ratio enim non obstat; et ita olim emerget nobis bonus hic habitus ex mille nihilis conflatus. Dicis hic idem evenire quod in guttis, inque lapide contuso evenire docent Aristoteles, Scaliger, alii. Multæ, scilicet, cadentes guttæ nihil auferunt de lapide, sed una tantum, puta centesima in aliarum virtute partem tollit, quæ tum tota simul aufertur, non autem particulatim; sic est de lapidis fractione per malleum, quæ fit tertio aut quarto ictu minus valido, aut ab uno valido satis. Secundum hoc ne tantillum quidem habitus a prioribus actibus producitur; verum adest tandem fortis aliquis actus, qui et suis, et reliquorum actuum vicariis operis et viribus instructus totam rem conficit; et educit in lucem habitum toties antea irrito conatu tentatum. Hoc cum intellectu perobscurum sit, ego tamen nolo in eo evertendo laborare; Sumat id sibi pensi Suarezius; qui hoc efficit in Disp. Met. prolixe quidem, sed efficaciter. 4. Datur habituum intensio, extensio, imminutio, contractio, remissio, cessatio; omnia hæc per gradus quosdam et scalas. Horum singula fieri non posse, prolixe nec hujus est operæ demonstrare; etsi fieri posse non dubitaverim. Interim quis credat tot facies diversarum conditionum, tot personas, tot status, tot mutationes, puram aliquam et simplicem qualitatem sustinere ac subire? Mira de horum singula instantia in pulvere scho-

lastico occurrunt litigia, quæ sane nemo nisi bene patientis stomachi tulerit sine tædio pervolvere. 5. Dantur etiam in brutis non obscure habitus quidam. Quid enim aliud illa canis, elephanti et cæterorum animalium docilitas est? At nemo aliquid in iis idoneum habitum præter memoriam concipere potest. 6. Taceo dubium valde esse, an hujusmodi entia a rebus diversa, quæ tamen sine aliis esse nequeant, omnino dentur; et annon hæc sint ipso sono contradictoria. Reliqua quæ erant plurima necessario dicenda (etsi et *quæ dicta sunt, remitius sunt dicta*) omittere libet; *Tum ut propriæ festinationi, tum ut auditorum patientiæ, tum ut opponentium diligentiæ consulatur*,) concludo igitur, Habitum non esse a memoria diversum, &c.

IN COMITIIS 1652.

CARTESIANA HYPOTHESIS DE MATERIA ET MOTU

HAUD SATISFACIT PRÆCIPUIS NATURÆ PHÆNOMENIS.

E VETERIBUS Græcis, qui se primi omnium naturalis philosophiæ studio addixerunt, quum vellent quam libentissime omnium effectorum apparentium in natura promptam inire rationem, dedit unusquisque operam sive ingenio proprio, sive observationibus fretus, principia quædam generalia et verisimilia investigare, quorum ope universam naturam et singula ejus phænomena plene et perspicue explicare posset. Ex quo instituto prolatæ sunt in medium quamplurimæ et quam diversissimæ rei naturalis hypotheses; aliæ aliis elegantiores, atque concinniores, prout quisque vel judicio magis polleret et ingenii acumine, vel feliciore experientia uteretur. Hinc Anaximander materiam infinite extensam, Anaxagoras Homoiomereias suas; Atomos Leucippus, Democritus et Epicurus; Empedocles Litem et Concordiam; Pythagoras Numeros et Symmetrias; Plato Deum, Ideam, et Materiam; demum Aristoteles Formam, Materiam, Privationem; alii alia rerum principia excogitarunt; ita tamen ut sua quisque commenta pro veris ac genuinis naturæ principiis, a quibus deduci omnium apparentiarum ratio et posset et deberet, venditare atque asserere non dubitarent. Atque ita se rem habuisse constat, intra ducentos plus

minus annos ab ipsis nascentis in Græcia hujusce philosophiæ initiis. Post Aristotelem autem sive jam detrita antiqua simplicitate, sive effœta in hominibus inveniendi curiositate, et fatiscente industria, seu potius quoniam præstantissima quæque ingenia partim studia moralis philosophiæ, partim rhetoricæ, politicæque curæ ambitiosæ præoccuparent, naturalis philosophia vel penitus neglecta jacuit, vel satis habebant ejusce studiosi in Platonis, Aristotelis, Epicuri, aut cujuspiam e vetustioribus placitis et principiis hærere ac acquiescere, de ulteriori inquisitione securi: unde decursu temporis effectum est, ut apud pauculos Platonis, apud quam plurimos vero solius Aristotelis principia et dictata obtinerent; reliquorum omnium non tantum authoritas, sed et scripta interirent. Equidem hoc fluxus tenore per continua aliquot secula procedebant res philosophicæ, donec pene ad nostra usque tempora perventum est: quando quasi e somno quodam profundo aut veterno excitatis hominum animis, cum medicina, mathematicis, cæterisque artibus honestis cœperit quoque naturalis philosophia reviviscere, et in se excolenda et restauranda multos ingeniosissimos viros exercere. Cœptumque est statim deliberari de principiis, nimirum quia recepta Aristotelis non solum a rudi præcedentium seculorum sophistica corrupta viderentur, verum etiam in sua licet sinceritate atque integritate accepta, non usque adeo omnibus satisfacerent. Quare continuo aggressi sunt complures viri ingenio ac eruditione præcellentes, alii veterum quorundam philosophorum principia, qua licuit resuscitare et recolere: alii nova et inaudita suo Marte comminisci. Atque isti quidem, ut nostis, Epicuream Gassendi, Magneni Democriti-

cam, novam peripateticam Digbæanam, Aristarchi Samii, et Philolaicam philosophiam nobis pepererunt; hi vero, ne Telesium et Campanellam memorem, magneticam Gilberti, Fluddi thermometricam, denique multas easque varias chymicorum philosophias in lucem prodiderunt. At qui præsertim in hoc choro philosophantium prælucere reliquis non immerito visus est, adeoque profusissimum plausum universi orbis literarii promeruit, tandem Renatus Cartesius extitit; vir proculdubio optimus atque ingeniosissimus, ac serio philosophus, et qui videtur ad philosophiæ hujus contemplationem ea attulisse auxilia, qualia fortassis nemo unquam alius; intelligo eximiam in mathematicis peritiam; animum natura atque assuefactione meditationis patientissimum; judicium præjudiciis omnibus, et popularium errorum laqueis exutum extricatumque; quinetiam plurimis iisque non nisi certissimis et selectissimis experimentis instructum; abundans otium, ab inutilium librorum lectione, et avocamentis seculi electione propria immune; ne memorem incomparabile ingenii acumen, et facultates quibus præstabat eximiis tam clare et distincte cogitandi, quam mentem suam paucis verbis admodum plene ac dilúcide explicandi. Ab eo itaque viro recepimus philosophiæ systema, quod nollem alias commendare quam dicendo tale ipsum esse, quale possemus jure a tam consummato philosopho expectare; eaque principia naturæ, ad quæ si quis serio appellat animum attente paulo examinanda et perpendenda, nisi vel nimium abundet affectu, aut intellectu deficiat, non dubito quin ipsa omnium quæ audiverit clarissima, simplicissima, imo et verisimillima sit pronunciaturus; tanta statim in ipsis facilitas, sinceritas, atque ele-

gantia elucebunt. Nihilominus ne aut nimia viri admiratio obsedisse animum nostrum, debitæque examinationi aditum præclusisse; et ne videamur existimare, unius cujuscunque hominis sufficere ingenium divinæ sapientiæ potestatisque vestigiis in natura persequendis ac indagandis; denique ut de ipsius rei veritate rectius conjecturam faciamus, nobis id negotii assumpsimus, eas exponere difficultates, quibus principia hæc nova obnoxia esse videntur; per quæ præcipue obstat, ne hypothesim hanc, tanquam Ariadnæum filum, quod in naturæ totius intimos et labyrinthi recessus ducat nos reducatque, admittamus: id quod conabimur hac methodo prosequi quam possumus succincte et perspicue: nempe ut primo hypothesim ipsam proponamus, ne quis forte Cartesiana principia haud inspexerit. Secundo ut rationes quasdam generales contra illam afferamus, præcipue ex singularum sectarum diversa sentientium pharetris depromptas. Tertio, quædam principalia phænomena enumeranda veniunt, quibus Cartesiana hypothesis haud faciat satis, rationes insuper cur ita suspicemur, adjungendo.

Primo itaque hypothesim ipsam quod attinet, ita se habet. Adverti potest innumera objecta externa, quæ corpora dicimus, sensus nostros variis modis afficere; atque ideo mentem nostram ipsa tanquam variis qualitatibus prædita percipere, quibus nomina imponit duri, ponderosi, colorati, aut similium. Præterea considerari debet, ea accidentia, quæ sentiuntur in materia corporea, vel singulatim omnibus corporibus non competere, vel potius omnia immutari posse, et ab ea penitus tolli; ita tamen ut ipsa non sit naturam corporis amissura, sed in sua essentia adhuc integra permaneat: at in extensione aliter se rem

habere; quia nullum omnino corpus imaginari possumus, quod non extendatur in longum, latum et profundum. Unde dicitur naturam corporum a nullis reliquarum qualitatum, scilicet fluxarum et corruptibilium, sed a sola extensione dependere; et cum non detur alia notio corporis diversa ab hac, et hæc sit ab idea corporeæ materiæ omnino inseparabilis, dubitari non debet, quin natura corporis in sola extensione consistat. Ex quo supposito cum nonnulla alia facile deducuntur, scilicet quid sit spatium; non dari vacuum, vel spatium inane; neque corpora prorsus indivisibilia, et hujusmodi alia; tum præcipue illud, unum esse mundum sibi ubique cohærentem, et spatia omnia imaginabilia occupantem; cujus universa materia una et eadem existat, utpote quæ omnis per hoc unum tantum agnoscatur, quod sit extensa; atque talis est natura Cartesianæ materiæ; ex qua sic exposita, liquet ipsam in multas portiones diversæ magnitudinis ac figuræ partibilem esse. Circa quas observandum est denuo, eas in duplici modo existentiæ consistere posse, scilicet in motu, vel quiete. Motus autem nihil revera est aliud, quam translatio unius partis materiæ, sive unius corporis ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediate contingunt et quiescentia spectantur, in viciniam aliam. Hujusque absentia est quies, quum corpus respectu aliorum omnium adjacentium eundem locum situmque retinet. Neque circa naturam motus et quietis præter hæc quidpiam subtilius notandum videtur. Tantum adhuc causas motus et quietis in corporibus considerare oportet primarias et secundarias. Deus motus et quietis primaria causa censendus est; qui materiam simul cum motu et quiete creavit in principio: ad cujus perfectionem

divinam cum spectem, quod sit immutabilis, et quod modo quam maxime constanti et immutabili operetur, rationi est consentaneum putare, quod diversimode moverit partes materiæ, quum primum illas creavit; jamque totam istam materiam conservet eodem plane modo, eademque ratione, qua prius creavit; eum etiam tantundem motus in ipsa semper conservare; ideoque etiam regulas quasdam legesque figi ac constitui posse, juxta quas causæ secundariæ et particulares motus istos efficiunt, qui in singulis corporibus reperiuntur. Leges istæ generales tres sunt. Prima, unamquamque rem, quatenus est simplex et indivisa, manere quantum in se est in eodem semper statu, nec unquam mutari, nisi a causis externis. Ut si pars aliquâ materiæ sit quadrata, manebit perpetuo quadrata; nisi quid aliunde adveniat, quod ejus figuram immutet. Si quiescat, neutiquam incipiet moveri, nisi ab aliqua causa ad id impellatur. Et si moveri supponatur, non unquam sua sponte et a nullo alio impedita motum illum suum intermittet. Secunda lex hujusmodi est, unamquamque partem materiæ seorsim spectatam non tendere unquam ut secundum ullas lineas obliquas pergat moveri, sed solummodo secundum rectas. Tertia lex est; Ubi corpus quod movetur alteri occurrit, si minorem habeat vim ad pergendum secundum rectam lineam, quam hoc alterum ad ei resistendum, tunc deflectitur in aliam partem, et motum suum retinendo, solam motus determinationem amittit; si vero habeat majorem, tunc alterum corpus secum movet, ac quantum cui dat, de suo tantum pendit. Et se ita Cartesiana hypothesis habet: nam ex hisce solum suppositis, materiam, sive extensionem dari, et in partes dividi; easque partes moveri

vel quiescere juxta leges nominatas; his inquam solum suppositis et concessis, quæcunque in rerum natura mutationes, generationes, alterationes, et quæcunque universim naturæ phænomena observantur, satis explicari posse censet Cartesius, ita ut demum pronunciet nulla alia physicæ principia vel admittenda esse vel optanda. Quod non ita se habere, illud demum est quod mihi incumbit propositis rationibus ostendere.

Itaque cum præcipua naturæ phænomena dico, necesse est ut excipiam ea quæ corporibus cœlestibus, cometis, planetis, reliquisque conveniunt; quoniam in iis nihil fere præter motus, colores et figuras deprehendere possumus; quæ non solum Cartesius sed reliqui omnes hac aut simili via necesse habent explicare: et pari jure ea excludo, quæ in propinquo observantur directe et ad sensum, vel motus locales, vel colores, vel figuras respicientia; qualia sunt mechanica artificia; experimenta de motibus projectorum; imo et fluxus ille ac refluxus maris; quem agnosco hac via admodum eleganter declarari; et similia, colorem, lucem, phasmata, spectantia, &c.— nam neque in his aliquid peculiare erat, et in harum apparentiarum rationibus reddendis omnes philosophi simili methodo insistunt, hoc est, mathematicæ potius quam physicæ. Sed per præcipua naturæ phænomena intelligo ea, quæ naturæ penetralia propius attingunt, scilicet generationes, proprietates et operationes specificas animalium, plantarum, mineralium, lapidum, et reliquorum naturalium corporum, præcipue eorum quæ mixta vocantur. Rursus per illud, *haud satisfacere*, non intelligo, quasi quispiam caput suum torquendo, et δουλεύων τῇ ὑποθέσει quod dicitur, non possit complurium effectuum ex hisce

principiis qualemcunque reddere concinnam rationem; quoniam et in hac re, et in aliis, innumeræ hypotheses confingi cudique possint, haud facile falsitatis, saltem non contradictionis alicujus arguendæ: de quibus nihilominus promptum foret dignoscere, et judicare rem juxta illas se non habere; prout etsi per Ptolemaicum systema, saltem aliquatenus emendatum, non dubium est quin ratio cœlestium apparentiarum reddi possit satis accurata ad calculos motuum, eclipsium, et reliquorum eventuum construendos; et tamen vix jam sanus quispiam hanc, quod rem ipsam spectat, tanquam veram admittet, quæ tam intricata, et minime elegans sit. Itaque hoc volo per illud, *non satisfacit;* quod hypothesis hæc multarum apparentiarum causam satis idoneam reddere non possit, cui vir philosophus acquiescat, atque existimet summe esse probabile rem juxta ipsam se habere. Non est igitur expectandum, ut contra Cartesium agam alias, quam rationes quasdam generales et probabiles sive conjecturas proponendo, quæ inferant naturam non juxta viam istam mechanicam omnino procedere; atque adeo ipsius hypothesim naturæ non usquequaque satisfacere. Id quod tentabo efficere, committendo imprimis reliquos philosophos cum Cartesio, ea tantum ex eorum ratiociniis seligendo, quæ videbuntur nonnihil ponderis atque momenti habere. Committo autem cum eo Platonem, Aristotelem, Democritum, vel Epicurum, chymicos, et magos naturales quos vocant, sive eos qui de sympathiis et antipathiis naturalibus scire profitentur; at imprimis ac præ omnibus tanquam πρόμαχον hujusce prælii, Verulamium nostrum, virum magni proculdubio judicii et nominis, qui philosophiam hanc nondum natam damnavit. Is enim ali-

quoties in suo Organo contra hujusmodi omnes universim hypotheses admodum prudenter cavit, et præmonuit non esse magnopere ab iis principiis metuendum, quæ violenti argumentationum conatus ex singulorum hominum cerebello parturirent: nam prout super phænomena ætheris varia cœli themata construi, ita et super phænomena universi multo magis complura dogmata fundari et constitui posse; quæ tamen non nisi commenta sint; et quot hujusmodi philosophiæ extant, aut extituræ sunt, ex nuda speculatione oriundæ, tot ille reputat effectos esse mundos fictitios et scenicos. Nam licet Cartesius plerisque aliis, imo haud injurie dixero, omnibus scenam suam elegantius instruxerit, concinniusque composuerit; et forte fabulam narraverit, quam nemo prima specie non concesserit ab historiæ veritate haud multum abludere; non tamen videtur penitus eorum numero eximendus, qui in censuræ istius aciem incurrerunt. Nam ex proprio ore constat, eum philosophandi ordinem, qui et utilissimus videtur et solidissimus, plane invertisse, dum non a rebus discere, sed rebus leges suas imponere ei visum est. Ita enim processit, ut primum quas proposito suo idoneas censuit metaphysicas veritates colligeret et stabiliret, nempe ex notionibus natura menti suæ insitis; deinde ab iis ad generalia principia naturæ descendit; et inde gradatim progressus est ad particularia quæque explicanda, ex principiis scilicet quæ ipse nec inconsulta natura struxerat: nempe hoc modo potius privatæ mentis ideis, quam theatri publici constitutioni attendendo; non ex singularibus exemplis, atque experimentis diligenter trutinatis axiomata colligendo; sed ipsa ex proprio discursu confingendo, iisque quod Aristoteli præser-

tim vitio datum est, naturæ effecta pro libitu suo accommodando: quæ ratio philosophandi a viro magno improbatur ob rationes minime contemnendas. Nimirum quia hoc destinare est nimium de viribus nativis rationis nostræ præsumere, mentemque nostram longe supra justum suum modulum mirari et extollere; subtilitas naturæ a subtilitate mentis æquari, ejusque operationes per syllogismos comprehendi existimantur. Quinimo præterea per inanem hujusmodi conatum sperare videmur, posse nos modum quo omnia quæ ubique in modo accidunt, pernoscere; id est, æque ac ipse rerum Conditor; qui nobis minime consciis illa omnia mira sapientia ordinavit (nec mira tamen, si nos ipsam nostra assequi possumus): et sic idola mentis nostræ cum ideis divini intellectus conferre, quæ suas rebus signaturas impressere. Denique quia experientia compertum est, hujusmodi dogmata a metaphysicis cogitatis, caute licet et curiose conquisitis, ortum ducentia, quia experientiam semper fere negligunt, revera in medullas naturæ non intrare, ejus scopos non attingere, atque adeo phænomenis minime satisfacere; ideoque neque Cartesiana, utpote quæ plane hoc modo inventa atque exculta fuerint: et hæc est prima ratio generalis contra hanc hypothesim.

Secundo contra Cartesium confertim e specu emittam Platonem et Aristotelem, et qui cum iis in hisce rebus paria sentiunt; qui cum hypothesim hanc perspexerint, inque ea nihil prorsus de anima, nihil de seminibus aut rationibus seminariis, nihil vel de formis vel finibus rerum, aut appetitu, vel instinctu naturali contineri notaverint, atque adeo de causarum suarum quaternario fere plusquam duas excludi,

credo haud facile querelas stomachumque tenebunt. Scilicet res omnes a Deo conditas virtutis innatæ expertes; effectus quoscunque cum vi et luctu peragi; interna agendi principia, hactenus a philosophis magno consensu admissa, una cum intentione finium rejici; et loco horum principia mortua ac temeraria, *φύσιν ἄψυχον*, naturam absque anima, id est, corticem absque nucleo proponi exclamabunt subirati. Sane aliter antiquissimus ille philosophantium Thales dicitur tradidisse; cujus illud, *Πάντα θεῶν εἶναι πλήρη*. Longe aliter ipse Aristoteles; qui omnia fateri videtur animabus esse plena, iis verbis, capite 2. libri III. de Gener. Anim. *Ἐν γῇ ὑπάρχειν ὑγρὸν, ἐν δὲ ὕδατι πνεῦμα, ἐν δὲ πνεύματι θερμότητα ψυχικήν· ὡς τρόπον τινα, πάντα ψυχῆς εἶναι πλήρη.* Insuper Platonici et Stoici, videntes mundum tam pulchra partium harmonia, et quasi organizatione constare, omnia tam sapienti dispositione, quam mirabili consensu et indefessa constantia in mutuum subsidium beneficiumque conspirare, et hujusmodi pleraque animadvertentes, non verebantur asserere, prout ipsorum mentem Manilius repræsentat,

> ———Vivere mundum,
> Et rationis agi motu, cum Spiritus unus
> Per cunctas habitat partes, atque irriget orbem
> Omnia pervolitans, corpusque animale figuret.

Itaque tam longe aberant illi primitivi antistites philosophiæ ab hoc, ut mundum inanimem et nullo vel principio vel intentione agendi præditum supponerent, ut contra vel animabus referta esse omnia, vel Spiritum quendam vitalem catholicum, qui per universum diffusus omnia conservaret atque foveret; qui Custos *τῆς εὐταξίας*, et contrariorum *δεσμὸς συναγωγὸς* existeret, et qui multis stupendis atque latentibus

phænonemis sufficeret, comminisci et perhibere non dubitarent. Utcunque sit de communi hac anima, non per brutos et fortuitos motus confici omnia, sed speciebus singulis corporum naturalium suas inesse animas vel formas, hoc est, interna specificæ essentiæ principia, facultatibus agendi juxta fines a natura destinatos instructa, et appetitui proprio obsequentia, id est, quod non absque ratione et necessitate quadam affirmare videntur hi philosophi. Nam imprimis, videtur de supremo rerum Conditore indigne sentire, quisquis autumat, eum solummodo unam materiam homogeneam, eamque hebetem et inanimem, per tot jugera immanis spatii extensam creasse, ac cum unico præterea motus instrumento ludos hosce solennes, omnemque mundanam comœdiam dispensare; quasi fabrum, aut artificem χειρόνακτα, technam hanc suam singularem neurospasticam ad nauseam usque repetentem et ostentantem: at multo augustius de eo cogitare videtur qui credit ipsum, immensa sua bonitate ac beneficentia impulsum, innumeris speciebus suam singularem essentiam communicasse; singulis peculiares appetitus, propriasque facultates agendi impertivisse, et universas apta serie ob mutuum auxilium in suós gradus classesque distribuisse, aliisque alias κατὰ μοῖραν subordinasse; nimirum videntur hæc sanctius honestiusque ab hominibus de Authore suo cogitari; sed neque minus utile et necessarium est ita sentire, phænomenis naturæ urgentibus. Nam si totius naturæ theatrum uno ictu oculi perlustremus; in eo quasi innumeras personas animadvertamus, specie, qualitate, opera valde discrepantes; singulas sibi unas et continuas, quasi se unius spiritus vinculo et regimine continentes; quin et quomodo se unumquod

que tueatur et foveat, et crescendo multiplicet; non erit valde dubium quod asseritur. Nam ut ordiamur a perfectioribus, id est, ab animalibus, etiam dempto homine; annon facilis experientia commonstrat inesse illis spiritum quendam naturalem, non solum cognoscentem et sentientem, sed se sponte moventem et promoventem? qui nempe tanquam tutelaris genius corporis, cordi vel cerebro affixus, a nemine impulsus aut concitatus, æterni perpetuique motus proximam effigiem repræsentat; qui provinciam totam nutu suo moderatur, et disponit organa ad agendum; qui in primævo nexu, perseverante consensu et justa temperie partes continet et tuetur; imo qui per multos annos integram corpusculi fabricam, fluxa materiæ suæ conditione, externorumque agentium impressionibus ac violentiis non obstantibus, ab omni periculosa et lethifera vicissitudine, ab omni putrefactione usque ad terminos a Creatore designatos defendit et protegit; absque quo foret corpus bidui intervallo fœteret pessime, inque dissolutionem spontaneam ex sui corruptione festinaret. Annon hæc Cartesius præclare explicuit, dicendo corpus meram molem esse homogeneæ naturæ, in partes varia figura præditas divisam, quibus diversi motus insint sane cæca lege fluentes, nullo spiritu præside, nulla sapientia operis directrice, nulla intentione finis, aut quovis alio efficiente præter concursum Dei ordinarium interveniente? Illud vero omnium est maxime admirabile, quod cognitionem ipsam atque appetitus animales ad motus locales retulerit; quos esse omnino alterius altiorisque generis, nemo certe non imaginari potest. Si quis autem instet non constare utrum ad hæc effecta Cartesius hypothesin suam extenderit; neque enim viro acu-

tissimo et perspicacissimo hæc tam inania et veri haud similia satisfacere potuisse; respondeo, quod Cartesius hypothesin suam generaliter proponat, quasi universis phænomenis naturæ explicandis sufficeret; istis quæ animalium sunt non exceptis: deinde manifestum est quid ille intelligat, ex verbis Regii, sequacis sive discipuli sui; qui decimo capite suorum Fundamentorum ita expresse loquitur; "motus animalium sensitivus et locomotivus fit in animalibus eodem modo, ut automata agitantur, et moventur sine ulla cognitione vel vero appetitu." Hæc Regius, quæ hausisse ipsum ex tractatu Cartesii de animalibus hactenus inedito, ipse Cartesius author est, in præfatione sua ad secundam editionem Principiorum suorum: dein necesse est ut ita statuat, scilicet, bruta animantia nulla cognitione, imo nullo appetitu esse prædita; aliter enim de motus sui lege maxime generali erit conclamatum; quæ pronunciat tantundem motus continuari perpetuo in rebus, quantum initio fuerit; quia quantum corpus de suo motu dat, tantum perdit, et vicissim. At omnis αὐτοκινησία novos motus, eosque satis vehementes pro suo arbitrio introducit: et sane motus tot animantium multum conferet ad statum rerum, motuumque proportiones immutandas, atque adeo ad hanc hypothesin susque deque pervertendam; et nihilominus haud bene video quomodo ipsum hominem a fatali lege ignorantiæ et violentiæ hujus excipere possit, ne eadem sequantur: quo tamen nihil fingi possit vel incredibilius vel indignius. Hactenus de operationibus animalium jam in lucem editorum, organisque idoneis instructorum: at se ille spiritus, materia inerte altior ac animosior, adhuc si fieri potest clarius in generatione animalium prodit ac manifestat;

dum sibi magnificum domicilium struit, pulcherrimamque corporis machinam efformat. Etenim non est perdifficile agnoscere, automaton postquam egregio artificio factum est, sua sponte mira ac stupenda rei ignaris officia obire; at nemo ideo sanus concesserit, istiusmodi machinam ullam absque ingeniosi artificis cura, aut opera manuum diligenti et prudenti, suopte arbitrio in lucem unquam emersisse: nimirum tam mirifico operi erigendo adesse debet internus aliquis architectus, vel sua intentione, vel directione divina admodum sapiens, qui tot diversas partes e rudi semine effingat, temperie exquisita donet, situ convenienti disponat, figura decenti expoliat, lineamentis bene congruis et gratis coloribus exornet, denique qui in his omnibus et reliquis optimum scopum et petat semper, et feliciter assequatur. Eoque magis hoc venit annotandum; quia hoc opus naturalium sit naturalissimum, ut aiunt; nec quod scire possumus ipsi, aliquis cognitionis explicitæ actus intercedat; quod ostendit etiam iis operibus naturæ, quæ apparent brutissima et scientiæ expertia, consilium et appetitum non abesse. Utcunque autem de cognitione, locomotiva facultate, et generatione animalium se Cartesius excusaret, tamen in plantis videtur pene eadem difficultas versari, quæ jugulum hujus controversiæ pari impetu petat. Nam inesse etiam iis quod Hippocrates appellat τὸ ἔμβιον τῆς φύσεως, hoc est, spiritum quendam et rectorem intrinsecum, energiarum vitalium præsidem, generationis fabrum, qualitatum simul et effectorum mirabilium fontem et originem, permulta ostendunt: et si quis eas plantas intueatur, quæ absque omni cura aut cultura, ἄσπαρτοι καὶ ἀνήροτοι, sua sponte proveniunt, si figuras ipsarum varie de-

centes, colores aspectui gratos, potestatesque opportunas contempletur, an apud se facile reputabit, effecta hæc sane stupenda ex sola divisione materiæ, et motu particularum nonnisi per generales admodum regulas determinato procedere; et non potius semina quædam, sive fermenta fuisse initio singulis soli locis ab Authore naturæ implantata; quæ cœlesti fotu evocante parata essent suæ speciei corpus prodere? juxta Virgiliana ista,

> Continuo has leges, æternaque fœdera certis
> Imposuit natura locis: et—
> Quippe solo natura subest.—

Adhuc eas plantas, quæ ex certis seminibus oriuntur, quod spectat, admodum verisimile est iis etiam seminibus inesse animam quandam seu spiritum vitalem, qui sit, non dico conscientia aliqua actionum suarum, sed utcunque imaginatione certa licet subobscura, appetitu pertinace, et potestate idonea donatus, ea quæ imaginatio et appetitus juxta Dei atque naturæ præscriptum jubent exequendi, plane prout in animalibus facultates phantasiæ et passionibus obediunt; etsi non eodem gradu neque adeo manifeste. Amat enim natura a supremo apice rerum usque ad scalæ infimum pedem apto ordine et quasi harmonicis intervallis descendere. Ex angustiis pusilli seminis quam robustæ ac proceræ arbores se explicant? quam solerte prudentia, qua apparatus curiositate necesse est ut infervente ista officina omnia procurentur? Imprimis moles corporea terræ matris visceribus per radices suas innascitur, tum ut se in sinu ejus sustineret, tum etiam ut ex parentis teneræ uberibus pendens succum sibi alimentarium exugeret: dein tellure egressa pro corporis sui firmamento truncum satis crassum ac nervosum obtinet, externo cortice bene lori-

catam fibris spisse interius contextam; deinceps medulla centrali pervadente, quasi quodam thesauro, ex quo in membra reliqua per exiles venularum ductus necessarium alimentum depromitaret, distribuitur: proxime ex se satis numerosam ramorum ac surculorum propaginem emittit; quarum extremitates nunc floribus pictæ cernuntur speciosis ac fragrantibus; vel folia ipsis naturales arborum comæ, vel vestimenta, aut saltem fructus appendent, gustui gratissimi et aspectui, singuli in suis penetralibus spem novæ arboris gerentes, vivifica virtute inspiratam; et cætera quæ commemorari possent, omnia alia potius quam inscium et temerarium motum materiæ, nihil autem magis quam distinctam phantasiam et fortem appetitum indicantia. Nam observari potest leges motus Cartesiani adeo generales, laxas et indeterminatas esse, et tamen minime ad unum hoc vel illud producendum limitatas, ut quæcunque juxta illos eveniant, jure optimo non nisi per casum quendam et fortuito evenire putare debeamus; nam inesse illis nihil amplius quicquam consilii agnoscitur, quam quod leges istæ generales initio sancitæ sint; quod non magis fortunam aufert, quam Epicuri hypothesis, docentis mundum ex atomis certa lege fluentibus fuisse constitutum, et adhuc perseverare; qui tamen eum plane contingenter et fortuito fuisse factum, et modo perdurare, esset proculdubio concessurus. Haud injuria itaque contra hanc hypothesim, hæc quotidianæ sapientiæ et consilii singulis rebus invigilantis indicia objicio. Nam de plantis, verbi gratia, si ex motu ὡς ἔτυχε, proveniunt, interrogo, 1. Quare tam decentes figuras, qualitates omnibus sensibus gratas, virtutes salutiferas nactæ sunt? 2. Si hoc ex motu materiæ juxta leges suas contingere possit; quare non fere

omnes uniformiter se habent, cum leges paucæ et determinatæ sunt? 3. Aut si valde multæ species sua sponte hoc modo emergere possint, quare non singulis annis novæ plantarum species exoriuntur, ob variatas materiæ partes, atque ob easdem rationes, quæ faciunt ut jam tam multæ existant? et quare fixus et determinatus est plantarum numerus in mundo, quasi motus eousque valeret, ad id quod reliquum est esset effœtus? 4. Quare non contingit plantas sæpe imperfectas et mutilas apparere, causis suis titubantibus? 5. Quare sæpe sub iisdem figuris, coloribus et complexionibus plantarum diversæ et contrariæ virtutes latent? annon forte hoc a spiritu interiori, materiæ suæ ministerio alias atque alias utenti?

Porro metallorum et mineralium eadem ratio est, etsi juxta regularem descensum naturæ id minus manifeste appareat.

Videtur enim generatio horum et constitutio nativa etiam per spiritum suum in semine, aut aliquo semine analogo residentem peragi; per quem scilicet ad suos colores specificos, proprietates ac virtutes valde uniformiter disponuntur atque determinantur: unde non sine causa dixit Severinus, non esse majus artificium in formis atque figuris animantium quam in proprietatibus et qualitatibus metallorum ac gemmarum; et æque mirandum esse colorem sapphiri, duritiem adamantis, perspicuitatem crystalli, pulchritudinem auri, ac organa vespertilionis: quo referri possunt figuræ adamantis octoëdra, hexaëdra crystalli, quæ et salis communis, notante Gassendo ad vitam Epicuri. Quinetiam tradunt metallici mineralia non solum crescere et renasci, verum et nutriri, maturari, sese purgare, atque indies in melius

disponere, quod spiritus intus hospitantis præbet indicium; prout et illud, quod adamantis corpus durissimum, solidissimum, purissimumque in terræ superficie spatio biennii, imo ipsum aurum in Westphalia quadriennii intervallo nascatur et perficiatur; quæ absque interni agentis excubiis perpetrari nimium esset: itaque hæc, et quæ conformiter hisce in natura eveniunt, ita formæ necessitatem et præcellentiam ostendunt, ut præ ea dixerit magnus Verulamius efficientem ac materiam res perfunctorias esse ac superficiarias, et nihil fere conferre ad scientiam veram et activam: circa quas tamen solas hæc hypothesis versatur.

Proxime notatur hæc hypothesis a prædictis philosophis, quod nullos fines naturalium agentium, nullos appetitus, nullos instinctus rebus ab origine insitos agnoscat; sed cunctos amores, inimicitias, contrarietates, sympathias omnes et antipathias prorsus exulare præcipiat; quum tamenl iceat plurima ejusmodi appetituum, instinctuum, similiumque affectuum vestigia in rerum natura deprehendere; ex observatione, scilicet, et relatu virorum gravissimorum; inter quos Verulamius noster, ex variis motus generibus, quos existere in natura diligenter consideravit, fere omnes a varia intentione finis determinandos judicavit: alios enim motus libertatis, alios nexus, alios continuitatis, alios ad lucrum, alios fugæ, alios unionis, alios congregationis ad suum corpus dici voluit; atque ita ideo, quia viderentur naturalia corpora ex instinctu innato ad hosce status propendere, motusque suos ex intentione finis suscipere. Verbi gratia, ita ille instat in motu ad lucrum; inquiens, "Electrica operatio (de qua Gilbertus et alii post "eum tantas excitarunt fabulas) non alia est quam

" corporis per fricationem levem excitati appetitus, " qui aërem non bene tolerat, sed aliud tangibile "mavult, si reperiatur in propinquo." Et liceret ex naturalis historiæ scriptoribus permulta sympathiarum ac antipathiarum exempla depromere, quæ proculdubio difficile esset ex mechanicis rationibus declarare, nisi si forte juxta istas explicandi methodos liceat quidlibet ex quolibet deducere. Qualia numerantur animalium atque plantarum ingenitæ amicitiæ, inimicitiæque; delectus, sive dijudicatio ciborum quam animantium fœtus juniores faciunt; proprietates rerum quæ magicæ, quæque magneticæ appellantur; philtra unguenti hopliatrici, sympathetici pulveris, et similia; de quibus quum non vacet luculente despicere, omittam aliquid dicere; et licet consulere quæ sparsim de iis tradunt naturæ interpretes; et quæ confertim affert Helmontius in tractatu elegante de magnetica vulnerum curatione. Hic loci etiam commemorari possent quæ de venenis, et quæ de alexipharmacis, et de medicinis purgantibus medici ab experientia edocti nos docent; venena enim in minima quantitate non quidpiam leve detrimentum aut tenuem sensum afferunt, sed plane execant: quid illud est magnæ rei quod phalangii ictus, vel infixus scorpionis aculeus demittit in corpus, ut corpus adeo ingenti atque inusitata mutatione afficeretur? cum Æliano narrante, libro de Animalibus, morsus vestigia, quæ aspis imprimit, tam obscura et parva sint, ut indicia vix acri oculorum acie deprehendantur: et exigua rabidi canis spuma diu in corpore latet, tandem quasi expergefacta vim diram et fortissimam exerit: jam si quis putet tantum non exilem atomum unicam, quæ posset facile per pori alicujus cutanei patens ostium evadere, vel inhærentem alicui mem-

bro, vel corpus rapidissime pervolantem ac pervadentem, tantas strages edere, omnem motum machinæ pervertere, ipsamque compagem dissolvere, is paria Epicuro et Asclepiadi facere videbitur, qui Galeno advertenti ejusmodi effectus et reliqua omnia ex primis qualitatibus elementorum exponere tentabant, ita ut tandem cogerentur vel rationes afferre plane ineptas et ridiculas, vel ea negare, quæ certissima experientia confirmata essent; itaque inesse venenis spiritum vitalem admodum potentem nostro spiritui vitali inimicum; ubi alexipharmacis et cardiacis amicum atque benignum satius sit ingenue confiteri, quam sapere velle per impudentiam; et manifestæ improbabilitati σοφὸν φάρμακον adhibere. Sed hactenus philosophis istis satis superque indultum est; proxime post eam nititur descendere in arenam alterum agmen sapientum, Democritus, Epicurus, Heron Pneumaticus, et similes; scilicet, ut contra nova hæc principia causam suam agant, propterea quod e rerum natura omne vacuum penitus excluserint; quod tamen videtur multis naturæ phænomenis egregie satisfacere. Nam si rebus interspersum inane concedatur, ponderis in eadem figura majoris minorisve facillime ratio redditur; et quomodo corpusculis subtilibus per meatulos inanes transitus præbeatur; et quo pacto rarefactio et condensatio fiant; et fere necessarium est ad intelligendum quomodo motus omnino dari possit, hoc supponere: ut Lucretius eleganter,

Quod si non esset (vacuum scilicet) nulla ratione moveri
Res possint; namque officium quod corporis extat
Officere, atque obstare, id in omni tempore adesset
Omnibus, haud igitur quicquam procedere possit,
Principium quoniam cedendi nulla daret res.

Nempe si universus mundus confertissima esset moles, continua materie stipata, nullis spatiolis vacuis interceptis, si quodpiam corpus ex iis quæ intra hanc molem disposita sunt moveri e suo loco incipiat, locumque alterius invadere, necesse est ut id alterum corpus expellat; quod corpus quo concedet? expellet nempe aliud, atque illud itidem aliud, et continuabitur expulsio ad infinitum non solum spatii sed et temporis; quum aut nullum principium hujusce motus esse possit, aut saltem nullus finis.

Rursus finge moveri corpus per aërem, id ut contiguum aërem pellat, debet sane pilum quod aiunt sua superficie versus ipsum procedere; at tantulum spatium, quantula pili crassitudo est, occupatum est, quare se in eo sistere non potest, nisi prius aërem ex ipso depulerit. Quonam autem ipsum depellet? an per latera ad locum retrorsum? at nondum est ullus retrorsus locus, quando ipsum nondum antrorsus processit. Igitur cum tantillum spatii, quantilla est pili crassitudo, procedere non valeat, quia locus non est, quo aërem illum occupantem protrudere possit, neque habebit consequenter unde aërem ulteriorem propellat, sed necessitate revinctum in eodem loco semper hærebit; quæ absurditates per argumenta non ἀποδεικτικὰ inductæ facile omnes a vacui positione elevantur. Quin hoc idem ostendunt experimenta trivialia æolipylæ, bombardæ pneumaticæ, aliaque innumera, quæ apud Heronem in Spiritalibus, Gassendo ad Epicurum, et præcipue apud Helmontium in Discursu de Vacuo Naturæ, occurrunt sane ex iis nonnulla pulcherrima atque vividissima. Nec tam philosophi hoc eximii inane suum extrudi, quam id fieri argumento inani, seu potius metaphysica quadam subtilitate, indignantur: nempe hac; vacuum

imaginamur esse extensum, at hæc materiæ proprietas est; nec vacuo, hoc est nihilo, competere potest: ergo vacuum dari repugnat. At similiter tenebræ non dantur, quia ipsas tanquam nigredinem quandam concipimus; quæ color est corpori conveniens. Et cæcitas non datur, quia necesse est ut ejus ideam ab aliquo positivo desumamus, et multa geminatis. Dein juxta hoc argumentum res suæ existentiæ veritatem a nostra phantasia petere debent, et quæ nos perperam cogitamus, ea vel non sunt, vel non aliter quam nos concipimus. Quinetiam quid si dixerim, Deum ubique esse absque vera quantitate? et animam toti corpori coëxistere absque proprie dicta extensione? quidni igitur et vacuus esse possit absque extensione reali? denique divina potestas valet universam materiam præter eam quæ est hujus templi annihilare: id exempli causa fieri supponatur; retinebit certe templum in hoc casu fines quos jam habet: at non possemus non imaginari ultra terminos hujusce templi exporrectum aliquod spatii; igitur juxta hunc argumentandi modum revera dabitur spatium, hoc est, quantitas corporea sive materia, quæ tamen omnis jamjam annihilari dicta est: imo pariter concipimus ante conditum mundum ingens expansum extitisse; neque aliter cogitare possumus, utcunque aciem intellectus nostri intendamus. An inde sequitur revera tunc temporis immensam quandam materiam fuisse? quod nemo absque manifesta cum impietate, tum absurditate dicturus est.

Nunc ad triarios deventum est, et nostrum agmen claudant hermetici philosophi; qui sive interpretes sive tortores naturæ audire debeant, saltem semet ipsi a secretioribus consiliis, et mysteriorum omnium intime conscios esse jactitant. Ab eorum singula-

ribus experimentis, quæ huic hypothesi manifeste refragantur, recitandis consulto me temperabo; etsi liceret fortassis ex unico authore plusquam sexcenta hujus generis depromere, cum ut meipsum ex infinitis præstantissima seligendi tædio sublevarem, tum præcipue ut patientiæ auditorum consuleretur: proponam itaque non nisi generalia quædam observata, quæ cum hisce principiis antithesim habere videntur.

Primo, Itaque observant hi philosophi omne corpus naturale mixtum, qualia sunt animantia, vegetabilia, mineralia, lapides et similia, ex duabus partibus omnino diversis atque distinctis constare; non secus ac hominem ex anima et corpore: nimirum ex spiritu subtili, puro, potentissimo, et corpore opaco, fœculento, impuro atque imbelli: atque hæc duo ignis beneficio separari, et seipsa seorsim ostentare.

Secundo, Spiritum istum ita rectificari, depurari ac perfici posse, ut nihil sordium habeat in se reliqui, neque ideo ignem sibi immerito importunum perferre amplius, sed in superna avolare: quod siquis eum apicem perfectionis suæ adeptum, fæcibus suis, vel corpori derelicto restituere et remiscere moliatur, quasi priscum suum contubernalem impurum aspernatus, atque abominatus refugit; et vix difficili arte ac multa industria cogitur post multas prolatationes et circulationes descendere, et corpus illud suum purificare.

Tertio, Observant hosce spiritus in quantitate valde exigua, omni totorum suorum virtute esse prædita, admodum potestatibus validos esse, atque ingentia opera patrare.

Quarto, In corporibus per artem reseratis, forte singulis, si res innotesceret, at certe multis, specifi-

cas et proprias virtutes, per quas consensum suum sub rebus quibusdam aut dissensum extremum testentur, reperiri: unde et quædam medicamenti loco propinata egregie membris vel visceribus quibusdam prodesse, quædam vero pessime officere deprehendantur.

Quinto, Compertum habent, spiritus prædictos in mole angusta alterius materiæ longe uberiori copiæ immissos, ipsam totam in suæ speciei tincturam et qualitatem convertere, et sibi ex ea quasi novum corpus efformare: ita ut seminum ratio, virtus, natura hisce spiritibus congruere videatur, dum speciem suam propagant et multiplicent; et sane hæc basis esse videtur philosophicæ fidei, et huic fundamento mysterium lapidis inniti.

Sexto, Notant res omnes vi suæ artis in aquam ultimo reduci claram et insipidam, ipsum durissimum adamantem, arenam, vitrum, terramque originalem non excipiendo; seminibus nempe omnibus, ex quibus sapores, colores et similia profluunt, quæ prius inerant, per arcanum quendam carnificem confectis ac interemptis.

Septimo, Penes se reperiri menstrua quædam, quæ vocant, potestate corpora dissolvendi, atque intimius penetrandi, quam ignis noster longe potiori instructa; quorum ope rerum nudas essentias facile inspicere licet; per quæ rerum ipsæ vitæ ac spiritus intaminati nullo negotio eruantur: et quæ præterea noxia corrigendi, et pessime venenata reddendi innocua, imo salutaria, mirifica vi pollent. Annon hæc omnia, et multo plura, et impensius miranda, quæ philosophi isti se vidisse atque expertos esse persancte affirmant, Hypothesim Cartesii prima specie reddunt suspectam? annon diserte significant inesse

rerum naturæ quidpiam arcanius, divinius, ac excelsius, quam quod rudi hac methodo mechanices queat attingi? Saltem materiam diversi generis extare; corpora mixta ex suis specie discrepantibus principiis consistere, hoc est ex aqua, et spiritu aquam impregnante et coagulante; spiritus in corporibus singulis esse valde homogeneos; ideoque ignem non corpus persecando, atomosque spirituales ex materia corporis sua acie fabricando, spiritus separare; at solummodo aperiendo ostia, per quæ spiritus evadant, prout gladii acies exitum animæ præbet se in auras expiranti: dein ea corpora quibuscum nostri oculi versantur non nisi rerum cortices et operimenta esse; et nihil ad virtutes ipsarum conferre, imo istas potius impedire, diminuere, retundere et retardare. Et reliqua aliquam multa ex his consequuntur, quæ huic Hypothesi partim directe repugnare, partim ipsam transcendere videntur, et quiddam altius præ se ferre; quæ tamen particularius persequi et demonstrare non vacat: ex quibus inferri potest quod tutius atque consultius sit, potius experimentis fructiferis ac naturali historiæ diligenter incumbere, ex quibus multa effecta sat clare perspicere, et juxta eorum normam similia sperare atque dirigere licet, (quod abunde ex usu humani generis erit,) quam ex remotis præsumptionibus cum inani operæ dispendio, causas rerum fortassis inaccessas et sciri vetitas anxie perscrutari; atque interim pie credere ea sapientia divinam Majestatem hæc omnia condidisse, ut magis ea mirari, quam percipere possimus, ut inservirent usibus nostris, dum contemplandi vires superarent; ideoque demum ad causarum naturalium in puteo divinæ sapientiæ latentium comprehensionem nullum humani intellectus nisum aspirare posse,

nisi si quam ipse, ex beneplacito suo, dignatus fuerit demisso cœlitus radio illustrare.

Restat jam ultimo, philosophorum sententiis atque argumentis adductis, ea phænomena districte indicare, quibus per Hypothesim haud fiat satis: quod cum ex magna parte in præcedentibus obiter sit factum; nec liceat absque prolixitate aliqua hac parte pro rei dignitate defungi, non par est, ut patientiæ vestræ, humanissimi auditores, ulterius aliquod molestiæ crearem. Quapropter concludo, Hypothesim Cartesianam de materia et motu haud satisfacere præcipuis naturæ phænomenis.

ORATIO MODERATORIA

IN AUSPICIIS TERMINI, APRIL. 30, 1651.

IN vestris aspectibus omni gratia florentissimis; in vestro vultu, vivam literarum virtutisque effigiem referenti; in vestra indole ad optima quæque atque amplissima comparata, dum præsentis seculi gaudia, et triumphos, spes, atque omina posterorum lætissima studiose contemplor, erumpit e gestienti pectore, non dico invita, sed tamen præceps, et quodam quasi impetu extorta, hodierna gratulatio. Scilicet, cum ubique alias terrarum literas oppressas, virtutem dejectam, triumphantem barbariem, luxum atque ignaviam diffluentes, omnia tenebris, strepitu, sordibusque oppleta, attonita diu mente tacitaque perlustrassem; quamprimum ex isto squalore oculi in suum hoc vestræ præsentiæ elysium emergentes tam grati spectaculi avido se pastu reficerent, sensi et linguam stuporis sui vinculis vixdum liberatam, cujusdamque lasciviæ impatientia correptam, præpropero conatu in plurimam salutem vobis dicendam prosilientem. Salvere igitur vos jubeo, academici, etiam atque etiam omnes. Quæ salutatio prout e pectoris mei fundo et penetralibus, ex intimis præcordiis, e promptissimo affectu nata, atque effusa est; ita utinam nulla eam doloris mistura cum ob vestras omnium vices, tum ob meas suscepti aliqua ex parte corrumperet, ipsamque adeo e sui authoris ardentissimis votis pariter cum ipso e vestro conspectu retractaret; neque enim aut mihi ingratior necessitas, aut vobis immanius infortunium obtigisse potuerunt, quam quod iniquus nobis omni-

bus infestusque Apollo me-vobis hodie conscivit moderatorem, vos mihi auditores; ego sane (ut mei ineptitudinem ingenii, ut peritiæ inopiam, ut cæteros meos defectus conticescam) ego, inquam, unicus vestris tot discrepantibus sententiis, tam dispari genio, tam diversæ expectationi satisfacere eadem opera possem, qua simul et semel Jovis et Momi, Ulyssis et Thersitæ, Democriti et Heracliti, partes agere; aut in eadem scena Catonis et Roscii personas sustinere. Facilis est, ô Hercules, bivii tui ingressus. In prompto tuæ literæ anxios calles dignoscere, ô Pythagora; ænigmatis tui perplexitates, sphinx versutissime, solvendo sum; at quibus ego technis, quo artificio effectum darem, ut per eundem spiritum, in eadem loquela, gravis pariter essem et lepidus, serius et facetus, dicaculus modestusque, hoc est nimirum ut vestram omnium laudem et benevolentiam promererer? Hæc est ea difficultas quæ me cruciat, hæc quæ me vestræ omnium indignationi, dicteriis, censurisque torquendum propinabit. Si quid enim ego, quandocunque sermones meos nostri officii et hujusce institui rationes exegerint, honesti et sobrii, bona scilicet mente, protulero; ecce tot illi famelici jocorum chamæleontes, hujusce loci, hujusce aëris parasiti, sua spe, sua præda, suo venatu multati, indignanti stomacho, latrantibusque pulmonibus! qua sunt pedum, cerebrique levitate, hinc se continuo propripiunt, obtusissimi moderatoris capiti quot imprecantes diras, quot furiarum atrocissimas vindicias illi meditantes. Revertentes autem si quos recta iter ad nos conficientes nacti fuerint, quantæ confestim bardos illos arguunt insaniæ qui proficiscantur audituri (utor eorum verbis) asinum rhetoricantem, truncum loquentem, aut ipsum potius stu-

pidissimum moderatorem prolixe somniantem. Sin ex altera parte aliquid de severioris styli rigida gravitate relaxando, operam quis dederit oratiunculam suam amœnioribus facetiarum condimentis temperare; ilico, quæ nostra est fortuna,—ex ipso fonte leporum surgit amari aliquid—mirum ni in ridiculi hominis caput mille imputationum calami collimentur; ni tergum illud puerile inclementius vapulet; et ineptissimi humeri tot nugarum, cavillorum, stoliditatum, et universa illa levium quisquiliarum farragine degraventur. Ita me misere ambiguum conspicitis, academici, inter serium et ridiculum, inter iram et jocum, inter sacrum et saxum solicita distractione hæsitantem. Ex hujusce anxietatis æquilibrio ut me expedirem, quum ad vestri judicii aram confugio, ad vestra provoco consilia, quam belle mihi consulatur, quæso vos obnixe, ut animum advertatis. Nil aliud e vobis plurimi quam sales, facetias, festivitates; id est, si mentem rei scrutemini penitius, nugas, scurrilitates, ineptias; perpauci rationes honestas, serias, solidas, austeras nimirum, sordidas torpidasque, sibi et huic loco deberi vociferantur. Alius me supercilium strenue contrahere jubet, alter explicare; hic tetricæ fronti ærumnosam nubem induere; ille exporrectæ serenum. Est qui me malit esse hilarem, est etiam qui tristem; hic ad lasciviam hortatur, ille ad severitatem: ut videam clarissime, vestris modo moribus et voluntatibus obsequi velim, necesse esse, vel me puerum præstare, vel senem referre, vel plane ludere, vel disertissime insanire. Ita quum intelligam vos omnes erga me hodie esse animatos, quid mitius restat, quam ut in vos indignabundus aciem stringerem, et in hæc ingentia opprobria liberæ orationi habenas effunderem? Eone

tandem evaserint res nostræ, auditores lepidissimi, ut vestris etiam suffragiis hic ludus literarius in scenicam, hæ scholæ in theatrum, hæc subsellia in tot tabernas vertantur; vos autem ipsi ex academicis in spectatores, nos omnes in mimos atque histriones transeamus? quin ego protinus togæ huic renuncio, comicum induor pallium; cucullo me exuo, recipio soccos. Huic ipsi pileo larvarum præstigias sufficio; pudet enim hujusce vultus, hujusce habitus, si me in hunc locum importuna adegerit necessitas, non ad virtutem evehendam et propagandam; non ad veritatem inquirendam et propugnandam; non ad vestras egregias laudes meritissimis encomiis celebrandas, verum ad agenda coram vobis ludicrorum propudia, ad theatralem plausum mercenario ineptiarum dedecore emendicandum. Illud si verum sit, quod fama loquitur, stomachos vestros solidi omnis cibi pertæsos, et dapium rhetoricarum nauseam et salubrioris philosophiæ gravedinem usque adeo invasisse, ut præter futilia quædam bellaria et putidissima nugarum fercula palato vestro nihil sapiat; ne ipsa sapientia, nisi insipida, neque veritas, nisi jocis condita, neque ratio, nisi ridiculo tincta; mala profecto sorte ego vobis coquus sum datus, ad illum inanium deliciarum apparatum neque ingenio factus, neque studio institutus. Si vel ipsæ serenissimæ Musæ non alio quam deformes cachinnos attollentium ritu pulchræ vobis et decoræ videantur; non ipsæ gratissimæ Gratiæ præterquam ridentes arrideant, quo suo amplius merito hic locus Musarum antrum, regnum Apollinis, domus literarum, templum virtutis, veritatis asylum, aut vos horum numinum longe amplissimorum ministri, mystæ, sacerdotes audiatis? quin potius novo numini Joco; numini inter tot Atas, Pœ-

nas, Parcas, Vejovesque jam tandem annumerando, augustissimum hoc delubrum cum appositis sibi aris, hostiis, statuis, sacrificulisque consecrentur. Aris, dixi, hostiis, statuis, sacrificulis? Ecce quam sine ullo negotio hæc omnia (an vobis, sophistæ, architectantibus?) præsentia atque parata sunt! vestræ omnium aures sanctissima sunt joci altaria; pro molæ salsæ sacrificio plerique astantium sui medullas cerebelli, et fumigantis phantasiæ nidores certatim obtulere. Uniuscujusque vestrum huic in mente Deo mille idola et simulachra eriguntur. Sin requirantur sacerdotes, ecce pro sua in jocum devotione procedunt in medium haud pauciores sexcentis tam sacrosancti muneris candidati; in quibus tamen ego nomen non profiteor meum. Quin potius videor mihi non immerito indignari, si in hoc suo quondam imperio tam stramineo numini fasces submittat regina scientiarum, mater artium, cœlestis philosophia; cœlestis, inquam, philosophia, nostri lux ingenii, mentis ambrosia, dux et magistra vitæ, medicina morum, animi paradisus, donum deorum longe optimum; si ut huic ficto deo locus et successio præbeantur, ex hisce scholis quasi quodam ejecta ostracismo exulabit divina veritas; veritatem, dico, cœli filiam, rerum legem, deorum autographum, supremum testem, proximum mentis affinem, imo ipsius intellectus parentem, sobolem, conjugem, essentiam. Hoc nisi esset manifestum, si non ipsa res aperte pronunciaret, vix ipse mihi etiam præfracte affirmanti fidem acquirendo fuissem, apud homines eousque ingenuos aut hæc tam præclara potuisse rejici, aut illa tam indigna, tam absurda obtinere. Quæ, quæso, omnia quid aliud sunt, quam tot spurii mentis incestæ abortus, æstuantis ingenii spumæ, purgantis sese intellectus ex-

crementa, vagabundæ errores phantasiæ, pinguioris Minervæ sudores, insulsi sales, invenustæ veneres, rusticæ urbanitates, horridæ, barbaræque elegantiæ? In quibus nihil sancti, nihil sani, nihil solidi, nihil rari; nihil, denique, in quo aut vis ingenii, aut vigor phantasiæ, aut subtilitas acuminis, aut fides memoriæ, aut laus industriæ eluceant, reperitur; imo ne ipsius quidem aliquid inventionis; nisi hoc sit egregie invenire, sedulo nempe obsoleta jocorum scrinia excutere, sophisticorum actuum archiva recolere, sepultas excitare facetias, antiquatas interpolare, alio donatas vultu edere; saltem novas quasdam et inauditas e tot communibus locis, e tam plene instructo promptuario colligere, e tam varia materia procudere, e tam diffusis campis excerpere; e tot, demum, catenarum nodis, lancium capulis, baculorum manubriis, ipsisque ollarum auriculis, aliquas arripere jocandi ansas. Sin in hisce rebus quisquam plurimum levitatis et ineptiæ, stultitiæ et vecordiæ, flagitii, obscœnitatis, injuriæ, et ipsius (proh dolor) impietatis desideraverit, nimium (heu nimium) harum fæcium deprehendet; etiam et expertus mirabitur fuisse usquam aliquos, in hoc olim gravissimo castissimoque Musarum hospitio, nugarum institores, talem audentes et gestu et lingua profiteri immodestiam, qualem vix, aut ne vix publicorum morionum projecta licentia, neque scurrarum de trivio effrænis protervia, neque ipsa Cynicorum perfricta impudentia præ se tulissent; qualemque non dico severior aliquis Aristarchus, sed vel ipse Momus, horum licet non longissime absimilis, suo confixisset obelisco. Certe quis hisce ferat audire in locis tantam verborum turpitudinem, quantum stupendum fuerit aut castam mentem concipere, aut pudens os proferre, aut ho-

nestas aures aliquo gratulationis testimonio excipere potuisse? Quis non commotior sustinuerit aspicere eos viros, quos absque sollenni quadam reverentia cogitari non debere ipsa virtus judicaverit, vobis non quidem frementibus, verum ridentibus etiam, ac applaudentibus, totis conviciorum plaustris oneratos, immanisque petulantiæ spiculis impetitos? Etiam nos quam hic virtutem non temeratam, quam innocentiam illæsam, quem pudorem non explosum, quam sacrarum rerum majestatem illibatam quorundam facinore, omnium favore, vidimus et audivimus? Cogitate, juvenes, serio, et despicite, quam graves ex errore isto vos maneant contumeliæ; quam dura et infesta de vobis judicia apud omnes excitetis? Videamini vobis audire, id quod res est, plerosque ita de vobis statuentes, macilenta oportere esse ea ingenia, quæ tam inanibus vescantur alimentis; conspurcatissimam indolem, quæ sordes istas scurrilitatum tam avide et oblectanter deglutiat; pudendam esse illorum animorum scabiem, quos adeo infimæ stimuli voluptatis pungant titillentque; lubricum esse et inconstantem mentis habitum, quem leves adeo venti moveant et concutiant; hebetes, languidosque sensus, ad quos tam apertæ insulsitates sub ingenii sapore et coloribus veniant abeantque. Illos, demum, homines, vos, inquam, non optime esse moratos, quos ita perspicuum est a gravissimis hisce morum pestibus et certissimis pudoris corruptelis non abhorrere. Innocentes jocos, tempestivos sales, liberales facetias (ita me Musæ omnes et gratiæ ament) nemo est usquam qui me sincerius diligat; nemo qui tetricam illam et inanem plerumque austeritatem vehementius detestetur. Erat festivitatum qualecunque genus, quod neque

infra suam majestatem reges gloriosissimi, neque citra suam dignitatem consules eminentissimi, neque contra suam gravitatem sapientes cordatissimi sunt arbitrati: exempla Philippi, regis fortissimi simul et lepidissimi; Cæsaris illius Octavii, augustissimi non minus jocatoris quam bellatoris; elegantiam Scipionum decantatissimam; et consularis scurræ M. Tullii tres facetiarum libros. Tot deinde Socrates, Diogenes, Zenones, Democritosque sua seria his ludis vertentes quid attinet commemorare? Res ipsa loquatur. Ecqua sit a strictioris disciplinæ, cui nos potissimum incumbimus, molestiis suavior respiratio? ecqua ab hujusce pulveris intensissimis sudoribus relaxatio utilior? ecquid a literario labore otium honestius? an aliud quippiam condimenti austerius pabulum philosophicum jucundius temperet, quam moderata festivitatum tinctura, quam honesta leporum amœnitas? Hæc nempe languentes spiritus reparat et recolligit, hæc tristes solvit affectus, hæc ab immodica animum attentione avertit; de satietate reficit, de fatigatione renovat; adimit languores, vires redintegrat: exitum, denique, hæc optatum superfluis phantasiæ fumis subministrat, quibus si non libera concedatur expiratio, redeunt in sese, et in spissum obstipati coagulum sua animum densissima ubertate obstruunt suffocantque, ut dum induere gravitatem quandam et mœstitiam juvenes videamur, biliosa extemplo quadam insania imprudentes implicemur. Istos vapores festivitas discutit, recludit meatus, exhilarat spiritus, animum laxat et distendit, ut jam mobilior alacriorque, sibique non impar suis ipse officiis defungatur. Enimvero tumidum illud supercilium, compositos ad ærumnas vultus, Cleantheam faciem morti concolorem, verba

affectatam quandam gravitatem et fastuosam prudentiam ostentantia, tragicos gestus Erynnias potius quam Musas, Eumenides quam Gratias, Rhadamanthum aliquem quam Apollinem addecentes, et nostra ætas et hujusce loci genius repudiant. Vivimus nos non in stoa, sed in academia; non in Areopago, sed in Lycæo; invita nobis ora nulla adhuc senectus corrugavit, ut urbicos potius patruos quam juvenes academicos sapiamus. Utamini igitur, si cui vestrum allubescat, per me jocis castis quidem illis, modestis ac innocentibus, reliqui modo injurii, obscœni, sacrilegi, quo digni sunt, eant ad corvos. Estis tamen monendi, ut cætera facetiis vestris loco, tempori, personis congrua adessent, modum quoque esse adhibendum: quem sane hactenus defuisse, testetur illa, quæ mentes vestras occupavit immodica nescio quæ voluptatis titillatio. Intra nullos sese terminos continebat hydropicus ridendi appetitus. Ad hunc locum frequentes confluxistis, an discendi, an audiendi, an proficiendi, imo vero sola hinc ridendi, illinc jocandi gratia? Quasi non alibi quam hic suam celebraret aulam ipsa stultitia, suas hic ageret nundinas, et universale nugarum emporium; scommata, convitia, barbarismos bibula aure sorbetis, mox evomitis rursus omnia probe in auriculis concocta, et sua plausus bene aucta Echo, quasi æra Dodonæa resonatis. Nihil est ab omni adeo levitate abludens aut sejunctum, quod vos statim, quæ vestra est alchymia, in risus et jocos non commutetis. Risit Zeuxis anum a se pictam; risit Chrysippus asinum ficis vescentem; uterque ridendo obiere. Vos etiam quotidie, omnium horarum homines, inspicere licet, anilia quædam deliramenta et ficu non digna asinos edentes, tantum non ridendo emor-

tuos. Illa ex orationibus demantur, nihil placet: non dignitas, non concinnitas, non gravitas, non elegantia, nec pondus, nec ornamentum; neque nervi, neque aculei, neque robur deinde, neque pulchritudo. Non delicatos nares vel fragrantissimi rhetoricæ flosculi; non palatum mellitissimæ verborum illecebræ; nec oculos lumina ulla, nec pigmenta, neque lenocinia oblectarunt; ipsæ figuræ deformes erant; ipsa argumenta arguebantur, ipsæ rationes obbrutuerunt, omnia præter unicum jocum rejecta, præter unicum illum petulantem Cupidinem, qui vestra omnium corda animosque tyrannico aliquo telo fixisse, vulnerasse, domuisse videbatur. Ab indecora hac effuse ineptiendi libidine illud saltem vos coërceat, quod minime sint in illo ridendi loco res nostræ constitutæ. Et nostris suspicionibus, et plerisque aliorum calculis exitio addicti, isto modo academiæ funera curemus, ne minime alii nostram misericordia calamitatem prosequantur, dum nostris ipsi instantibus fatis Sardonio hoc risu quasi gratulari videamur.

Et jam vestra mihi vicissim, auditores humanissimi, opus est indulgentia, ne forte minus arrideat vobis hæc mea prolixa declamatio potius, quam oratio. Quin redeamus pariter in gratiam, inque illa, quæ ad nostrum omnium decus promovendum, ad illustrandam academiæ gloriam, ad eluendas præsentis infamiæ maculas, ad rei literariæ (heu jam afflictissimæ) solatium faciant, unanimi industria contendamus. Solenni vos obtestor desiderio, academici, virtutem imprimis et modestiam, integritatem vitæ, morum comitatem, animi linguæque temperantiam et castitatem amplecti, prosequi, venerari. Erigite vestros de hodierno torpore vivaces animos; turpissimum illum desidiæ somnum et veternum ex-

cutite. Peculiarem horum temporum ignaviam corruptricem morum, decoctricem ingenii, nutricem et lacunam vitiorum, magni cujusque et egregii solam pene et certissimam hostem, procul in suas regiones facessere jubeatis. Quin omnibus diligentiæ nervis, forti animo, fervido conatu, invictis studiis, sudoribus et vigiliis obite literas nobiles, eximias, immortales, mentis vestræ vitæque castissimas delicias, suavissimas epulas, ditissimum thesaurum, tutissimum præsidium, pulcherrimum ornamentum. Ament sua deliria, indulgeant suis somniis fanatica secula; suam ipsi lucem manibus pedibusque eant extinctum: de vita et statu innocentium literarum, acclamante et hic justitiam popello, extrema sententia statuant; absit ut vos ea contaminati insania virgineo renuncietis choro, eas deseratis literas, per quas steterunt hactenus, et in æternum stabunt sua inviolata numini reverentia, sua virtuti laus, suus veritati locus: per quas hucusque perennarunt limpidissimi hi Castalidum fontes, per quas effloruit hoc Musarum Elysium; per quas vestra academiæ præstet virtus, ut ex hoc inglorio atque infami seculo eluctetur. Harum utcunque auxilio literarum supra importunæ plebeculæ perpetuo jam vobis obstrepentis despectissimam sortem vos attollite; harum ope de popularis æstimii ingratissimo contemptu, de publici obloquii flagellis, de injuriis temporum vos vindicate; ne forte existant haud pauci faleras vestras non immerito detractas, nuperimaque ista tributorum onera vere asinis imposita asserentes. Harum, denique, præsidio freti grassantem inscitiam ejicere; succumbentem veritatem excitare; renascentium errorum et novitatum indignissima monstra profligare; nostramque adeo academiam in sui honoris pristinum

fastigium revehere connitamini: nullo non genere literarum feracissima vestra ingenia excolite; nullis circumscripta finibus, nullis inclusa angustiis, nullis emensa spatiis, nusquam aut ripas aut obices agnoscens in immensum evagetur vestra cognitio: in ardua naturæ ascendite; in abyssos veritatis vos immergite; in adyta scientiarum penetrate: suppudeat vos ulla esse omnino in scientiis arcana vestræ diligentiæ inaccessa, ullos calles vestris non impressos vestigiis, ullas tenebras vestri intellectus fulgore non illustratas, ullam aut linguam tam absonam, aut dialectum tam difficilem, ut vestri aciem captus effugiat. Nempe dum vos assidue legitis, subtiliter disseritis, facunde peroratis, quis pudor est utilissimam simul et pulcherrimam mathesin sua obscuritate quasi obsignatam intra prodigiosos characterum cortices delitescere; divinam geometriam paucos ultra superficiem attingere; in solidum, in profundum, in ipsa scientiæ intima, ubi lateant usus magis quam ostentatio, neminem descendere; quod cæcos illos et implicatos numerorum labyrinthos acuminis industrii Ariadneo filo extricare satagant vel duo vel nemo: in geographia terras incognitas, et nihil ultra relinqui; illustrem astrorum scientiam, miramque opticen irrefracto constantis animi radio perpaucos intueri; patentes et fœcundissimos Arabismi agros ignorari; sanctæ linguæ mysteria cæca devotione coli potius, quam cognosci; Græcos a Barbaris, in mediis hisce Athenis, plurimorum judicio non dissonare; reliqua omnia quamlibet optima, quanquam præclara, modo inesse aliquid difficultatis summa species ostentet, sicco pede præteriri? Ecce, dum hæc loquor, tacito obrepens incessu, in suos fontes labitur, in suum caput pervenit nostra parænesis; ad

sacrosanctam philosophiam, scientiarum parentem dixero, an deam quandam, degentem in cœlis, metientem infinita, scrutantem profundissima, contemplantem singula, complectentem universa; cujus ego nunquam fuerim confertissimas divitias, eximiam utilitatem, miros effectus, digna encomia celebrando; quo pacto nempe animum formet et fabricet, vitam disponat, actiones regat, pellat vitia, expugnet passiones, errores discutiat, liberet ab ærumnis, solicitudines detrahat; per ancipita fluctuantium dirigat cursum, agenda et omittenda demonstret; in Dei, in naturæ, in veritatis sinum perducat, det animo latius regnare, omnia possidere, et in suam originem redire; admoveat tamen ea ambigua vitæ, et secreta rerum discernantur, eaque efficiat pleraque, quæ stupor potius, quam loquela, religio, quam laudes, silentium quam præconium, mens luculentius, quam lingua docebunt, et explicabunt; de quibus loqui est temeritas, et loquendo detrahere sacrilegium. Ad talis tantæque disciplinæ studium acriter capessendum me vos incitare dedecus fuerit; æquius erit sperare vestram indolem vice esse stimulorum; apud vos rei pulchritudinem pro centum precibus, necessitatem vero pro mille fore argumentis. Ducem nobis, et perpetuum in philosophia dictatorem multi tractus, et præscriptio temporis, continuæ veneratio antiquitatis tradidit nobis Aristotelem, dignum mehercle hoc principatu; acerrimi ingenii, omnigenæ doctrinæ, indefessæ industriæ virum; quem non immerito et ego dubitem cum clarissimo rhetore an scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putem. Stet illi (per me) sua integra et inconcussa in his locis authoritas; maneat suum

imperium, fruatur suis fascibus; revocetis vos modo in animum neutiquam constare, an illum unum genuerit philosophia, in quo omnes suas vires experiretur; neminem unum tot arduis, ambiguis, secretis, imo ne manifestis quidem pervidendis suffecisse; naturam in unici pectoris angustiis infinitos suos thesauros, diffusissimasque opes nunquam conclusisse; libero demum vos ortos esse judicio, intellectu sui juris, mente nulli imperio obnoxia; aptos natos vos esse tam imperare, quam subjici, tam præire, quam sequi, tam probare quam credere, tam invenire quam doceri. Solius ingenium vestrum veritatis jugo et arbitrio permittite. Exerceat illa quandam in vos, si velit, tyrannidem; ejus numen colite, ejus altaribus litate; in hunc vestros oculos scopum dirigite; in hanc iter cynosuram intendite. Sit hæc vestræ palma victoriæ, vestræ brabium certaminis, vestri trophæum prælii; eliciat nobis cœlestem hanc flammam vester disputandi conflictus; emergat hæc harmonia e vestris tot dissonantibus sententiis; in hunc vos portum contrariis hisce ventis, stabiliente cursum sinceritatis et modestiæ Saburra, tenente clavum peritia, sedulitatis remis promoventibus velificamini. Obstet veritati apud vos nullum sectæ studium, nulla sententiæ pervicacia, nullus amor novitatis, nullum vetustatis præjudicium. Quanquam nollem vos (nisi sacrilegi esse velitis) antiquitatem plane aut respuere, aut aspernari: debetur sua illi religio, sua reverentia; hæc nobis præivit; hæc faces prætulit, [hæc artes et prudentiam invenit,] hæc calles scientiæ indicavit; id autem, ad quod et hæc et cæterà referantur, veritas est; hæc ditat, hæc perficit, hæc nobilitat animam; hac nihil prius, nihil antiquius, nihil sanctius esse debet; vetustatem igi-

tur oportet jure suo diligere, veritatem venerari; hanc æstimare, illam præponere; huic studere, illam sectari. Gravissime pudeat vos novitatis studio, vel quodam potius consuetæ veritatis fastidio prisca et vera contemnere, hesterna et falsa aucupari; putidæ hoc est levitatis, nefariæ injuriæ, pudendæ ingratitudinis; levitatis, inquam, veritatem agnitam, injuriæ dudum obtinentem, ingratitudinis aliorum opera inventam et traditam rejicere et abdicare. Quam etiam turpe fuerit vos, morbo quodam et fanatica ambitione agitatos, tumulata obitu feliciter errorum portenta e suis nobis cineribus resuscitare; Epicuri intermundia, Democritum inane, Deos in otio et desidia feriantes, animam Galeni aut Dicæarchi quandam e nescio quibus elementorum Suzygiis contemperatam, et consimilia his falsa, explosa, absurda et impia dogmata novo apparatu, recente pompa in has scholas postliminio reducere. Sin quis signatum præsente nota nummum nobis velit procudere, licet hoc per me, semperque licebit, modo non fictum, non fucatum, non adulterinum. Veritati enim novæ, et hactenus inauditæ primum apposuisse calculum, veritatem tot secula latentem e tenebris eruisse, laudandæ est inventionis, invidendæ libertatis, sempiternæ gloriæ. Illud autem serio vos commoneo, ne veritati sit fraudi, neutiquam eam in ornatu semper eleganti, nec perpetuo aut pexam cincinnis, aut calamistris comptam, nec unguentis delibutam, nec exoticis luminibus decoratam; nullis fucis, nullis vocum lautitiis inquinatam, non in amœnis continuo viretis, nec tam in Platonis alicujus aut Theophrasti mellitissimis sermonibus, quam in scholasticis spinis et salebris, in quadam vocabulorum barbarie horridam, incultam, invenustam versari et residere: non sunt illi e vestris

manibus squalidi scholastici omnino deponendi; habent illi suum si non cultum, at fructum; utilitatem, si non concinnitatem; habent suum in pectore, si non in lingua Mercurium. Quid etiam si illi ingenio plus quam arte valuerint; si suas ipsi umbras aliquando fortiter debellarint, et larvas confoderint acuto nimium pugione; si nulli experientiæ multas scientias, exili fundamento operosas structuras inædificaverint; si denique e naturæ visceribus paucas telas, e suis ipsorum plurimas et subtilissimas confecerint? ut raro veritatem sint assequuti, fungentur saltem vobis vice cotis; proderunt si minus materia, at modo utcunque disputandi; veritatem in suo et simplice habitu dignoscere, presse stricteque disserere, sagaciter inquirere, circumspecte explorare, ambiguitates tollere, difficultates enodare, scrupulos diluere, involuta evolvere, flexanimis syllogismis et infirmare falsa et vera confirmare, vos instruent atque edocebunt. Ulterius vos ego institutos, pluribusque admonitos voluissem; at ecce jam incipio vereri, academici, ne immodicus vestræ lasciviæ vindex nimiæ prolixitatis tormento patientiam vestram exercuerim; ne auditorum jam tandem plerosque probe obtuserim, ipsoque adeo illepido suo moderatore reddiderim stupidiores. Retraho idcirco meipsum in salutem tam dissitis jam orationis intervallis disjunctam iterum mihi iterumque repetendum. Salvete. Valete. Dixi.

Vos autem, doctissimi, respondens pariter et opponentes, efficite, ut dum externo huic actui inesse aliquid, imo plurimum bonitatis aperte demonstretis, tu propriam ipse thesin defendendo evertas, vos arguendo id probetis, quod argumentis evincere non possitis. Vide etiam tu veritatem rerum divino con-

formem esse intellectui valide et perspicue astruendo, ut tua etiam sententia ipsi veritati conformis esse videatur. Ita fiet ut tuæ virtuti et diligentiæ cum veritas ipsa, tum et nos omnes plurimum debeamus; illa, quam in divinam adeo originem retulisti; nos etiam, quos ad tam excelsam et cœlestem rem ardentissimo conatu amplectandam animabis.

Unicum est, academici, quod me fugit perorantem; cujus vos etiamnum participes facere, nescio an gratum fuerit. Habituri estis propediem ex voto vestro et sententia animi moderatores duos. Unum nuperrimum tripodem vestrum, ipsas, ut probe meministis, jocorum delicias. Alterum autem, non tripodem quidem illum, verum omnium tamen (quos ego quidem cognovi unquam) bipedum lepidissimum. Quod cum ita se habeat, noluissem ego utcunque exiguis meis, si quæ adfuissent, facetiarum ferculis tantas lautitias minima ex parte antevertendo stomachum vestrum fregisse. Valete, et strenue expectate. Vos autem agite. Dixi.

ORATIO

HABITA QUINTO NOV. ANNO 1651. IN AULA S. TRIN. COLLEGII.

Reverendissime Præsul, Nobilissime Juvenis, Gravissimi Viri, Juventus Academica.

ULTIMUS jam tandem læti nuncii præco fores vestras pulsat, et si non intus perstrepens gaudium omnem vobis foris oberrantium ademit conscientiam, benevolarum sibi aurium introitum recludi precatur. Jamdiu est ex quo diurnæ solennitatis moram perpessa nox hæc longe augustissima suo tandem ordine succedere gestit, suasque adesse jam vices jubila vestra excipiendi sibi pariter ac vobis abunde gratulatur. Enimvero dignior haud immerito sibi visa, quæ exultationis vestræ potissimas partes sibi vindicaret, utpote quam non eousque ac hodiernam lucem tam immanis tragœdiæ designatio inquinavit; quæque infandi facinoris (horribile dictu!) peracti modo ac perpetrati funestissimis effectibus suum primo tenebrarum velum obduxisset. Fuerit certe hujusce rei fidelem memoriam in tot annorum vertentium vestigiis altius impressam, luculenta toties, hodierna præsertim, facundissimorum virorum commemoratione renovatam, vegetiores lætitiæ vestræ appetitus exsaturasse; minime tamen fastidiosa res est gaudium; dum pascit animum, irritat acrius ad recentes continuo succos e pabulo suo exugendos, et hujusce hydræ, quam excisam hodie et profliga-

tam celebramus, illud ingenium est, ut quantumvis innumeris sui capitibus detectis et amputatis, novi tamen semper aliquid monstri subnascatur; in quod vos gaudii et gratitudinis triumphos ageretis. Declinavit jam dies, ne sinite ut vester etiam lætandi impetus consenescat. Quod restat, celebris curriculi festis tripudiis alacrius absolvite. Descendens sol vester major appareat, et fortior gaudii flamma in tenebras modo abitura. Sed quid ego frustra curiosi molior, dum illos in pectoribus vestris igniculos acrius inflammo, qui ut langueant unquam aut deficiant, non est verendum, dum id solum fide in animo recolatis, quantum hoc sit beneficii quod accepistis, qualis illa calamitas fuerit quam evitastis? Beneficium inquam non simplex aut unicum, verum tot fœtum et prægnans beneficiis, quot poterant nobis præstare continuata pax, conservata respublica, stabilita religio, optimi principis, sobolis regiæ serenissimæ, consultissimorum procerum, universi adeo regni salus imminentis exitii faucibus erepta; quin et per ipsum, ut olim, restituta vis legibus, judiciis authoritas, rediens cultus agris, sacris honos, hominibus securitas, suo cuique rerum suarum possessio; tanta vero depulsa calamitas, quanta fuisset, tam ingentibus beneficiis semel nec opinantes excidisse. O inauspicatam miseriam, quæ tot nos tantisque bonis spoliare potuit! potuit? imo tentavit. O infaustum scelus, cujus tanta miseria effectus extitisset! scelus! imo omnium scelerum caput et fastigium, cujus respectu reliqua omnia juste et sancte admissa, et quocum collata dirissima parricidia excusanda, imo laudanda viderentur. Evolvamus monumenta temporum, fidem historiæ appellemus, archiva gentium, acta curiarum, barbarorum instituta scrute-

mur; prodat nobis intima veritatis conscientia, quodcunque flagitii aut foras lux protulit, aut opacæ tenebræ obruerunt; quin et in conspectu nobis statuamus exquisiti aliquam facinoris effigiem, quod nec suspicio majorum somniare, nec posterorum queat credulitas admittere; quod qui præsenti seculo intersint, non nisi stupidi et exanimes videant, videant tamen: compingatur in unum quicquid excoctæ et conquisitæ sævitiæ Thracia stabula, Tauricæ aræ, Thyestææ epulæ, Siculi cruciatus; quicquid Marianæ, Sullanæ, Antonianæ proscriptiones, denique quodcunque immanitatis exemplum aut veræ historia, aut fictæ tragœdia repræsentat. Ecce hujusce diei ingeniosam carnificinam, in qua hæc omnia cum amplo fœnore convenerint et conspiraverint. Ecce scelus, quod nullus unquam successus cohonestasset; quod illi ipsi, quorum susceptum est gratia, præ se ferunt odisse! En proditionem, quam vel neuter Philippus amasset, nec Macedo, nec Hispanus; cujus artifices primarii Loiolitæ, quum cæteros mortales pangendis technis, dolisque consuendis vincere dicantur, in hoc seipsos multis parasangis videntur superasse. Ecce vero quo me importunæ et intemperantis loquelæ prépostero ordine rapuit sceleris nondum perspecti aut explorati detestatio! Cautius vos maturiusque consiliis usi eousque vehementiores affectus protrahite et inhibete, donec extractis e suo cinere hodierni qua mali, qua emolumenti originibus, vestra haud injuria sanctissimumque gaudium gravissimaque indignatio suos impetus accipiant. Illas igitur ut et rescire queatis accuratius, et dignius æstimare, indulgete, quæso pacem vestram et patientiam, humanissimi auditores, oratori vestro, si

usitati moris pomœria præsentisque officii quasi oleas transgressus, vobis ob oculos illorum temporum (quorum hæc pestis summam felicitatem oppugnatum ibat et eversum) imaginem quandam proposuerit, equidem rudem illam et imperfectam, sed quæ pulchrior longè atque augustior videretur, si nacta esset oratorem, eam non dico exornando, sed enarrando idoneum.

Agebant halcyonios dies insulæ hæ fortunatæ, iis omnibus bonis, copiisque florentes, quæ aut liberali indulgentia numinis, aut optimorum principum solertia et cura in aliquam unquam gentem exundaverint. Quæ bona plurima sane atque amplissima, altæ et diuturnæ pacis beneficio firma et quasi perpetua reddebantur. Cives omnibus amici, sibi mutuo fratres cum exteris fœdera, inter se concordiam coluerant; nec tam illa concordia fuit quam charitas, non in cessatione armorum publica, sed in intima animorum conjunctione sita. Augusti in hoc orbe altero tempora revocata aspeximus, quum solæ Jani ædes occlusæ, reliquorum numinum fores starent apertæ. Descenderat pridem e cœlo Astræa, suasque in curiis sedes fixas posuerat, certa dudum apud se nisi invita non redeundi. Hinc vis pulsa, propugnatum fas, securitate innocentia, armis imbecillitas donata est. Judicii sellas occupabant viri graves, scientia, dignitate, integritate præstantes; per quos stetit ne plus ipsa potentia posset quam jus, et ne fortunæ potius quam merito præmia cederent. Nec delinquere impune, nec immuniter mereri fuit. Etiam infimæ sortis viris per virtutis scalas gradum ad honores facere tuto licuit, et qui culmen dignitatis obtinuerant, ab invidiæ telis securi eminebant.

Nec egenis ab injuria, nec locupletibus a rapina periculum imminuit. Nec in foro strepitus uspiam, nec extra forum querelæ auditæ sunt. Isto pacto coeuntes inter se pax et justitia miram omnium ordinum opulentiam procreaverant. Per hanc facile, per illam tutum erat ditescere; quum in acquisitas opes nec grassare aperta vis nec occulta latrocinia auderent. Crimen videri potuit tunc temporis pauper esse, et tremendæ cujusdam ignaviæ tam facili clivo opimiorem statum non ascendere. Tutum et pervium mare mercatoribus (quod facile industria principis effecerat, nec minus exterorum propensus favor, tam beatæ genti præ pudore non adversantium) indigenas nobis Indiæ ac Arabiæ gazas comparaverat. In sinum agricolæ sursum terra uberes proventus, aureosque desuper imbres placidum cœlum fundebat. Opifici deesse citius manus, quam merces poterant, cæterique passim ordines hominum suis quisque opibus affluebat. Ita fixas pace, fultasque res æquitate Britanniæ prosperas divitiæ etiam splendidas præstiterant, ac multo sanctiorem ornatum, honestiusque præsidium literæ late triumphantes contulerunt. Meminerant tunc homines Musas Jovis filias esse, suoque illas honore fraudari sacrilegii esse ducebant. Etiam qui eas ambire non possent, devote tamen colere didicerunt, inque aliis suscipiebant non inviti quas in se cum mœrore desiderarent. Nimirum artes tunc dierum certa spes aluit et impinguavit, lautisque Minervalibus cultores suos remunerando erat ipsa eruditio. Tum sapientiæ studere non erat desipere; nec ad fastigium doctrinæ aspirare, projicere se fuit in abyssum paupertatis. In hisce templis sapientiæ, quam venerabilis mystarum, quam candidatorum spectabilis fre-

quentia versabatur? In singulis hisce orbibus literariis quam conspicuus siderum globus fulgebat? Quoties seipsam regia majestas ad aras Musarum venerabundam demisit? Quoties nostram hanc rempublicam Platonis rex philosophus invisebat, et quasi gavisa est aula se degere in academia? Quot sacris pedibus palæstra hæc terebatur? Quam tunc nituit toga, et nostrum insigniter lauretum effloruit? Felicitatis nostræ infimos gradus, et prima quasi rudimenta accepistis; qui restat apex et cumulus redundantis gloriæ excelsiori nos invidiæ subjecit, qui nostram coronando erat, imo consecrando felicitatem. Religionem nostram dico, sanctam illam et intaminatam; puram fide, pulchram ordine, venerandis ritibus decoram, qua nulla unquam gens vel usurpare potuit vel exoptare aut veriorem aut pulchriorem. In qua vix aliquid fuit quod superbia contemnere, vix quod calumnia accusare, nihil fere quod desiderare æqua et moderata ingenia possent. Nec veteres illa corruptelas, nec hesternas ineptias admittebat. Summe simplex fuit; nec nuda tamen iis ornamentis, quibus antiqua pietas et consulta prudentia ecclesiam honestaverant. Quicquid rebus sacris spissæ caliginis præeuntium seculorum infelix ignorantia infuderat; quicquid lutulentarum sordium turpis avaritia affricuerat; si quas fraudes artesque malesanas ineffrænis quorundam hominum ambitio, aut si quid luxus perditique moris fomites gula et crapula invexerat; illa jam olim omnia rejecerat. Sacri ministerii cervicibus jugum externæ tyrannidis depulsum, publicisque officiis inutiles pompæ eliminatæ; faciem ubique erat primævi temporis agnoscere candidam et immaculatam; eosque qui a pietate olim profecti eo iterum redirent, matremque suam

auctiorem redderent et fœcundiorem. Publica ecclesiæ administratio non in tali fastu aut fastigio constituta est, ut gravis aliquando principi, reipublicæ periculosa evaderet; nec tamen ita projecta repebat humi, ut impure illam inepti ac importuni homines contemnere aut proculcare possent. Dignus scilicet habitus est sacer ordo, qui dignitate aliqua præfulgeret, ad res suas tuendas simul et amplificandas. Rerum gubernacula tractabant quamplurimi præsules, Viri prudentia conspicui, doctrina eximii, pietate præcellentes, ætate venerabiles, qui tam illustri officio ipsi erant ornamento, quantumque acceperant lucis, tantum vicissim splendoris refundebant, quos vel aspexisse erat pudorem didicisse et tantum non induisse virtutem. Hæ eos præclarissimæ dotes, quum suis charos et colendos facerent, etiam alienis non ingratos, nec ipsis quidem hostibus invisos, servare debuit, quem exhiberent omnibus, modestissimus candor et pene divina animi moderatio. Aliis illi facilius quam sibi ipsis errantibus ignoscerent, nec statim quoscunque a se sententia disjunctos, suo exturbatos cœlo, infelici orco addicerent; sanæ nimirum mentis virtutem, non subtilis ingenii [vires exercentes.] Quam ægre patior me a jucundissima hac materia divelli? Quam recreat me animitus et exhilaret illorum temporum recordatio? Quam illis non illibenter immorarer diutius, imo et immorerer? Sed vos, academici, adeo luxuriantis fortunæ tædium cepit: qui vestra olim bona vix audiendo estis numerata, quo modo ea ferendo fuissetis ablata? Interim id strenue incubuit optimus rex Jacobus, ut ampliora nobis hæc omnia et stabiliora retineret. Satellitem ille pacis nostræ, patronum justitiæ, opum custodem, fautorem literarum præci-

puum, etiam et revera fidei defensorem egit. Princeps in ea tempora, quæ deberent esse felicia, quasi fato quodam reservatus, in quo omnes regiæ artes et virtutes, quæ reliquos sparsim acceptæ commendant principes, conjunctim elucebant. In quo pietas Numæ, sapientia Antonini, amor erga ecclesiam Constantini cujusvis, quodque in illa fortuna arduum est, ipsa Alphonsi eruditio convenirent; qui erat non magis ex vetere acclamandi formula quam reipsa "Trajano melior, Augusto felicior." At si licet dicere, cæteris ejus regiis virtutibus palmam præripuit invicta quædam animi clementia et moderatio; qua etiam infensos sibi et perduellos benigne qua licuit, tractaret, legesque in eos latas necessario parce tantum stringeret et coacte; censuit enim ille Titus oportere neminem e sua præsentia tristem discedere; maluitque Augustus ille amari, quam metui; pacis admodum studiosus, nec qui vellet inutilibus se bellis immiscendo aureo hamo piscari. Didicerat a Tiberio illud semper ducere gloriosum quod esset tutissimum, et ante conscientiæ suæ consulere, quam famæ; illud vero præsertim a Trajano, duas res aliis insociabiles creditas arcto inter se conjugio divinxisse, libertatem et principatum. Talis ille tantusque rex in eo jam erat, ut procurandæ pacis et salutis erga ordines regni universos, viros quoscunque nobilissimos, etiamque e singulis provinciis, civitatibus, municipiis, pagis deputatos ad se convocaret, Viros lectissimos, consultissimosque. Videre esset illic ex omni cœlo quacunque diffunditur Britannico in unum sidus compactas clarissimas stellas, suavi luce et benignis influxibus serena nobis omnia præsagientes. Nusquam terrarum erat spectabilior consessus, nec quem deceret magis totius orbis mode-

atio. In unum hunc confluentem vis se omnis et onsilium regni derivaverant. Florem illic et com-endium Angliæ, imo ipsam Angliam conspiceres, to-iusque corpus reipublicæ. Caput illuc regni emi-iebat rex prudentissimus; cui quasi facies pulchra nserebatur nobilissima regina, ex qua itidem duo culi serenissimi prominuerant, regii liberi, Angliæ urei partus, gentis deliciæ, Junonis pueri, spes et ota sequentis ævi [heu! dilecta olim nomina] Henricus et Carolus. Commeasset illuc quasi in nam venam sanguis regni, nobilitas purus et illi-atus, illustrissimi duces et comites, barones equi-esque fortissimi. Illic et Judices assidebant sensus eipublicæ acerrimi perspicacissimique, quid salutare iccideret reipublicæ, quidve noxium indicare paratis-imi. Penes reliquos provinciarum delegatos erant vi-gor strenui cordis, validæ manus, humeri onera rei-publicæ portando pares, singula membra ad speciem pulchra, adque usum necessaria; quibus postremo om-nibus pii et venerandi præsules ceu sanctior anima liviniorque Spiritus assistebant. Partes hæ omnes nius consilii concordisque inter se voti commissuris nectebantur; quibus cunctis id studii ac muneris nicum dabatur, vita ac salus universi.

Ædes antiqua erat præcipua veneratione sacra, Themidis vetustum sacrarium, locus habendo senatui e prisco usu destinatus. Illiciti quiddam videretur lapides ejus vel tangere per tot annos sanctorum consiliorum participes; suo vero loco quem multis seculis occupaverant movere, non injuria tantum sed sacrilegium. In eam nonis Novembris, conventui dies dictus, ille ipse hodiernus, quem quum in fatis posi-tum prævideret fortuna fore aliquando faustissimum, diu tamen quasi ambigere se simulaverat, quo eam

lapillo matrisne an novercæ numeraret, tandem evanido atri fundamento permanens album induxit, inque illam, quam conspicimus hodie et gratulamur, evexit celebritatem. Ita rebus Anglia indormiens præsentibus, nihil futuri anxia, eo potissimum intenta erat, felicitatis suæ curæ potius quam tutelæ incumbere, quæ unde amittendi periculum contingeret ignoravit. In suo rege se populus tutum, in sua se rex innocentia incolumem arbitrabatur. Externis periculis aditum fida sanctio fœderum præclusit, ab intestinis vires regni integræ, legumque salubres cautelæ prospexerant. Quis sub hoc lapide latere scorpium suspicari potuisset? quis tam roseo vultui, tam libero et temperato cerebro, tam vegeto cordi, tam incorruptis pulmonibus, tam validæ et robustæ corporis compagi subesse virus inscrutabile, cujus maligna efficacia, unius instantis paroxysmus omnia dissolvisset? Ecce quam nihil nobis fortunæ est fidendum? Quam facile sit illius blanditiis succumbere? Amat illa ludos nos jocosque facere, gaudetque votorum apicem nactos inde præcipites deturbare. Solet invidiæ fumus pulcherrimas quasi fortunas persequi, neque dignatur illa sua jacula nisi in altum collimare. Quæ felicitas tam est modesta, ut dentes effugiat malignitatis? Scilicet tunc oppugnamur validius, tum opprimimur facilius, quum nosmet nihil sequius timentes extra omnem aleam discriminis collocamus. Quam almam meridiem luridæ noctis confinio unicum instans disterminavit? Quam in non nubilo et serenissimo cœlo dira vis horrendæ tempestatis parabatur? quam prope erat ut ex altissimæ tranquillitatis somnio in luctuosam perniciem evigilasset Britannia? In composito æquore lascive progredientem reipublicæ ratem, ridenti cœlo, ve-

lis expansis, nautis se per fausta celeusmata cohortantibus, parvæ et paucæ remoræ, momentanea procella, quantillus scopulus evertissent et conquassissent! Proh Superos immortales! quam exigui pulveris, quam nullius sudoris res est, humana omniâ quantalibet firmitate fundatissima convellere et labefactare! ecce totius regni consultissima capita unius cerebelli versutia pene elusisset, magisque hæc consulendo perdere, quam illa servare, potuisset! Tantas vires et copias innumeri militis, ducumque illustrissimorum, unica perpusilla manus facili ictu expugnasset! Tam solida ædificia, tot ingentes apparatus, tam vastas moles, adeo magnificas aularum et atriorum structuras, tenuis spiritus perexigui pulveris difflasset et diruisset! Tot denique annorum operæ curæque, constabiliendæ paci, ornandæ religioni, confirmandæ reipublicæ insumptæ, unius momenti temporis prostrata impressione succubuissent. Hactenus ambages secutum est scelus; teneræ nimirum frontis, nec sese ausum præ misero pudore in vestri conspectum proferre; nunc in apricum exeant malis avibus, nunc nefaria sua capita exerant in lucem æterni tenebrarum filii Catesbius, Percius, Fawkius, et cætera innominanda nomina, opprobria humani generis, monstra naturæ, pudor seculi, quos in æternum erubescet Anglia se in dias luminis oras protraxisse. O Anglia, cætera favore Numinis felicissima, in hoc summe misera, quod e tuis reperti fuerint, qui suam æquo animo ferendo non erant felicitatem: quod ex utero tuo illud genus viperarum prodierit, quæ absque ruina tua superesse vel non poterant, vel, quod plorabilius, non voluerant. Illi salutis tuæ domini esse malunt, quam suam non prodigere; amantque tuis malis privata vulnera ope-

rire; ut sua esses, obrutam te volunt. Satius ducunt cum publica ruina proteri quam propria, ut si forte quas votorum summas quieta republica consequi desperent, eas perturbata consequantur. Primarius hujusce nequitiæ architectus Catesbius, perniciosæ machinæ fidelis ille Dædalus, cujus turgido livore pectori patriæ suæ prosperi casus jam olim immedicabile vulnus inflixissent, certus jam diu animo erat, quocunque pretio sceleris, rerum nostrarum ita ex voto fluentium exuberantes successus interjecto obice frænandi. Quum vero ex irritis sæpenumero molitionibus animadverteret tandem, apertam vim parum proficere, etiam nunc Hercule seu Hispano humeros suos subtrahente, leoninam protinus deponere, astutæque vulpis instar dolis nos occultisque cuniculis subruere et supplantare, secum agitavit. Quum igitur profunda meditatione defixus diutius cerebro suo laborasset, aliquid videbatur egregium armatæ Palladis contra Angliam parturire. Nihil ille modici sceleris spirare, nihil quod superioribus seculis invento vel patrato facinori simile quicquam haberet, aut commune: humilis esse ingenii autumabat imitari. Illud demum sua arte dignum esse, quod absque exemplo foret, cujusque excogitati penes se solitariam laudem jure possit asserere. Quid, regem tolleret? hoc perfidiæ genus multi ante se ausi, nonnulli executi fuerunt. Perditorum hominum manum contra rempublicam armaret? obstat frequentis exempli præjudicium, et forte videri hoc posset a Lentulo quopiam aut Catilina magistris hausisse; minorum se gentium proditoribus aggregare; id vero tanquam vile ac inglorium serio detestatur. Quin et operæ pretium non explere existimat lenta morte perimere Angliam, aut simplice eam plaga consauciare, unde unquam spes

ım convalescere; maluit potius cum Domi-
ɔn per intervalla aut spiramenta temporum,
ıtinuo unoque ictu rempublicam exhaurire.
ım igitur vir ille, de quo ut de Hannibale olim
ıoque dubitari possit, pejorne fuerit, an inge-
hoc proposito fretus, subdoli capitis cellulas
excussisset; postquam quascunque furias aut
ʻcus suppeditare, aut intra se accensi vindictæ
ıte pectoris rabies colligere potuerint, in par-
ıilii adhibuisset, virtute talis solertiæ palma-
fraus undecunque suggesta emersit, in qua
ɔrum omnium summa inesse, quoque confecto
ıssum pertentata molimina redimere, vide-
cujus sola ope spes sibi ex imo Tartaro afful-
, ut regem et regnum, præsules et proceres,
ɔmmunesque, pacem, justitiam, pietatem uno
absorberet. Quid dubito dignum perpetui
tenebris consilium clarius enunciare? Cogi-
secum Catesbius (furto enim opus esse) sub
senatoriam, eoque (quum proxime ordines
ɾent) ductis cuniculis magnam vim tormen-
lveris subjicere, accenso frequentes et univer-
ı rege, regina, regiisque liberis, proh lugubre
unius ruinæ involvere ruderibus. Hoc miri-
ıventum cum parenti suo admodum adblan-
quæ est pesti indoles, non diu se consilium
ɾivatos parietes continuit, ne violenti halitus
ɔ capaces quosvis, eodemque humore imbutos
Edocti igitur a Catesbio, eodem ovo exclusi
homines, Percius, Winterus, Treshamus, reli-
quid fabæ procuderet, citius promptiusque
ıt sceleris flammam, quam aut eam pulvis
t sulphur concepissent. Pene prius accipitur
ım quam offertur; quid enim erga eos opus

est ullis suadelæ artificiis ad inducendum facinus, cujus continuum in suopte ingenio argumentum secum gererent, ad quidlibet sequius audendum nunquam non parati homines, quorumque obtorpescens in pectore invidia sponte se in nefas, ut aqua in glaciem aut crystallum, gelatur. Alii plerique mortales ad nudam talis ausi mentionem prorsus exhorruissent; alii suggestorem ejus tanquam alienæ personæ involutum cacodæmonem fugissent; unos hosce reperiri potuisse crediderim, qui illud non audire solum, sed et aggredi sustinerent. Ergo postquam omnes consenserant, de fide secreti mutuo obliganda deliberant: timuit enim proditio ne seipsam proderet, adque fidem confugit ipsissima perfidia quo se tueretur. Juramenti solennitate sanciunt secretum, ipsumque Numen quod vindicem sceleris pertimescere deberent, ejus testem appellant, cœli lucem Tartarei arcani consciam implorantes. Admodum jam securi in cæcam fraudis officinam subterraneam pergunt, ibique improbe laboriosi totum Acherontem movent, ut fundamenta curiæ suffodiant. Subinde specie vini, quo suspicantium animi inebrientur, plusquam triginta dolia comportant et congerunt, tot Orci galeas, tot pixides omni genere mali refertissimas, novum serpentinorum dentium proseminium. Regio throno maximum et principale dolium supponunt, quo sive certius, sive augustius periret. Tunc ministras cædium immanes ferri lapidumque massas et pallia insidiarum ligneas strues injiciunt. Rebusque sic ordinatis modesti scilicet Neroues sese in diversa spargunt, subtrahunt oculos, jubere cædem contenti, non spectare. Solus Fawkius relictus, illa luna ad quam botrus sua maturescere deberet; thesaurarius ille inferni, horumque Eleusiniorum sacerrimus hiero-

ata, qui huic ovo, quousque accresceret in partum,
ibaret.

'ositam dramatis scenam aspicitis, Academici, et
videor fidem meam liberasse, qui præpropere
us quam injuste ab ingentis flagitii vituperio
:m non temperavi. An non jam videtur præsens
lelitas omnis seculi exempla, fictane sint an vera,
:rgressa? quid regem regni caput amputare?
l regiam prolem, oculos regni, effodere? quid
:eres universos, hoc est sanguinem regni spi-
sque, effundere? quid judices et præsules, sacra
ia et justa simul ac semel perimere? quid deni-
illud quod Caligula voverat tantum, revera ef-
ım dare, et tot capita Angliæ una veluti cervice
defalcare, reliquique corporis trunco vitam
ere? Quo fonte lacrymarum deflendum, quo ex-
dum odio est hoc piaculum, quo pacem nostram
vulnere interimi, uno prælio debellari, quo ipsam
æam quasi supplicio affectam exulem in cœlum
ari: quo religionem nostram notari carbone,
aminari pulvere, inque cineres redigi contigis-
Quid tantum in hos homines delinquere Anglia,
committere clementissimus Jacobus? nisi forte
l erga improbos homines indulgentior quam
tuit animos iis faceret tam enormia audendi.
l ille leges quasdam in eos latas refigeret? fixas
nnum mitigaret? moderate semper ac comiter
atos homines exciperet; quid in pertusa vasa
iam suam infunderet? Illi sunt hi homines quo-
invidiam auget benignitas, qui irritantur cle-
tia ac beneficiis efferantur. Nunc in moliminis
apiam ascendite, et oderitis eam vehementius.
lius est vobis audire, quam credere, et credere
n non acerrime indignari: tantum suasit malo-

rum et peperit religio: Dii boni, quam candida mater quam nigrum Æthiopem! Quid igitur non audere iniqui intemperans zelus potest et furiosa religio? quid non solet informis vultus sub tam speciosa larva delitescere? quid non intus turpissimi et detestandi tueri queat sancti veli protectio? quid cæco hoc igni urit acrius, consumit flagrantius? Ecce quo loci, in quæ itinera ignei currus præcipites abripiunt zelotas? Rapit cœlum nunc dierum altera violentia, non operum, sed facinorum, non virtutis sed vis, non precum, sed proditionum, violenta non charitas, sed crudelitas. Pium enim credebatur religionis causa adeo impium esse; pium Deo hoc scelere litare: in lucrum ecclesiæ esse sceleratum; hoc enimvero, non scelus, at meriti pondus, et instar erat. Non est illud malum quodcunque mali dictavit religio: *religio* dixi? quæ vero? non Christiana, candida, mitis, et benigna; sed Hildebrandica, sed Bonifaciana, sed Duacena; illa religio, quæ fortissimum regem Galliæ Henricum tertium manu monachi, sica parricidæ, percussit; illa quæ in cardinalium consistorio facinus tam præclarum elogio suo, auctoremque ipsius martyrii corona insignivit: illa religio, quæ Castellum primo docuit os optimi magnique Henrici (os inquam illud augustum, quo Loiolitas ipso facto damnatos placidissimus rex pronunciavit), dein feralem illum Ravilliacum cor sacrum impetere, e cujus virtute florentissimi regni salus emanasset; tua, O Mariana; tua, Becane; tua, ementite Bonarsci; tua, sancte Garnete, religio ista persuasit; illa eadem quæ mactare principes, evertere respublicas, campanam ad lanienas, ad bella classicum canere, quæ permiscere jubet omnia et perturbare. Ad aras non Dei sed omnipotentiæ papalis offerendum erat hoc

holocaustum. Sacrificium hoc suum non sane incruentum Latiali Saturno perfidi hi Pœni immolassent: Laterano Jovi operati sunt hoc fulmen Cyclopes nostri in Ætna sua subterranea, quo ille summos montes, i. e. capita principum feriret. Quis proditores nostros alius per regii cruoris Stygios lacus, quam Charon ille Cisalpinus ad suum Elysium transfretasset? Quid non per hos annos turbarum in Europa, quid non cædium, et piarum fraudum ab illa scaturigine profluxit? quo minus miremur nostram hanc inde originem duxisse. Constat enim a Brevibus pontificiis, et in nomine Domini omne hoc malum incepisse: constat peracute sic arguisse Catesbium, Quem papa vult excludi, extrudi etiam vult: quem non admitti, eum etiam ejici; quem nullo modo recipi, eum omni pacto expelli. Hinc telæ hujus texendæ initium, hinc illæ lachrymæ. O mores, O leges pudendi seculi! nulla jam regum vera est purpura, quam non Romanæ curiæ tinctura infecerit: principum throni consistere nequeunt, si non pontificis cathedræ innitantur: vibrare nemo justitiæ ensem debet, quam non ex Romana officina desumpserit: frustra ab illo principe regnatur, cujus non obsignatur auctoramentum sub annulo piscatoris. Cedunt nunc dierum sceptra pastorali pedo; nec nisi sub tiaræ episcopalis umbra tutæ induuntur coronæ. Illa jam authoritas est clavium claudere regna et reserare; admittere principes et excludere. Illuc evasit solvendi potestas, ut sua subjectione debita subditi liberentur; illuc ligandi, ut prætoriæ regum triremes Sancti Petri piscatoriæ scaphæ alligentur. Qui se patris papæ correctrici virgæ subducat, e gremio matris removetur, ejectus ab ecclesia, ipso facto principatu excommunicatur. Quem

papa judicaverit indignum regnare, mirum ni indignus quoque sit vivere. Ecce illos precarii dominatus gradus: si generosior quispiam nuncium remiserit, ecce statim terribili armatam sententia bullam prodeuntem; jam quid non aggredi insani zelotæ bruti hujusce fulminis afflatu siderati? Si Janus ille Italus, qui scilicet cœli foribus præsidet, cœlestes aditus mandata sua exequentibus patefecerit, quid non illi discriminis prompte subeunt, ut queant vel per montes regiorum cadaverum illuc aspirare? Quis crederet tam suum genium evilescere cuipiam, tam obesæ naris inveniri aliquem, qui se tam crassæ ambitionis præbeat satellitem: miseret pigetque homines ingenio nimis quam sæpe subtili et perspicaci prudentes sese scientesque tam infami ministerio mancipare. Quod vobis toxicum propinavit, O Jesuitæ nostri, quo cerebrum vestrum evertit philtro adulatrix curia! Quam vos contigit venenatam lotum apud Læstrygonas illos devorasse, ut nec possitis meminisse amplius patriæ tot periculis expositæ, nec famæ vestræ omnium odiis ac obloquiis objectæ, nec ipsius vitæ vestræ tot quotidie discrimina incurrentis, quo pestilenti paucorum superbiæ atque enormi typho consulatis? At nimis diu, Academici, moratum est Romæ; revertamur nunc opportune in Angliam, visuri ecquid adhuc illos sanioris propositi tangat cura, an duri pectoris callum subegerit, an feros animos edomuerit pœnitentia? Minime vero, aiunt, obstat religio percepti sacramenti, pigetque tam sanctis auspiciis cœptum opus destituere: proh fidem cœli et Superum! quo non audaciæ provehere homines lippiens furor potest, quid sacræ rei non potest inconsulta temeritas in repugnantes abusus intervertere? Ecce mysteriis cœli sanctissimis ar-

cana inferni involuta! ecce inferorum pacta sigillis Superum munita! Non sufficit parricidis præsentis conscientiam Numinis agnosci: adhibetur et testimonium, nec teste Deo satis est ni in partes quoque consilii advocetur: quasi vero secum ipsi cœlites in perniciem nostram conjurassent, et vere sacra esset hæc militia, dicitur Deo sacramentum, et se creduli volunt perfidiæ satellites sub signis et auspiciis cœli militare. Quod pacis inter suos mutuæ symbolum clementissimus Dominus instituit, fit inauditæ tessera sævitiæ: quod illæ nutriendæ animæ cœleste pabulum paraverat, fit ineundæ carnificinæ obligamentum. Fit signum charitatis, crudelitatis signaculum, et fidei vinculis nectitur proditio; quin vos ne sanctum hunc panem convertatis in lapidem, et post hunc sanguinem nostrum ne sitiatis, hujusque horrendæ Eucharistiæ loco alteram sumite, vestrum pœnitentiæ sacramentum: ita vero, nondum vos absistere! ita plenis velis scelus in exitum properare! Qua id admiratione dignum, repertos esse non solum qui hoc facere cogitarent, verum etiam tam longi temporis intervallo neutiquam a cogitatis resilirent: subiisse cito animum tale facinus, eum illius pœnitentiam nunquam subire potuisse? Non est summa criminis molitum esse hoc crimen; adjicitur crimini obstinatio; nec erant in hunc gurgitem nequitiæ præcipites devoluti, sed lentis ac libratis passibus, ac quasi difficulter, in Avernum descenderunt. O deformem fœtum, quem non in meliorem formam tam jugis meditatio lambendo redegerat! quo diutius premitur hoc ulcus, eo in saniem purulentius maturescit, ac recoctum in pectore scelus evadit obduratius. Excedit elephanti parturientis moram hic adulterinæ prolis

labor, jamque in proditorum utero totos tres annos gestatum est. Proh! non venisse illis in animum, aut, si venit, non mutasse institutum, quantæ atrocitatis res esset quam molirentur! proh siccis oculis observari potuisse tot damna, tot ruinas, tot funera! quot illi innocentes immerito supplicio multarent! quot infantibus datam mox adeo vitam auferrent, in sui quemque sanguinis præcoci lavacro baptizantes? Quam pulchram urbem devenustarent, quot millibus hominum omnium promiscue ordinum, ætatum, sexuum, munerum, charæ lucis usuram adimerent? Non tetigisse illis animum, ut vel antiquarum ædium majestati, vel basilicarum splendori, vel sanctitati templorum parcerent? Nec cordi fuisse justitiam, cujus non solum primario ministros, verum delubra ipsa et atria funditus destruerent, ne essent aut a quo, aut ubi jus diceretur. O ferrea pectora, imo plusquam ferrea, quæ præconceptæ hæ in animo flammæ nihil emolliverant! O excisas e caute animas, quæ suam quotidie conscientiam alluentes hos sanguinis fluctus repulerant, nec poterant toties incidentibus guttis omnino excavari! Cujus enim non expugnasset animum, cujus non perterruisset conscientiam, illius stragis vel fictum exemplum ob oculos statuisse.

Miseri ultro paulisper esse velimus, auditores, vos audiendo, ego narrando; facite mihi nunc veniam criminis (crimen fuerit huic auso successum tribuere vel fingendo!) quo in posterum opimius sit meritum, quum ex figmento hoc miseriæ in veram felicitatem emergatis. Favente igitur Lucina, obstetricante Fawkii manu, exoneret alvum suam triennali pondere scrobs subterranea. Prodeant ex equo suo ferales . . . . diræ cædis instrumenta, ferreæ massæ,

ingentes petræ, ligneæ congeries. Admoto fomite, explicent sese torrente impetu in suos orbes gravidus pulvis, hactenus brevibus se arctatum spatiis indignatus. Effundant quicquid unquam conceperant irarum, suasque extento ore eructent furias sui impatientes flammæ. O tetrum spectaculum! O secundi Chaos horrorem informiorem vetere; etiamne adversus ipsam naturam conjurasse hos terræ filios, nec solum ordines regni, et etiam et rerum ordinem solicitare voluisse? En miscentur iterum omnia, dissolutis concordiæ vinculis ruunt avide in antiqua jurgia! ecce grassantur invicem totius mundi elementa. En vix suopte se pondere librata sustinens tellus ab imis usque radicibus contremiscit, propriisque emota sedibus altiores in æthere provincias affectat! En aer jam non perspicuus nec inquilinis obsessus fumis, ardentes in visceribus suis flammas cogitur comprehendere! Fit ecce æther summus Campus Martius, in quo ferri moles pugnace licentia inter se præliantur, et modo nativi torporis obliti lapides, vigore repentino a flammis inspirati, in bella et intestinos conflictus exardescunt: en tectorum parietes olim oppositos sibi, nunc inimica vicinia collisos; et proximæ undique domi fundamentis evulsæ jubentur ipsæ exules in cœlo habitare. Cernere est illic privatas ædes seu ambulatoria incolarum vehiculæ igneis rotis sublatæ trepidos secum lares attonitosque penates abripientia. Ecce et sacros templorum lapides dempto discrimine idem sacrilegus pulvis violat; et jam non ficte transportantur sacella suis numinibus viciniora. Ipsæ ecce aræ fiunt sacrificium, ipsi foci absumuntur, tam scelerati ignis ulterius non patientes. Sentiunt hos tumultus ipsa cœmeteria, et quasi evigilant; in suis ruinis sepul-

chra tumulantur, in cineres redactæ urnæ suas urnas desiderant; complent suum seculum annosæ ædes, vix supersunt sibi ipsa regum monumenta, et de trophæis eorum jam triumphatur; non stare amplius statuæ, non se quævis propugnacula tueri, non hanc sibi illatam vim domicilia juris ulcisci; non omnibus undis vicina Thamesis adversas flammas restinguere valet, ne intus æstuet ac sitiat, suasque extra se aquas sursum pluat expuatque. Parcendum est vestris, Academici, tenellis auribus, quas alta solet silentii tranquillitas, saltem non alii quam novem virginum argutati cantus obsidere, nec hujusce casus asperos et inauditos plane hucusque seculorum strepitus licebit coram resonuisse; ad quos omnis civitas, quin et tota insula, imo universus orbis obsurduisset. Quis tam Pericles est, et fulminare lingua didicit, ut referendo sit confusos hujusce turbinis fremitus, mugientis cœli, ejulantis terræ, sibilantis spiritus, stridentis ferri, flammæ coruscantis, e conflictu lapidum, conquassatione murorum, gemitu hominum, conflagratione omnium natos fragores? Demiratus est Jupiter æmulos sibi Salmoneos dari redivivos, sua tonitrua imitantes; fremuitque indignabundus, quod hæc novorum Caligularum profana petulantia sibi retonaret. At quid illarum rerum immoramur stragi, quæ pati possunt miseriam, non etiam sentire, quorum a seipsis indeplorata jaceret miseria, quæ suis ipsa funeribus nequeunt vel lachrymis vel dolore parentare? Per hosce gradus paulatim vobis animi ingentioribus curis præparandi fuerant; nec licuit statim puppim vestram in altissimos dolores deducere; utinam illic mitior clades stetisset: restant nobis allachrymanda funestiora funera, hominum non ædium, regum non re-

giarum, non templorum tantum et curiarum, sed et præsulum, judicumque. Comminisci pene nullum genus supplicii, nullum tormenti, nullum martyrii, aut justa ultio aut iniqua rabies potuerant unquam, quo non hæc clades miseros mortales affecerit. Non satis erat simplice interitu occumbere; in unos eosdemque homines multa mortis genera irruebant. Jacobus miser et densa nube saxorum lapidatur, et suo in sanguine mergitur, suspenditur in alto, suffocatur fumo, et vivicomburio crematur, quin et varia mole premitur, inque singulas cœli plagas distractis artubus dilaniatur. Fas sit dicere, ecce Osiridis nostri sacrum corpus in tot jam dispertitum frusta quot ante provinciis imperaret! en alio caput regium recidens, alio coronam devolutam, non triplicem jam sed multiplicem! Non se ipse rex regendo est, attollitur modo, modo deponitur Jacobus, nec sceptrum habens, nec baculum suum cui innitetur. Sic Cæsar in curia, sic Hercules in flagrante Œta, sic Phaëton noster flammarum diluvio circumseptus habenas regni cogitur dimittere. Sciscitantur statim Superi, quem diutius non inviderant terris, quicquid ad se serius avocare statuerant, cur quasi pertæsus humanæ sortis maturior hospes ad suas oras appelleret. En regiam sponsam ejusdem iniquæ fortunæ conjugem, suprema regi oscula non sponte jungentem, mox interponentibus se flammis divortio separatam, quam dum recipere in ulnas rex avolantem conatur, ecce Ixionis instar, non jam Junonem suam, sed nubes ac inania captat et amplectitur. Ecce sobolem regiam non imperii jam paterni, sed ruinæ vestigiis successive inhærentem; et sic Britannicæ spei germina intempestiva æstate adusta. Ecce habitat nunc in cœlo, sine lege ulla aut ordine utraque

domus parliamentaria, dubium utra superior, quique in sublimi pares fuerint imparesque. Habent jam astrologi quo duo amplius recenseant in cœlo malæ fortunæ domicilia, auctumque jam stellarum errantium septenarium: licuisset jam indagatori Galilæi tubo plusquam quatuor circa Jovem Satellites adnotasse. Ecce consimiles majorum suorum statuis et ceris patricios, undique fumosos et semesos, quorum generosus sanguis dudum per tot discretos generis canales ductus, nunc strictioribus laxatus alveolis, in communem una amnem confunditur, ripisque nullis circumscriptus per campos ætheris liberius differtur. Prudentissimi hic consiliarii suæ saluti consulere nesciunt; nec contra suam mentem inscii plane et imprudentes sursum rapiuntur; nec jam concordibus suffragiis, in unam pedibus sententiam discedunt, in suas quisque partes seorsum abeuntes. En equites lapidis jam citati, Asturconis insidentes tergo insolitum stadium in campestribus cœlis decurrentes, et deputatos provinciarum in suum quemque comitatum impetu turbinis reductum; ecce gravissimos judices; ipsos tam insperatæ executioni addictos, qui dum . . . . vindicem injuriæ suæ manum nituntur, ecce distracti a se invicem digiti gladium justitiæ sinunt decidere in terram; en jam divites quoque ubique jacentes, pauperesque ultra suum gradum damnoso incremento elevatos. Ne sola lueret respublica, et simplex scelus audiret hoc facinus, non etiam sacrilegium, ecce sanctos præsules corripit profanus sulphur! ex alio æstu pia pectora ardentia; en indivisi hactenus animi patres suæ quemque viæ insistentes! Emitte nunc in sublime galerum tuum ovabundus, illustrissime Bellarmine; ecce nunc vere toto errantem cœlo ecclesiam Anglicanam, disparen-

tem prorsus et invisibilem. Ecce pseudoepiscopos nostros vere jam sua opinione falsos, vestrisque e votis suis sedibus excussos, vere saltem jam schismaticos, totque in sectas disgregatos, in quot vel olim Alani, Sanderi, Suarezii vestri fingendo, aut tunc Catesbii, Winteri, Percii spirando distrahere eos, aut dissipare potuerint. Ecce tibi, eminentissime purpurate, tot controversiis brevius et lucidius, quam in tot tuis elucubratis voluminibus, decisas atque discussas. Agnoscimus nova argumenta, quibus subinde evidentius demonstretur papæ in ordine ad spiritualia potestas; in ordine, inquam, ad nitrum, sulphurem et cætera ædes senatorias attollendi spiritu prædita. Novis, fatemur, allucet nobis hodie indiciis purgatorius ignis: quis post tot senatores combustos limbum esse patrum aut infantum, post tot innocentes ustulatos, aut etiam inferos suas in cœlum colonias emittere inficias iverit? At bene nobis succedit, O Loiolitæ nostri, quod æque hodie Vulcanus vester atque Ignatius claudicaverit: bene quod conjuratores vestri illum spiritum non excitaverint, quem nullus unquam exorcista vester e circulo abegisset pontificio.

Hactenus, Academici, sponte nostra prolixe miseri, nunc aliquando beneficio cœli felices esse velimus; hactenus, conductitia face fabulosa sæviit Erynnis; jam quid sinceræ et salutaris fortunæ præsens e cœlo Numen attulerit, videamus. Hucusque ingrato hostibus, nobis terribili somnio versamur, dent modo Superi in propitiam lucem expergisci. Ecce vero adhuc proditores nostros nihil de sententia sua retractare; quid illi ad hos horribiles strepitus, quam gratulabundas aures erigere? quid ad tam diras strages, nonne ridere potius, quam obstupescere? Interim tuta et inflatissimi successus spe turgida proce-

dunt in Trophonii specu omnia: adesse jam libertatis suæ instans credulus pulvis, vix usque se continuit. In suis ad hoc insidiis prædabundus ignis præstolatur, crudis nostræ cædis epulis cupidus fore ut mox satietur. Qui magis versipelles ipsius tragœdiæ hypocritæ sibi de provecto negotio sibi congratulantur; quid submergi in vadoso portu puppim suam tantum jam secundi æquoris emensam? abortire fœtum tantum non in lucem prolatum? nunc quum in acie novaculæ res consistat, acumen suæ astutiæ obtundi, erumpere tandem in fatali puncto, quod tot annos celaverant, hoc vero ut crederent? Quin potius adesse Deum suis consiliis, seque ex hac orca ipsius Jovis lapillos emittere; quomodo enim tam feliciter cessisse et processisse facinus, ni pro se Superum providentia excubias egisset? O homines fato quodam fatuos! O oculos malitia non pulvere occæcatos, qui latere posse scelus ad extremum sperant, cujus participem Deum effecerant, saltem cognitum Deo nefas certo ad eventum perduci posse non soliciti sint. Itane leves vobis Superos et inconstantes videri, tamque in benefaciendo maturo fatigatos, ut quam gentem ipsi tot bonorum acervo ultro cumulaverant, eam quibus ipsi condecorassent ornamentis exui a vobis tam facile et denudari paterentur? Lentos esse tardeque ad vindictam obrepentes divinæ Nemesis pedes, minantis ante quam ferientis, suggessissit pietas. Qui igitur voluisse nos eam, ne præmonitos quidem, prius percellere fulmine, quam fulgure terruisset? Equidem ille non perpetuo in suis cunis statimque ab initio serpentinos conceptus premere et strangulare amat, ut e contra miseris, cumque extrema sorte luctantibus e proximo potius quam e longinquo auxiliari videatur. Arduis inter-

esse negotiis, piceæ illucescere caligini, ictumque jam inter malleum et incudem versantem intercipere Numen solet, et desperate ægris Briarei manus accersuntur. Ita nunc instanti inevitabili naufragio sacram ille admovit anchoram; solvitque Angliam digno jam se vindice nodo. Quum pauci dies restarent, nostrique periculi criticum punctum tantum non impenderet, ecce suo se sorices indicio produnt: en majus suis ripis intumescens scelus, suoque e fonte ultro ebulliens arcanum! Rumpitur immodico felle repleta vesicula, nec amplius subsistere potens demersum scelus sese in summum ejaculatur. Dediscit pro nobis tacere.....silentium: O dilectam Superis Angliam, cui non prodesse hostes etiam inviti nequeunt; ne inopes simus, fert opem juratissima inimicitia; ne simus multis beneficiis devincti, plurimum vel adversantibus est debendum; ne ignoremus, magistram se dabit garrula contra se proditio. Ea dextra clypeum porrigit, quæ vulnus erat impactura; a virulentis livoris manibus poculum salutis propinatur: ecce, index doli inanimatus, advenit epistola, conjurati alicujus manu dixero, an digito Dei exarata? Ad Montaquilium, an ad Angliam missa? certe in eo plurima salus Angliæ dicebatur. Neque illo scriba impurior aliquis, neque hoc scripto unquam sanctius extitit. Nunquam largius meruerant paucæ lineæ; O semper bonas aves anseres! O Mercurialem pennam vere deorum nunciam! plus unus calamus Angliæ profuit, quam omnis instructissimi armamentarii supellex profuisset. Quam pontificiis perpetuo scripturæ adversantur, quam hinc ipsa non traditio profuit? At ecce venit epistola, et adhuc utrum venerit dubitatur; editum hoc scriptum videtur, nec editum tamen: quis enim facile intelligat

divinam hujus oraculi cryptographiam? durum oportuit esse putamen, cui adeo salubris nucleus includeretur; natatore Delio opus est, qui quod in eo latet salutis expiscetur. Videtur enim sphinx ille conjuratus inaccessi securus arcani, ænigmaticæ formæ integumento ipsum in medium proposuisse, pactus perniciem, suam si quis solveret, aliorum vero omnium, si nemo enodaret. Quo igitur feratur hic griphus nisi ad Œdipum, quo dubium nisi ad Apollinem! Non humili egemus interprete; exploratore regio hæ insidiæ nobilitandæ sunt. Conniveat in hoc palmari casu vulgaris acies prudentiæ. Quis sustinere ex aperto sensu literarum emicantes flammarum radios præter regiam Aquilam potest? quis in pauxillis atramenti maculis præter principes sensus subodorari pulverem pyrium valeret? Actum fuisset de Britannia, si quod Neronis votum erat, princeps noster literas nescisset. Non citius chartæ applicat oculos sagacissimus rex, quam flammas! flammas! clamat; non citius nasum, quam pulverem! pulverem! vociferatur. Sic uno ictu oculi regius hoc monstrum Basiliscus lethaliter confixit. Quæ non tunc gens Angliæ regem suum invidisset? quis non eum Deo fuisse a consiliis largiatur? Adesdum huc Epicurea natio, eque indicio isthoc disce Deum agnoscere; quid, an cæco impetu fortunæ occursantes literæ in illam sese epistolam ordinaverant? An fortuita volutatione fluctuantes atomi in Montaquilii manus eam obtulerant? An ex ejus manibus in regias incerto flumine ignavæ sortis delata est? Jam an humanæ illud prudentiæ fuit in tam abditi negotii recessus statim penetrasse, aut alius oculus scintillantem chartam percepisset quam divinæ lucis jubare illustratus? Re isto pacto patefacta, et super

veteratorias artes genuina prudentia triumphante, placuit nocte mitti quis domicilium nequitiæ, suamque supellectilem excuteret. Ibi in sua provincia excubans repertus est mali omnis noctua Fawkius, ille draco harum Hesperidum vigilantissimus. Dein amotis fascibus, detractisque illis pejoris ollæ operculis, altum absconditæ patuere insidiæ. Quam puduit dolia in ea statione esse deprehensa? Et ipse pulvis licet minime inflammatus quasi erubescere videbatur: simul atque moventur loco, mutata etiam sunt ingenio, et pœnitere præ se ferunt ipsa destinati sceleris instrumenta. Liquari se in bombardas ferreæ massæ, vestræque hodie inservire lætitiæ desiderant. Amat captivus pulvis festivo nunc et innocuo strepitu vestræ ovationi accinere. Ipsi illi fasces solennitatis hodiernæ gloriæ lucem subministraturi asservantur, adeoque et lapidum istorum est ... in felix extrui vestræ liberationis monumentum. Solus Fawkius secum immotam mentem in carceres asportavit. Reliqui perturbato sane ordine ad manifestam mortem, h. e. e cineribus in prunas se proripiunt; O ingens ausum, cujus apertum bellum exiguæ tantum reliquiæ sunt! cujus in publica vi languentes jam conatus expirent, quod qui moliti sunt non nisi victi ad arma confugiunt, tanquam extremum desperationis asylum. Nec illi facile sibi Martem conciliaverant, quos Mercurius fefellerat, qui a quo dolis adjecerant animum, virtuti prorsus renunciaverant; a paucis igitur se opponentibus in alterius palæstræ pulvere certantes nullo negotio fusi et profligati sunt. Aliis captis res ad restim rediit, eorumque scelus diminute ut poterat pœna expiavit, non talio; par enim supplicium crimini, dempto ipsius merito, non reperisset in sua pharetra

justitia, etiamsi omnibus eam telis evacuasset. Jam quis Garneti tot mendacia fando percurrat? Quis Fawkii et Winteri obstinatas mortes digne defleat? quin exitum illorum tristissimum, utinam dedisset Deus ut cum bono omine nocti et sepulchro committamus; idque nos potius quod superest cogitemus, quod sit potissimum gratitudinis suffimentum ad aras benefici Numinis adolendum. Bruta fuerit hæc nostra et insipida exultatio, nec aliud de hodierna lætitia quam dolere poterimus, ni permeans eam et pervadens gratæ agnitionis spiritus condiat et sanctificet: accendat ille luctuosus ignis, quem effugimus, præfervidum in præcordiis nostris agendi gratias zelum. Satis enim fuisset innocentes perisse, quam ingrate salvos superesse; et exoptatius longe fuisset in illis ruderibus contumulatos esse, quam sospitatoris Dei eximiam benignitatem in turpi oblivione sepelire. Nimirum ille quamdiu in dextra sua amatam sibi tenuerat Angliam, noluit eam facile dimittere; nec passus est quamvis importuno invidentium nisu suæ beneficentiæ sibi fructus extorqueri. Recepit ab illo sua omnia Britannia, imo seipsam sibi restitutam; imprimisque optimum suum principem pariter et parentem; cujus illa erat mira et decantata politicis felicitas, regnum cum pace accepisse, at major in æternum laus acceptum in continua quiete administrasse, cujus promeruit prudentia ut felix esset, nec unquam memoria ejus sit internoritura, donec in albo suo Britannici fasti nonas Novembres complectantur. Proximam a rege a munifica manu Numinis accepit quasi renatam sibi regiam sobolem, ne hisce primogenitis filiis misera mater orbaretur. Accepta etiam est nobilitas, atque inde præstitum Angliæ ne ignobile regnum efficeretur; ne errabun-

da sine ducibus, desolata absque comitibus, absque dominis, heu! libera nimium et in licentiam soluta, absque equitibus vero abjecta humi, et cuilibet conculcanda jaceret derelicta. Dum opes nostras ad manum et ob oculos aspicimus, in iis præsentem tunc Dei opem advertamus, dum copiam rerum et affluentiam, redundantem ejus bonitatem recognoscamus. Tutæ nobis ab hac clade privatæ ædes evadant in tot templa piis laudibus et officiis consecranda; et ipsa templa in cœlos quosdam cœlestibus hymnis atque harmoniis personantes. Quid commemorem justitiam sui juris factam? Quid liberatam nobis ipsam libertatem, quid pacem nostram non inquietatam? quanquam hæc non minutula, aut aspernanda cœli munera; occupent illa suum in nostra gratitudine locum, dummodo summum facta et nobis et sibi superstes nostra religio. Hæc ille scopus erat, in quam præsertim hodierni furoris spicula collimarunt; illud vallum tutela cœli munitissimum, cui hæc invidia subruendæ concutiendæque vineas suas arietesque applicabat. Nam ut hoc scelus prosperum fuisset, quo illa locorum proscripta evolasset et vagabunda? quæ ut apud nos diutius hospitaretur, calidum nimis effecisset locum hodierna scintillatio. Quos in ejus caput sanguinis imbres roscidus ille vapor destillasset? quæ excepisset tragœdia tam minacem prologum? cui adversus pietatem in sequenti prælio hæc sæva velitatio prælusisset? Non sterile, credo, aut infrugiferum fuisset hoc facinus; et cum sui generis facile Phœnix fuerit, interque reliqua scelera familiam duxerit, vereor ut e cineribus suis execrandaque traduce longam nobis malorum propagasset seriem: an aliqua injuria timendum fuisset dixerimus habituram Angliam ex sua Elizabetha alteram Ma-

riam; absit ut vitio suo dicam, sed tali satellitio stipatam; quando enim non Marianæ succenturiat Maria, et cœsis principibus succedunt occidendi martyres? Quid enim, qui cruentum illum Garnetum, ob hujusce facti meritum, post tot Campianos, Clementes, Guignardos inseruerat cœlo, et rubris calendarii sui literis ascripserat, quo illum in loco habiturum fuisse perfectam hanc cladem conjecturam faciamus? An non inter tot Siculas Vesperas, Parisienses Lanienas, Mariana supplicia, tot Gallicos, Anglicosque triumphos, in Constantini aula imo in suis potius Lateranis parietibus depingendos curasset, ut haberet singulo mane pontifex, quo jejunos oculos nostræ cædis spectaculo pasceret. Quo vos proprius, Academici, hoc cura pertingat, fuisset certissime ut hoc omnigenæ sapientiæ fanum in stupidæ superstitionis delubrum, ut hoc ..... asylum in carcerem ejus et ergastulum, ut hoc antrum Musarum in Loioliticum nidum; ut hæc vestra Cantabrigia in Duacum quoddam aut monachium perverteretur: vidissetisque etiam hoc ipso die, et fortasse in hoc ipso loco extantem gloriose Jesuitam, nostræque petulanter insultantem miseriæ. Quam igitur religionem benignus Pater sartam nobis et tectam conservavit, eadem et nos hodie uti velimus in gratiis ei referendis; ne quæ ab hostibus perire non potuit, ea per nos ipsos videatur periisse; enimvero videtur jam olim quod aliquando eveniret persentiscens divina sapientia etiam nostris hisce temporibus lucidum hoc beneficii intervallum adornasse; quo nos a funestissimis temporum nostrorum casibus abducentes oculos parum respiremus, quo lapsos pene et comminutos præsentium malorum sensu animos hac præteritorum memoria erigamus aliquantum et reficiamus: ut quum

nihil coram aut læti aut grati prospicere esset, non illicitum foret hac respectando caligantes oculos recreare. Levabit enim illud vix tolerabilem hanc sortem ferreorum temporum, si fuisse aliquando et reipublicæ et ecclesiæ aurea secula recordemur. Et si præsentis imago justitiæ nimium nos perterrefaciat, hoc non adeo remotæ exempla clementiæ animorum nobis quiddam redintegrabit; quin dabit hoc tot annos ferventibus inter nos dissidiis aliquas inducias, si in reddendis Deo quam alacriter amplissimis gratiis consentiens omnes studium adhibeamus. Nec ego unquam opportunius esse putem quam in tam fausto omne desinendum.

PRÆFATIO

CUM OPPONERET DIE CINERUM.

FEB. 21, 1654.

UTCUNQUE in hanc aream vestram, florentissimi Academici, sterilis admodum cogitandi, inopsque eloquendi processissem, hæsissemque animi pendulus, quam mihi ansam sumerem dicendi, et in quem se præcipue alveolum expectati sermonis cursus derivaret; ex quo tamen in prælustrem hanc frequentiam oculos hinc inde animumque versavi, sentio tandem eos pervasisse animi mei uterum blandæ voluptatis aculeos, qui sic ipsum fœcundo onere imprægnaverint, ut si quam facile hanc mentis sarcinam conceperim, tam ipsam possem tuto ac perite deponere, non vererer sane, ne in me hodie seu copiam verborum, seu vehementiam essetis desideraturi. Enimvero ea modo intumescit pectus nostrum sensuum ubertate; eo æstu concitatur fluctuantis affectus, ut quum se certo nequeat intra suas ripas coercere, dubium tamen feratur, qua porta se debeat prodere foras, et in quas potissimum partes extra se ruens in terminos vestros ebulliret. An gratulari debeam vobis hodie sospitem ab insultibus populi, infestisque rumoribus superstitem Academiam, et retinentem adhuc satis non solum ad testimonium salutis, verum etiam ad gloriæ suæ in tam celebri congressu ostentationem; an pro tutelæ hujusce fausta diuturnitate statori hujusce nostræ reipublicæ et sospitatori Deo supplicia

vota nuncupare; an ut compositis verbis moneam vos abhorrere a diris infortunii vestri suspicionibus, animumque avertere; an denique expediat prius potiusque his omnibus, illius vobis qua cæteros mortales antecellitis felicitatis speciem ob oculos collocare, tum ut in hac suavi repræsentatione paulisper defixi oblectetis vos ipsos, tum ut discatis, ex tam pulchræ rei memoria, dignos vobis ipsis gerere spiritus, hoc est, excelsos et generosos, temerario contemptu ignobilis vulgi, minisque ferocis seculi superiores: et sane quem non hujusmodi admoneret cogitationum, quem non in hæc verba præcipitem impelleret, solennem hunc vestrum hujusce diei conventum suis oculis conspexisse? Cui parem vera dignitate et genuino fulgore conferendum sibi ostendere, si quis eousque esset curiosus ut universum orbem terrarum appellaret, næ ille omnis ad hanc quæstionem vel obsurdesceret ingratus, vel quasi attonitus obmutesceret. Audivimus de Græcorum virtute judicium, prolatum ore barbari hominis, revera ipso Athenarum genio et suffragio dignum, generosi in illis ingenii non aliunde petens indicia, quam inde; quod scilicet Græci inter se virtutis ineuntes certamina, non auri, argentive acervos, non aëreos dominationis titulos, non quidpiam illorum, quæ humana solet affectare cupiditas, in præmium sibi fortiter gestorum proponerent; verum exilem solummodo olivæ ramum, perenne symbolum florentis fortitudinis, aut tenue apii folium, in id tantum sufficiens, ut virtutis ei nomen inscriberetur: eadem vos, Academici, potiorque laus manet, qui in Pisæos hos agros, in palæstram hanc pulcherrimorum certaminum hodie descendistis, ad conserendas manus viresque attentandas, non corporum sed animorum;

ad contorquenda argumentorum jacula; non ut motu et pernicitate pedum, verum ut discursu rationis, ingeniique agilitate contendatis; cujus præclarissimæ contentionis nec illa a vobis, quanquam summo jure debita, expectatur merces, ut triumphales capita vestra induant laureas; at suis ut sertis victrix veritas coronetur. O dignum vobis et vestris studiis, curisque vestris et consiliis accommodum! O congruum humanæ indoli, nativisque dotibus cœlestis animæ institutum! Cui simile si alibi terrarum inquirimus, ubi tandem loci reperiemus, ut reliquos cœtus mortalium, sive civium sive agrestium, non dico nundinas et emporia, negotiantium, castra militum, subsellia litigantium, quin ipsas etiam aulas principum, politicorum phrontisteria, comitia judicum, senatorum consessus, etsi qui alii famigerantur inter homines specie quadam gloriosæ majestatis, atque exteriore purpura conspicui, consulamus. Nimirum ad creandas molestias, inferendasque sibi invicem calamitates, ad decernendas Bellonæ furias, ad corroganda ex visceribus populi vectigalia, quibus ad proprium seu luxum sive fastum abutantur; ut loco alter alterum ac authoritate submoveat, et cœtera erga se mutuo patrent maleficia; et si non ferino isthoc, alio saltem pecudum ritu ut pabula sibi ac vestimenta conquirant, et universim huic pygmæo corpori inserviant, ex terrena prosapia oriundo; in hos fines cogunt se in unum, et congregant quasi agminatim reliqui confluxus mortalium. A vobis interim colitur societas, inter vos celebrantur commercia, ut summe innocua, ita minime mercenaria, neque molesta aliis, nec vobis ipsis turbulenta; illisque Deorum Epicuri haud absimilia; quippe semoti longe a civilibus undis, rerumque humanarum anxia

solicitudine sejuncti, tanquam in supercœlestis convexi aureo pavimento ociantes, ævum vestrum summa cum pace transigitis, pascentes vos continuo suavissimarum contemplationum ambrosia, inque avidas fauces nectareos divinæ veritatis latices imbibentes. Nempe de conditore universi et rectore Deo, ejusque ineffabilibus bonitate, sapientia, virtute, quas in tam variis multiformis materiæ particulis ordinandis, inque innumeris illis rerum dissonantiis in suavissimum hunc concentum redigendis, demonstravit; de inconcussis legibus atque decretis naturæ; de indefessis motibus cœlestium corporum, occultisque astrorum influxibus; de raptu ætheris, æstu maris, situ elementorum, ortu et interitu rerum sublunarium, de multiplici genere atque diversa indole animantium; de arcanis plantarum facultatibus et signaturis; de mirabili qualitate et utilitate mineralium; denique de natura hominis, usu rationis, ordine et progressu scientiarum, de vitæ tum privatæ tum communis moribus et institutis; de his, inquam, iisque omnibus, quæ aut positu sublimia, aut comprehensu ardua, aut cognitu jucunda, quæ aut animum juvant aut delectant, aut digne occupant, et disseritis in propatulo, et in secessibus vestris cogitatis; ad quas cogitationes, ad quæ colloquia nisi admitteremur, nec præoptandum fuisset nasci, nec operæ pretium natos huc convenisse. Et revera videtur ad hæc natus factusque initio animus noster, ita in eorum investigationem curiose aspirat, in consideratione placide acquiescit, in comprehensione triumphaliter exultat; ita sibi obviam forte factarum veritatum, tanquam et cognitarum olim familiariter et impense desideratarum, avide in amplexus traducitur. Quo præsertim nomine debetis,

Academici, summe vobis ipsis gratulari, aut potiori jure æterno Numini immortales gratias habere, cujus benigna dispositio id vobis negotii dedit; dignum ea mente quam vobis indidit, iisque sacrosanctis propensionibus, quas vestris ingeniis implantavit; cujus quasi singulari arbitratu imperturbatum hoc ocium, excolendæ bonæ menti, vestrisque affectibus supra vires suas erigendis tantum non necessarium recepistis; quo pacto videri queat divina beneficentia ut reliquis hominibus animas, ita animos etiam vobis, aut animorum saltem usum et exercitium indulsisse. Nec debent eximia hæc et selectissima in vos collata cœli munera ad vestram rem magis domesticosque usus recondi, quam in publica commoda, et universam humani generis salutem redundare; et si fideliter ingenuas artes didicisse, si rebus maximis et pulcherrimis intendisse animi aciem, tempusque impendisse, emollivit vobis animos, vestrisque ingeniis candorem, modestiam, prudentiam, benignitatem ingeneravit, non tam debent hæ sanctissimæ dotes in pabula cedere privatorum pectorum, quam in totius humanitatis condimenta. Duces vos vitæ, et magistros virtutis dedisse orbi videtur et designasse cœlestis providentia, ut vestris tam illustribus exemplis, quam fidis institutionibus caveatur, ne in reliquos homines vel ignoratio veri bonique, vel pedissequæ hujus feritas, barbaries, et omnimodo confusio, invaderent et inundarent.

Neque enim ita hactenus bene cum rebus humanis comparatum est, ut norit maxima pars mortalium suo Marte rectum iter virtutis arripere; ut queat vulgus hominum vel semper prætextibus alienis inconsulte credulum, vel propriæ cupiditati ineffrænate addictum, vera et verisimilia, sincere justa

et quæsitis tantum coloribus blandientia, quæ sequenda ipsis sint, quæque evitanda internoscere; vel se a laqueis pravarum consuetudinum, et male feriatorum hominum impostura expedire. Vestra autem contra in eo se jugis exercuit diligentia, quid ab orbe condito gestum sit, a fida teste veritatis historia inquirere; fontes, principia et fines rerum omnium ac conciliorum explorare; puram ab adulterino, a specioso solidum secernere, et quid in unaquaque re sanctum vel honestum, quid vero iniquum ac perversum dispicere: quin et circa multifarias sententias ingenia vestra versando, rerumque in quascunque partes momenta expendendo, de omni proposita materia libere et sincere judicare; et sapere altius et de vobis, deque Deo Optimo Maximo melius sentire didicistis, quam ut possitis facile vel judicia vestra imperitorum jugo subjicere, vel pravis seculi moribus consilia mancipare: ex qua vestra nobilissima immunitate illud vobis conscivistis nullo pretio æstimandæ felicitatis, ut possitis quam paratissime et sectari ipsi optima, et viam aliis ad illa præmonstrare. Quæ omnia cum vera sint, Academici, et liquido apparentia, potestis non difficulter illorum sive infirmitati, sive invidiæ ignoscere, qui in vobis hæc bona aut non satis aut nimium animadvertentes, hinc credula simplicitate, inde præpostero livore abducti, eo non illibenter contulerunt studia, ut vos ab hoc apice felicitatis deturbarent. Equidem non indigna censuerim vestra studia, quæ magis hac splendidam sustinerent invidiam; quæque non immerita universi orbis, siquidem ita contigisset, impeteret æmulatio. At nec illi quidpiam alienum a suis moribus perpetrarunt, qui desiderantes in seipsis ea bona, quæ in vobis nimis clare resplendent,

juxta humanæ fragilitatis modulum, non potuerint vos integris oculis contueri. Nec vos etiam a dignitatis vestræ orbita ullo modo aberrabitis, si propositæ virtutis strenuo insistentes tramiti, et simul benefici Numinis præsidio innitentes, non eorum solum ingratos et imprudentes contemptus, verum et impotentes minas negligatis. Dixi.

EPISTOLA, 1651.

Reverendissimi, et ornatissimi Viri,

AD vos tandem pervenient hæ literæ, ventis benevole aspirantibus, equidem pro officii, quo vobis obstrictus sum, magnitudine, et pro modo forsitan expectationis vestræ admodum seræ, licet si aut mittentis propensio, aut scribendi spectetur materia, nimis quam tempestivæ. Etenim si propositum hoc ad animi mei genium exegissem, eousque dum aut ipse bene scribere didicissem, aut saltem donec attentione vestra digna se obtulisset occasio, etiam scripturienti calamo ultro temperassem. Quarum rerum cum unam prorsus impossibilem, alteram magnopere incertam perspicerem, quo nisi ad Musarum præsentissimam opem confugerem, in earum licentia latebras reperire confisus, cum scriptoris imbecillitati, tum argumenti inopiis celandis idoneas. Hoc quicquid erat consilii misello embryoni originem dedit, qui hujusce chartæ quasi secundinis involutus detractis fasciis in vestram lucem prodibit. Epistolæ (ἐμμέτρου pariter ac ἀμέτρου) quoddam rudimentum est, nondum integram membrorum conformationem adeptum, eorum quæ in hoc satis curti itineris decursu spectasse vobis acceptum refero, qualemcunque descriptionem fronti suæ insculptam repræsentans. Variæ viæ difficultatibus eluctatus ad Lutetiæ mænia tandem perductus est, hic viribus fatiscens seu potius rerum sibi objectarum multitudine oppressus, respirandi intervallum tantisper postulat, donec pro-

gressum suum aut vestra approbatione animatus absolvere, aut reprehensione deterritus abrumpere cogatur. Et siquidem hunc fœtum juxta ideam in sui opificis proposito præfiguratam omnibus suis numeris perfectum fuisse contigisset, ulterius oculos vestros hac agrestis styli incondita barbarie lacessere ex usu non fuisset. Nunc mutili carminis infælices abortus aliquatenus supplere, et unius epistolæ defectus altera non minus imperfecta cumulare oportet, in qua pauca illa, quæ hujus scriptionis generi maxime accommodata videntur, etsi pessimo penicillo, et satis perfunctorie delineata, bono utcunque animo accipitote. Res hic in Gallia externam rerum faciem spectanti admodum in tranquillo versantur. Pax ubique sereno vultu arridet, per universum regnum nusquam armorum strepitus auditur. Externis successibus adblanditur fortuna, intus deliciis affluunt omnia. In aula potissimum splendor et exultatio regnant, continuo tenore luditur, saltatur, festis, conviviis, commessationibus indulgetur, animo mos geritur, nihil sinistri timetur, aut expectatur. Sed quæ tantæ fælicitatis stabilitas existat, qui in penitioribus sali recessibus tempestatum æstus bulliant, et quæ in clandestinarum consultationum cavernis vis ventorum confletur, penes prudentiores esto judicium. Malorum semina, tenuis glebæ superficie tantum obducta, sua nondum germina in apricum emiserunt, verum continuis imbribus irrigata, quas intra radices longe lateque spargunt, lynceis istis ὀξυδερκέστεροι facile deprehendunt. Nam ubi status rerum violentus est, quis durabilem spondeat? ubi avaritiæ sitis plusquam hydropica dominatur, quis afflicti populi patientiam præstet inexpugnabilem, cujus viscera perpetuis exactionum hamis exenterantur? ubi infesti in

potentes animi, præteritarum injuriarum memoria, et præsentium rerum sensu exacerbati, innumeræque suspiciones et cruentæ simultates sæviunt, adversa vota, atrocesque susurri passim audiuntur. Ubi administratio legum et justitiæ dispensandæ cura non vitæ integritati, non scientiæ juris, non famæ honestati conceduntur, sed quæ virtutis esse præmia deberent, pecuniæ præda reputantur. Ubi in præfecturis militaribus nulla fortitudinis, in politicis nulla prudentiæ, in aulicis distribuendis nulla dignitatis ratio habetur; sed salutis publicæ propugnacula quælibet venalia existunt, nec ab eo, qui plus meriti, sed maximam auri vim obtulerit, certissime reportantur. Ubi ipsis militibus, pro tutela publica vitam prodigentibus, pro stipendiis verba numerantur, agiturque cum iis bene, si miseris decima annuæ mercedis portio persolvitur: ubi denique non benevolentiæ propenso affectu, nec amoris attractrice illecebra, sed sola vi, et injecto metus fræno populus in officio continetur. Ubi hæc dedecora civium oculos incurrunt, creduntur, prædicantur, omnium animos percellunt, quæ potest esse firma pacis spes? quæ diuturna tranquillitatis possessio? Rerum potitur quidam gigantum patria oriundus: qui ex obscuræ conditionis angustiis tandem in ecclesiasticæ purpuræ amplitudinem enixus, cum principibus regio sanguine claris, fortitudine, consilio et favore populari subnixis, περὶ πρωτείων authoritatis et potentiæ certare ausus, ex impari congressu superior evasit. Mox cum adversa fortuna conflictari sustinuit, et suo culmine deturbatus, fugatus, hostis reipublicæ pronunciatus, reditum suum procurare, amissa gubernacula recuperare, adversarios successu exultantes reprimere, eorumque quosdam in ordinem redigere, alios ex arena abigere

potuit. Nunc in authoritatis sedem repositus, in ea stabilius firmatus videtur; præcipuos principum et nobilium sibi affinitate et necessitudine devinxit, provinciarum rectores ab ejus nutu pendent, et limitaneis munimentis præfecit, qui cum ab eo fortunarum initia acceperint, ab eo earundem incrementum et tutelam sperant. In ejus arcas universi regni reditus confluunt, ab eo omnia officia et ministeria militaria, politica, aulica, juridica venduntur et dispensantur. Ejus verba vim legum, ejus voluntas normam obsequii, ejus mandata fatorum jussa æmulantur. Sane eum, qui e fumo et tenebris in hunc fulgorem emergere, qui hæc tanta aut animo destinare, aut destinata exequi potuit, ingenio abundare, nec aliis præclaris dotibus destitui oportet: verum hujusce auri pretium multiplicis scoriæ inquinamentis evilescit. Magnas virtutes non minora vitia corrumpunt: dum magnus, potens, felix habetur, generosi animi gloriam nondum consecutus est. Dexteritatis laudem fidei defectus obfuscat. Egregia gesta inexplebilis avaritiæ dedecus commaculat. Nec ad extremum sapere posse censetur, qui pecuniæ tam insano amore tenetur. Hæc illa machina est, quæ Marpesiam hanc rupem loco excutere, quæ Delon hanc movere ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν, quæ fortunam tam bene fundatam, tam fortiter stabilitam labefactare queat. Scilicet dum ingruenti salo nimia moles opponitur, altius intumescunt et violentius impellunt insultantes aquæ; nec sæpius morbi, quam medicinæ violentia mortis impetus præcipitatur. Dum nervos potentiæ suæ corroborandæ undique conquirit; dum populi venas sanguine exhaurit; dum omnigenis artificiis immensas opes corradit, cum auro odium in crumenam comportat, gratiæ paupertate laborat, et num

sua lucra revera sint dispendia eventus indicabit. Interea conjecturam facere potestis, ex eo quod nuperrime accidit, nescio an Mercuriis vestris evulgatum. Quasi præsentibus vectigalibus cardinalitii loculi non satis turgescerent, recens pecuniæ corrogandæ commentum excogitatum est. Novum auri et argenti genus signare consilium erat. Lilia appellant. Id priori monetæ puritate impar, pondere circiter sexta parte inferius, æquum tamen valorem obtinere debuit. Huic proposito populus obmurmurare, parlamenta se opponere, mercatores contra obtestari. Curia Parisiensis (pro jure quod in stabiliendis et verificandis regiis edictis sibi asserit) assensum detrectare, et de remediis malo applicandis deliberare. Hoc cum in aula compertum esset, primo ne parlamentum se congreget, et ne de ea re sermones habeantur, edicitur. Illi nihilominus convenire, consilium capere, regem ultro accedere, orare ne rem adeo omnibus ordinibus invisam ultra promoveri sinat. Rex cancellarii ore eos graviter increpare, mandare ne edictis suis refragari audeant; minari si procederent, se illos in rebellium et seditiosorum loco habiturum, velle se edicta suum effectum sortiri. Cum adhuc negotium ultra propellere non dubitarent, ex eorum numero quinque consiliarii ab urbe excedere coacti; ita impræsentiarum desistitur; sic tamen ut hæc quies quovis motu periculosior sit, nec magis ex metu, quam ab obstinatione proveniens; nam interim reliqua quæque negotia tractare recusant, et justitiæ cursus prorsus intercipitur, quæ res non exigui momenti est, et propediem nescio quid monstri paritura videtur. Nec dum in republica strepunt querimoniæ, dum curia cum aula, et leges cum arbitrio contendunt, penitus a dissidiis feriatur ecclesia, et suis quoque rixis commo-

ventur scholæ. Quæ enim super cardinalis Restii in hac urbe authoritate recruduerant lites, vix dum bene sopitæ sunt; et etiamnum vigent, et disceptationis animosissimo ardore in Sorbona agitantur pertinaces controversiæ. Versatur in ea doctor quidam, Antonium Arnoldum vocant, nomen vestris opinor auribus non ignotum. Is libros quosdam et epistolas conscripsit (rem totam ab initio pertexere prolixissimæ esset operæ), in quibus se ab eorum partibus stare profitetur, qui Jansenistæ appellantur. Hosce libros Jesuitæ eorumque asseclæ, scriptis contrariis plerisque sermone Gallico editis, oppugnandos susceperunt. Quibus ille, nec sine plurimorum applausu, docte et eleganter reposuit. Et sæpius reciprocata est serra; tandem Antonius in judicium adducitur, coramque Sorbona hæreseos ac pravorum dogmatum postulatur. Is se Augustini doctrinam sectari affirmans, petit diserte exprimant, quas sententias in suis scriptis reprehendunt: vix unam aut alteram indicare possunt. Has in Chrysostomo et Augustino expresse totidem verbis contineri demonstrat. Tum articulis ab Innocentio decimo damnatis adhærere clamant. Negat, locum ostendi postulat; nequeunt: tandem in eo consentiunt, temeritatis nomine incusandum esse, quod alicubi affirmavit se propositiones a papa perstrictas tanquam Jansenianas in Jansenio reperire non posse, quasi papa in dictis aut sententiis cuilibet affingendis decipi posset. Rem ridiculam! quasi vero ut Nasoni olim habuisse oculos peccatum erat, ita nunc iisdem carere in vitio ponendum sit. Si in Jansenio revera occurrunt ista, socordes, ne dicam stupidi sunt, qui locum non indicant, nec reum convincunt non tam culpæ quam cæcitatis. Si ipsi locum reperire nequeunt, aut seipsos

manifesti arguere mendacii, vel saltem eodem cujus Arnoldum insimulant crimine implicari, necesse habent. Utcunque magnis utrinque animis res gesta est. Ac ipse regni cancellarius per multos dies senatui Academico quotidie interfuit, ut sua præsentia Arnoldi amicis animos adimeret; tandem partim præ metu recedentibus qui ab eo stabant, partim fratrum mendicantium ingentibus catervis confluentibus, lata est sententia, Arnoldus temerarius decernitur. Is nihil moratus protestationem interponit, et sententiam nullam esse declarat hisce potissimum argumentis; quod suarum partium fautores (qui ultra sexagenos e præcipuis Sorbonæ doctoribus numerati sunt) metu ac terrore abacti; quod ex fratribus mendicantibus plures adessent, quam quos ex Academiæ instituto oportuit ad suffragia admissos esse; denique quod præter naturalis æquitatis dictamen de eo judicium ferre sinerentur, qui se causæ suæ inimicos scriptis contra illum evulgatis palam professi sint. Ita quidem qui unitatem tantopere jactant, nonnunquam ipsi levissimis de causis in acerbissimas factiones fundi non gravantur; et qui sibi solis charitatem assumunt, ipsi partium studiis vehementissimis abrepti, inter se atrocissime digladiantur. Sed securi status protestantium in hoc regno aliud indicium esse non potest eo luculentius, quod ex conclavibus regiis in medium proferemus. Archiepiscopus Tholosanus, vir eruditionis causa apud suos magni nominis, postquam nuper hanc urbem accesserat, ad reginam salutandam statim se contulit. Peractis officiis, sermonibus ultro citroque habitis, tandem adversus reformatæ religionis professores invehi cœpit, quos in provincia sua nimiam congregandi licentiam sibi arrogare conquestus, contra eorum molimina re-

ginæ opem imploravit, subinde hæreticos et seditiosos appellitans. Quæ ingerentem excipiens regina se illorum fidem expertam affirmavit, et fideliores subditos comperisse, quam qui seditionis ipsos insimularent. Idem qui reginæ astabat, Franciæ quidam mareschallus, sustinuit. Tandem ipse rex interveniens, et argumentum disquisitionis edoctus, se in eadem esse sententia, et velle libertatem antecessorum suorum edictis concessam ipsis prætare significavit. Tale pro suis elogium meruit illustris ille Franciæ, qui coronæ intestinis tumultibus pene attritæ, exiguis copiis instructus, pugnas artificiose detrectando, rem restituit, eandemque jam inde ab aliquot annis eadem arte conservat; militaris militiæ summus magister, daturusque e sua schola quod tota forsan posteritas admirabitur. Sed quam initio causabar rerum inopiam, nunc præsertim sentio, cum qui in hac insigni Academia literarum gloria celebres viri versantur recensere velim. Arnoldum prius laudavi: alium, si in mathematicis eximium Robervallum excipiam, anxia inquisitio nullum invenerit. Nulli hic amplius Petavii, nulli Sirmondi, nulli Mersenni, nulli jam, proh dolor! Gassendi comparent. Numerosa collegia pedibus peragranti, oculisque perlustranti præter tecta nihil eminens, præter parietes nihil conspicuum se objecerit. Quanquam hisce, si oculi mei æqui sint arbitri, Cantabrigia non inviderit. Nec si Sorbonæ ipsi, una cum collegio Navarreno, in unum conjiciatur Claromontanum Jesuitarum hospitium, totus ille acervus unicam S. Trinitati dicatam ædem, vel amplitudine vel magnificentia exæquare, nedum excedere queat. Immo nec si quascunque quotidianis oculis sol aspicit regiones perambularem, tuæ pulchritudinis (charissima mater) simile aliquid aut æquale

reperire sperem. In tua memoria quam recreatur animus? quam exhilaratur cor? quam exultat mihi spiritus? Præ vestra conversatione, dulcissimæ animæ, mel omne prorsus insuave est, cujus desiderium e præcordiis meis nulla Lethe excutiet, etiamsi ipsos Lotophagos accessero. Vester ille candor, vestra innocentia, libertas, moderatio, eruditio, virtus, millies animo, centies ore repetitæ, quam semper impense placuerunt? a vobis corpore diremptus, mente quoties interfui? et colloquiis istis lepidis, ingeniosis, proficuis quoties me immiscui? quoties foco vestro assidere visus sermonibus vestris avidus inhiavi, nec non ipse pro more meo raras voces, plerumque ad rem parum spectantes interserui? si alicubi gentium qui tot probos ac ingenuos viros calore suo foveat focum aliquem investigare potero, næ haud infelix viator fuero. Præ isthoc spectaculo, pontes quivis natatiles, portentosæ campanæ, statuæ immensæ, quæcunque monumenta antiquitatis et recentis magnificentiæ ostenta omnino sordescunt. Quam ægre a vobis divellor! quam difficile jam alienas cogitationes admitto! cras Italiam, postridie Germaniam cogitem, hodie vestræ soli recordationi defixus immorabor, a vobis auspicatus sum, in vobis desinam. Suo præsidio cœleste Numen vos protegat, inque sinus vestros, copiam, concordiam, virtutem, sapientiam liberaliter infundat. Valete.

Vobis in æternum devotissimus,

I. B.

Parisiis,
Feb. 9, 1655.

PRO

LECTORE HUMAN. ORATIO.

INGENS onus, dignissimi viri, humeris meis incumbere sentio, debiti vobis hodie persolvendi reus et veri et magni. Onus eo magis suo pondere me premens, quod jam primum gratitudinis tyrocinium ineam, nec vires habeam ad id sustinendum usu aliquo aut exercitio firmatas. Adeo ut quod hactenus in felicitatis meæ aliqua parte ponendum censui, illa omnia hujus generis officia declinasse, quæ nonnulli beneficia dicere solent, sed revera nemo non onera ac impedimenta reputaret, jam tandem ignorem an improspero cuidam fato imputare debeam, quo scilicet factum est, ut grandis hujus ac improvisi beneficii collatio me accipiendi imperitum inveniat; quodque nondum vitulis istis ferendis sensim assuefactus, necesse habeam indocta cervice ingentem hunc taurum suscipere. Nimium gravis mihi militia contigit jam primum bellanti, et vos artis meæ rudimenta non in figulino vase, sed in pura argenti massa experiri voluistis. Perite igitur quum nequeam, saltem cordate exequar id quod est hodierni muneris, et quam sincere agnoscam beneficium vestrum, patefaciam profitendo quanti æstimem. Quotusquisque vero est prælectorum, qui, licet multa salute atque officiosa verborum comitate vos exceperit, quam tamen vos ei sortem dedistis, illa contentus legit? Adeo male curant plerique se primum ex dulci somno excitari, deinde de calentium stratorum blando circumplexu educi in apricas tenebras, cum horrido frigore, fœtentibus nebulis, et mox cum

pingui lucernarum fumo ac fulgine pugnaturos, quo apud nondum bene expergefactos, atque ab insomniorum placida perturbatione sibi redditos auditores, super ægroti alicujus vetuli alternis somniis nescio quid sibi ipsis ridiculi edisserant. Contra plerique hunc locum tacitis desideriis expetere; quidam ultro ambire; nemo fere, (pene dixissem, nemo) contemnere aut repudiare solet; quem quisquis acceperit, is non tantum vobis gratias, sed et sibi quoque ipsi gratulationem præstare potest; debere existimat. Enimvero demandastis mihi provinciam, non inter siccas sterilesque arenas, non inter frigora sitam plagæ borealis, non ubi cum barbaris gentibus de salute et tranquillitate est contendendum; sed in ditissimo solo, in florentissima regione universæ literaturæ; in iis locis, ubi temperati cœli almæque telluris conspirante opera, placide omnia nec invita proveniunt. Hortum non immerito quis dixerit omnifariæ doctrinæ, pulcherrimis rhetoricæ flosculis depictum, linguarum vernantem lætis herbis atque radicibus, jucundaque et salutari fruge historiarum refertum, quin et ubique antiquitatis venerabili umbra interspersum, perfusumque limpidissimis amnibus, deductis e perenni scaturigine Musarum, atque a poëtici Heliconis sacro jugo derivatis. Adeo ut quicquid in omni eruditione amœnum, quicquid lepidum, quicquid venustum, quicquid humanum, hoc est, homini aut utile aut delectabile, aut humano dignum sit ingenio; quicquid suo ambitu excelsi atque divini potentissima scientiarum latifundia complectuntur, id fere omne hoc munus suum sibi vendicet. Ut præteream provinciæ hujus satis ampla esse vectigalia, quæ cum in reliquis vix suis publicanis alendis sufficiant, in hac abunde suppetant etiam prætori

suo splendide ornando. Denique humanitas vestra Spartam mihi assignavit curæ omnis et periculi immunem, nec corpori nec animo ingratam; uberrimis proventibus locupletem; eam obtinenti nec indecoram, nec inhonestam; et reipsa talem, qualem quis legendi cupidus sibi voto ac imagine concepisset.

Hæc non ideo assevero, quasi ipse ex hac re multum oblectamenti caperem; aut quasi officium mihi commendatum valde menti meæ arrideret; aliter enim ego curas animi mei, aliter vitæ rationes disposui, quam ut Musarum hasce delicias admodum persentiscam. Multo minus spes sordida, aut cupiditas lucelli alicujus pectus meum valido unquam verbere pulsavit; præcipue infamis illius, quod tanquam herba succrescens e stercore, visu spectabilis, sed odori ingrata, e pœnis et mulctis nocentium quærentiumque corrogatur. Equidem re ipsa tam parum acceptum est mihi hoc officium, quam parum ipsum concupivi, quam parum expectavi, quam minime de eo antehac cogitavi; aut si forte cogitassem, quam minime mihi debitum censuissem. Verum ea solum de causa quam non vilipendi, imo quam magni fieri dignum arbitrer, significare volui, quo cum amplitudinem favoris vestri, tum mentis meæ sensum affectumque cordis non ingratum indicarem. Alioqui nec horum aliquid dicere aut agnoscere voluissem, si non persuasum fuisset mihi, omne illud apparentis beneficii præter spem et vota in me collati ex bona vestra in me voluntate profluxisse. Quid plura? Quicunque est e vobis, (gravissimi charissimique viri) qui mihi aut in hac re, aut in quavis alia bene voluit, aut bene optavit, ei ex animo publice et sincere gratias ago, si facultas et opportunitas non deesset, acturus plusquam gratias,

imo acturus quidvis, quod penes me fuerit, quo ostendam bonæ vestræ erga me voluntati, bonam erga vos gratamque in me voluntatem respondere.

Et jam præcipua parte orationis meæ defunctus videor. Nam dum vos, præclari adolescentes, prout hujus muneris institutum postulat, potentiusque ea ipsa, quam profitemur, humanitas nos invitat, alloquar et compellem, equidem non multa uti ambage verborum satius duco. Quid enim? an officium vestrum, quo venire, quando audire, quid scribere, quid componere, vos edocerem, quæ omnia, opinor, unius aut alterius anni præterlapsi usu et consuetudine probe didicistis? an ut ista vobis bene perspecta diligenter exequi velitis, multo suadelæ artificio provocarem, etiamnum ex nativa indole et propensione spontanea ad id agendum promptos paratosque; ut quidem sperare fas est de ingenua juventute, liberaliter nata et educata; versanti in hac luce præstantium exemplorum; et quasi in sinu tenero Musarum rerum optimarum studiis innutrita, quorumque ipse vultus adhuc primævo pudore rubens virtutem ac modestiam spondet et promittit? Condonate igitur mihi hunc laborem vos quod spectat forte supervacuum, mihi ex usu necessarium, non aut solicite aut prolixe urgenti et inculcanti; verum tenui solummodo et quasi nuda enumeratione, quæ a vobis petam, quæque expectem recensenti. Lectiones quotidianas ut frequentetis, non est quod vos stimulem. Ad eas lux clara, aer compurgatus, vegetus corporum habitus, mentes bene præparatæ, et præcipue genus negotii nec inficetum, nec ab indole vestra abhorrens, vos commovebit abunde et proritabit. Siquidem non ad nectendos inutilium argutiarum laqueos; non ad nodosas perplexitates

Aristotelicarum subtilitatum, quæ tenera vestra torqueant et excruciant cerebella, extricandas, vos evocamus; non istas vobis adhuc jejunis apponemus duras atque acerbas dapes, quæ dentes frangant manducantium, stomachos fatigent concoquentium. Sed quas humanior literatura subministrat ciborum delicias; mel Atticum ex variorum scriptorum floreis apicibus collectum; suave lac distillans e turgentibus mammis Musarum; generosum nectar veteris Œnotriæ; et quos exprimere est e semper virenti Minervæ oliva sapientiæ salubres succos, eos vobis pro matutina refectione degustandos propinabimus. Ex omni choro authorum, quem una legeremus, segregavi Ovidium. Torvum enim illud et morosum Virgilianæ majestatis reveriti, incertum et intricatum Papiniani tumoris abominati sumus; et Horatium sæpe suaviter nequam, dictisque elegantibus et præceptis non raro lasciviæ, ac intemperantiæ virus admiscentem respuimus. Quin et ipsum præterire ausi sumus Ciceronem, subinde dum largo flumine verborum exundat, rebus et sensibus parcum. Quidni igitur Ovidium in manus sumerem? Ovidium dixi, imo potius Genium quendam ingenii ac eloquentiæ in humana specie ludentem. Cujus versiculos nec mortalis aliqua cura finxisse; nec studium expressisse; neque ars concinnasse; sed vel natura ipsa sponte effudisse, aut divinior quædam Musa dictasse videatur. Ovidium, lactea ubertate eloquii, facili proprietate verborum, sincera puritate sermonis, sententiarum apposito lepore, utilique acumine; æquali calore, et continuo styli spiritu cuivis conferendum; cæterum inexhausta inventionis copia, candida sensuum perspicuitate, lauta supellectile historiarum, varietate ac divitiis omnigenæ doc-

trinæ, et mirifice suavi, facili, lævi, ac rotunda compositione carminum cuivis longe præferendum veterum poëtarum. Cui nihil unquam aliud vitio datum est, quam quod intemperantis ingenii fuerit, quodque vir amoribus alioqui nimium deditus, sui quoque ingenii nimius amator extiterit. Ex Ovidii tot libris ejusdem genii, etsi disparis materiæ omnibus, cum secrevimus, quem enucleatum dare potissimum operæ pretium censebamus; in quo nihil ad historias, nihil ad antiquitatem, nihil ad philologiam omnem, imo fere nihil ad philosophiam, omnesque scientias liberales pertinens desideremus; quem dum legimus, juvenes, non nisi ferias agemus, nullusque nobis occurret dies non inter fastos annumerandus.

Themata vestra quod attinet, præcipue flagito ut ea argumentum suum, tanquam fidelem Cynosuram, perpetuo respiciant. Quorsum enim mihi illa scopum præfigendi cura, nisi vobis altera incumbat ad eam exquisite collimandi?

Nempe is haud immerito tanquam erro ac vagabundus tractari debet, qui extra oleas sibi præfinitas in alteras materias excurrit; nec debet aliquo jure id hodierni thematis vice censeri, quod poterit crastino argumento æque adaptari. Bonam mentem sensumque rei propositæ congruum, puro et proprio, nec non si fieri potest, compto ac eleganti sermone vestiendi, proximus conatus esto. Turpe enim fuerit pulchros conceptus sordido habitu tectos incedere; et magnopere injustum bene natas cogitationes plebeio amictu dehonestare. Sententias gravitate et acumine temperatas vellem; easque nec raras in vasto gurgite natantes, nec importune densas, alteramque alterius vestigia nimis arcte prementes; sed tanquam stellas eo intervallorum ordine disposi-

tas, ut hujus lumen illius radiis minime confundatur. Totam orationis seriem apta methodus connectat, pulchræ similitudines illustrent, apposita exempla confirment, casti lepores condiant; molles ac modestæ metaphoræ exornent; nullique non flosculi et colores rhetoricæ pingant, condecorent, perficiant. Absint obsoleta vocabula, phrases alienæ atque absurdæ; duri ac audaces tropi; sensus obscuritas infeliciter surgentis; et præcipue ineptorum salium insulsa et inverecunda affectatio; suumque unusquisque proferat, ac propriæ inventionis penu depromptum; ne forte furtivis coloribus nudatus, seipsum prorsus implumem ac inopertum plectendum præbeat et deridendum. Eandem legem carminibus vestris dictam volo, eoque impensius; quod ista horum indoles existat, in quibus mediocritas ipsa vitium sit, idemque jure habeatur deflectere a summo, atque ad imum devergere. Ne memorem ideo poeticam artem vobis magis cordi esse debere; quoniam hæc ætatis vestræ propria reputatur; siquidem in flore isto crescentis adolescentiæ agilitas phantasiæ, sublimitas spiritus, validus calor, impetusque ingenii, motus animorum acer et promptus, affectuumque viget atque exultat vehementia: adeo ut qui hac ætate Musarum ineptum se prodat, eadem opera palam faciat, aut sibi nunquam affuisse ingenium, aut si quod affuit, præmaturo fato consenuisse. Quinetiam vos attendere oportet epigrammata esse quæ scribitis; nec sufficere quod sensus quadrat, quod proprietas vocabulorum respondeat, quod carminis ratio et metri leges accurate observentur; nisi insit etiam quiddam salsi et lepidi, aliquisque aculeus qui mentes legentium grata voluptate pungat titilletque: et quandoquidem aures prius suavis sym-

æ placido ictu ferire, quam animos, quibus
n est juvandis, inventionis deliciis afficere solet
cum modulamen, id tale exigo, quod composito
: fluvii instar nullo obice interrupti decurrat.
nim carmina, quæ aut testudineo gradu ince-
, aut crebris cæsuris claudicant et cespitant,
ania rectius quam Apollinea, et vetulis nescio
is potius quam semper virginibus Musis viden-
scribenda. Absit vero ut suspicer quemvis ves-
in syllabarum quantitate peccaturum. Frustra
is se putat versiculos condere, illa in re, quæ a
ı versum dirimet, aberrantem. Saltem peccator
qui syllabarum natura aut usu brevium quanti-
producit, prælectori ne obmurmuret, si etiam
tum suum in promptuario invenerit prolonga-
; ut et ille dignus est longas corripiens, qui al-
n ipse ferat correptionem. Denique, ingenui
ies, e carminibus vestris demonstratum date,
quibus Minerva nascentibus favit, quantum ars
cere, vos quibus illa minus propitia fuit, quan-
solertia naturam possit superare. Unum aut al-
n superest, quod vos insuper moneam, et per-
ı unum, ut iis quæ componitis nitide ac distincte
endis curæ aliquid adhibeatis. Bene moratorum
inum est hoc præstare. Nam cui quis chartam
t male depictam, is illam palam præ se fert con-
iere. Nec sua aut legi, aut intelligi, aut probari
t, qui fœda maculis et lectu difficilia objicit.
: dum facile et prompte legimus, dum scripti
· speciosus oculis legentium adblanditur, nescio
pacto, sensus ipse tanquam minime molestus
es in pronas mentes illabitur: contra difficultas
eformitas scripti et tædium et præjudicium pa-

riunt; ut necessitas sit quod vel scriptor aliquatenus, vel lector non ita fiat industrius.

Alterum est quod admonitos vos velim, nempe, ut scriptis et sententiis vestris suas periodos, sua cola, sua commata caute et curiose affigatis. Quæ omittere semper incuriam, plerumque imperitiam arguit; quorum utrumque æque vobis indignum. Et nescio an alio indicio satis innotescat, utrum quis ea quæ scripsit, aut fecerit ipse, aut intellexerit. Sane cum debita punctatio desideratur, non tam scribentis est sensus qui elicitur quam legentis; ut dum e tripode ambiguæ voces funduntur, sæpe dubium est, an eadem oraculi mens sit, quæ interpretis. Nam ut vocabulorum intra certas septi alicujus angustias constrictorum facilis est comprehensio, ita si non irrita, saltem haud expedita est venatio intellectus, in campestrium spatiorum indiscretam libertatem evagantis; utque is pessime exercitum instruxerit, qui nullo signorum discrimine turmas a turmis, cohortes a cohortibus disterminaverit; ita non melius disponitur oratio, sic nullis periodis definita, ut verborum omnium soluta congeries unius sententiæ speciem repræsentet; atque assequi difficile evadat, an singula vocabula ad præcedentium seriem, an potius ad subsequentium ordinem sint referenda. Huic igitur monito obsequium præstabit, qui in iis quæ conscribit, omne punctum ferre desiderat.

Ultimo vos hortor, ne nimium curti, neve admodum prolixi sitis; qua in re ne ipse exemplo noceam, propriumque præceptum primus violem, valete.

ORATIO

CUM

GRÆCÆ LINGUÆ CATHEDRAM ASCENDERIT.

A. D. 1660.

ROVINCIAM aliquam qui suscipiunt, aut munus picantur (spectatissima corona) circumspicere so- t, illustre quodvis argumentum si aliunde compa- t, in quo dum vim ingenii sui ostentant, et facul- em explicant dicendi, bonam spem de se, reique osterum bene gerendæ felix augurium imprimunt litoribus; gnari scilicet, auribus tanquam ansis pi animos hominum, neque ullo ipsos apparatu invitari facilius, aut lautius excipi, quam disertæ uæ opiparis deliciis, et suavi nectare profluentis uentiæ. Inde fit ut pars illorum, professionis sque suæ, fundatores atque fautores præcipuos, rum illa aut instituta cœpit auspiciis, aut opibus levata stetit, aut aucta crevit beneficiis, enixe stu- nt cum in solenne gratitudinis testimonium com- norare, tum honestis encomiis insignire. Alii in em stadio præcursores, viros eruditione conspicuos, fama celebres, officio suo functos egregie, deque ublica literaria præclare meritos, explorata secu- m ultima conscientia, ab oblivionis tumulo exsus- tos, uberrimis laudibus cumulant, amplissimis de- ant elogiis.

Reliqui fere artis, quam colere et pertractare præ erunt, ut necessitatem exponant, utilitatem incul- t, dignitatem prædicent, hisque quasi subditis nulis ad illi strenue incumbendum auditores pro-

vocent et cohortentur, id sibi potissimum negotii datum credunt: ut præteream singulares rerum, temporum, locorumque circumstantias, quas ut flamma stipulas, sic in fomitem orationis arripere soleat dicentium aut avidus fervor, vel sedula circumspectio.

Mihi quin hæc omnia contigerint dicendi argumenta, in suo genere egregia, et plane summa, ut diffiteri non ausim, ita nec fateri ut non magnopere erubescam, adeo imparem me sentio tam excelsis rebus vel enarrandis apte, nedum digne exornandis. Siquidem instituti nostri auctores habeam percensendos, non tantum fortitudine, sapientia, pietate, et omnigena virtute inclytos proceres, sed et maximos principes, ac reges gloriosos, qui licet majestate imperii, et rerum gestarum magnitudine tantopere excellerent, non alienum tamen a se, nec suo fastigio indecorum sunt arbitrati, bonas literas dum honore debito prosequerentur, et literarum cultores subsidiis foverent, humani generis sibi vota gratesque obstringere. Quorum ego nescio an debeam magis eximiam munificentiam, et præclaram erga studia voluntatem encomiis celebrare, an vero potius temporum infelicitatem dicam, vel hominum iniquitatem increpare, unde factum est, ut vix alendo homini, neque ad necessarios sumptus sufficiat, quo generosæ illæ animæ non solum idoneo commeatu abunde instructos, sed et splendide ornatos voluerunt. Utcunque non est mei aut rudis styli, aut humilis ingenii, tantorum heroum melioris historiæ utramque paginam implentia persequi ἀνδραγαθήματα, nedum virtutes tantas graphice depingere, quarum immortalis famæ sublimibus alis evecta gloria tam infimi despicit atque dedignatur præconium oratoris. Nec si recluso temporis thesauro, illorum qui hanc Spartam excolentes clarue-

unt, exinde memoriam extrahamus, sese unquam
icturo obtulerunt materia justior laudum aut copia
berior. Attestor tuum omni laude majus, omni
ıce clarius, omni encomio celebratius nomen, qui
teratorum olim per universum orbem antesignanus,
tiam nunc Græcorum in tabulis nostris agmen ducis
rælectorum, prodigum illud, atque dæmonium ho-
ıinis, ingenio, doctrina, judicio, facundia, ter maxime
rasme! Tu qui collapsas literas felicibus auspiciis
ıstaurasti, sepultas excitasti, profugas reduxisti:
ui sordido seculo obsoletam barbariem eloquii tui
urissimo flumine eluisti: qui ineptia putrescentem
ıundum salibus tuis condivisti: qui sub cucullorum
olosis tegumentis latitantes tenebras inscitiæ protu-
sti in apricum, tuæque multiplicis literaturæ radi-
ıti fulgore dissipasti: qui superbæ ignaviæ supercı-
is incedentem fastum, ceu alieno tecto inauspicatam
vem, mordacium joculorum faceta petulantia abster-
ıisti; inque validis erroribus profligandis plus unus
ıtuisti ridendo, quam mille alii (serii, scilicet, et so-
di homines) disputando, pugnando, sæviendo valu-
unt. Tu Latine loqui, Græce legere, prompte, pro-
rie, nitide scribere a mille annis primus, vel certe
ræcipuus, humanum genus docuisti. Quinimo tua
ı posteritatem ampliora fuerunt merita, quam ut
la unquam agnoscendo, nedum ut ego exprimendo
m. Tuum etiam appello, consultissime Faber, fa-
le nomen literis demerendis, cui nescio an Græcia
is laboribus exculta, an Anglia tibi eleganti pene-
llo descripta, utrum scholæ plus debeant eruditis
ælectionibus illustratæ, an prudentibus consiliis
ljuta respublica. Nec minor hunc doctrina vel
gnitate excepit amplissimus Cheekus, optimi regis
dvardi ad tantam spem institutor; vir pro ratione

suorum temporum prodigiose doctus, cui præter tot libros antiquos mirabili industria enarratos, emendatos, traductos, totque eximia proprii ingenii monumenta, etiam nobis Anglis peculiarem debemus pronunciandi morem, laudatissimum proculdubio, et antiquitati maximopere conformem; quodque sermonem Atticum ore efferamus non barbaro, sed eodem illo, quo Periclea olim vox Græciam pertonuit, ex quo Platonica mella destillarunt, quo Cecropidarum animos Demosthenica suada delinivit. Cui sane viro, ut merita sua postulant, digne celebrando, disertiore lingua opus est, quam mea esse possit, et oratione, quam nostra esse debeat, prolixiore. Quid alios, dum vita suppeteret, florentes fama, nunc placide quiescentes, ab umbrarum tranquillo hospitio producere in scenam? quos certe omnino tacitos præstat, quam male tractatos inficeta concione, et mutila cum laude memoratos. Te saltem, fato licet defunctum, penitus tacere nequeo, clarissime Dunæe, quem adistis forsitan, ornatissimi auditores, qui Oratores Græcos maxima sui cum gloria et vestro fructu audivistis explicantem: quemque non alia accepimus contrahere pacta, alloqui hospites, consalutare dominam, ancillas objurgare solitum, quam Attica dialecto, adeo hæc illi fuit, vel citra metaphoram, familiaris. Quin vivit adhuc, et suo utriusque linguæ perfundit orbem diluvio rapidissimo ille torrens facundiæ Crichtonus, de quo merito dubitari potest, an linguas calleat doctius, vel eloquatur uberius; quem proinde ac vos immani injuria afficerem, si arentis styli inopia ipsum collaudando aures vestras læderem, quas ille toties melliflua oblectavit atque permulsit eloquentia.

Et causa consimilis ni obstaret, etiam multis ve-

ret prædicandus, doctissimus ille et disertissimus r, professor simul nuperrimus, atque orator acade- icus, quem una sua vobis, etiam de se quæ nihil cat, quam mille meæ, plus commendaverit oratio, ıo certe haud alius quisquam de hoc loco, deque sce literis præclarius meruisset, si quam bene legit, m legisset et sæpe, atque illi per valetudinem aut ltem per graviora negotia id licuisset. Illustre vero ;men claudat haud postremus merito, quin ausim cere primus, ut qui nemo hanc cathedram aut te- ıit tamdiu, aut tantopere decoravit, mihi perpetuo sequio colendus, nec vobis minus omni honore sus- ciendus, vir optimus, et oculorum licet judicio re- ıenti, etiam maximus Duportus. Exiguo quippe ırtice obvolutus omnigenæ eruditionis nucleus, an- ısta capsula inclusus ingens thesaurus literarius; ılumine parvo comprehensum quotquot sunt lingua- ım, artium et scientiarum compendium; tot Eras- orum, Budæorum, Stephanorum accurata epitome; ıjus in modico corpore immensus animus habitat, ganteum versatur ingenium, omnes Athenæ hospi- ntur, tota quanta quanta est Græcia diversatur: qui nostra plerorumque ultima memoria Atlantem agens ræcarum literarum, Academiæ decus humeris non agnis adeo quam validis sustentavit, et velut stella ole aucta, virtute diffusissima lucidissimis radiis ıiversum mundum circumfulsit; a quo habet Anglia stra, ne aliis gentibus literarum gloria cedat, nec os Galliæ Scaligeros, Salmasios, Petavios, suosve elgio Heinsios, Grotios, Vossios quod invideat. uis enim Græcas literas perspexit intimius? quis atinas extulit purius vel copiosius? quis poëticam cultatem felicius coluit, et cœlestis Musæ diviniores ptus heroici carminis majestate propius adæquavit?

quis tot unquam orationes habuit concinnas, lepidas, eruditas? aut dum tot annos, imo tot lustra juventutem academicam instituit, adeo grammaticam austeritatem critica varietate condivit, rhetorica venustate expolivit, amœna urbanitate temperavit? Quis denique tam fideli opera, tam indefesso labore, tam assidua diligentia susceptam provinciam administravit? adeo quidem ut successoribus suis tam insigne exemplar sequi difficile fecerit, assequendi vero spem omnem præciderit, et ademerit potestatem. At quid ego loquacis linguæ insulsa temeritate tantas dotes minuo, tantis virtutibus detero, tanta merita obfusco, quæ (nisi loci hujus et temporis ratio silentium damnaret, nisi illius in vos magna merita, in literas eximia, in meipsum infinita, etiam invito mihi verba extorsissent) satius erat tacita admiratione fuisse veneratum? Quin vos evolvite scripta, recolite dicta, quæ authores interpretanti, elucidanti, conferenti, quæ prælegenti et peroranti exciderunt, in memoriam revocate, ut ex profectu vestro magis discatis quam ab elogio meo tantum virum æstimare, cui similem professorem multa vobis non dabunt, parem paucissima invenient, majorem nulla unquam secula parient, nulla pepererunt. Hosce viros cum cogito, antecessores meos, eruditione consummatos, operibus insignes, sempiterna fama coronatos, inde in meipsum oculos retorquens, tenuitatem ingenii mei, memoriæ debilitatem, studiorum diuturnam quasi desuetudinem, squalidam rubiginem styli, et quæ mecum habitat literaturæ omnis curtam supellectilem contueor, tum vero horribilis me consternatio incessit, desperatio animum obruit, vario affectu discolorem vultum pallidus rubor suffundit, reputanti quod facinus aggressus sim, quale onus humeris meis sus-

rim, quanto discrimini caput meum objecerim; præceps consilium damnare, et audacis incœpti pœnitere, pennis cereis, iisque male compactis qui is fuerim in tantum fastigium assurgere; qui ntumvis aspera repulsa confusam juvenilis impeferociam nondum edomuerim, adversosque ventos epugnantes æstus jam ante expertam, jactatam tibus, conquassatam tempestatibus, et allisam ulis, rursus irato pelago naufragam ratem comtere non dubitarim, infausti ominis præsagium rnatus, nec indignantis fortunæ tam acerbum judicium reveritus. At quanto consultius fecis-, pristinæ sortis memor, si intra propriam pellem tinuissem me, nec velut asinum Cumanum iterato excipiendum, calumniarum fustibus cædendum, trectationum aculeis dilacerandum propinassem? si tam inquieti ingenii sum, adeoque otii impas, ut ne aliquid moliar, mihi nequeam imperare, nto sapuissem magis Homerici Patrocli prudenmodestiam æmulatus, de quo princeps poëtarum rælium exeunte,

Εἵλετο ἄλκιμα δουρὰ, τὰ οἱ παλάμῃφιν ἀρήρει,
Ἔγχος δ' οὐκ ἔλετ' οἷον ἀμύμονος Αἰακίδαο.

d enim? ego Achilleam hastam invalidis brais vibrandam attrectarem? Herculeæ dextræ si clavam extorquerem ego, imbellis pumilio? cicadis vespa accinerem? cycnei carminis suatem anserino stridore exciperem? post tot phielas Atticas ineptula pica Græcanicæ elegantiæ catos modos attentarem? Ego denique Phœbeo u conscenso imperitis manibus tanti muneris enas moderarer, tot summos viros, tot magnos llines hactenus improbo nisu quod exercuit? plures authores legerint, quam ego viderim;

plura scripta ediderint, quam ego intellexerim, plures in memoria libros circumtulerint, quam ego unquam in musæolo asservarim? quibuscum ego neque ingenio, neque doctrina, neque facundia ullatenus comparandus, neque cum illis eodem die (quod aiunt) sum nominandus. Neque illorum fulgor duntaxat luminibus meis officit, qui me antegressi, vel potius supergressi sunt, at vel magis prælustris ille cœtus doctissimorum hominum et juvenum eximia indole præditorum præstringit atque percellit, quos subinde dicendorum perspicaces arbitros, acresque Aristarchos sum habiturus, quale opinor non alibi extat terrarum, tam venerabile dicam, an terribile auditorum? Est enim jam terrori magno recordari, quod olim observare summæ voluptati fuit, fortunæ impetu abreptus dum varias regiones oberrarem, ut nullibi gentium tam magnifica conspici et splendida Musarum domicilia, ita nusquam literis æque fidelem operam dari, ac fervidos conatus impendi, non alibi genus studendi adeo virile, liberum atque animosum vigere, nusquam tantum cum acumine leporem, cum doctrina ingenium conjungi, neque cum multijuga eruditione mores, ut probos, temperatos, ingenuos, ita salsos, amœnos, atque festivos conspirare. Equidem apud Germanorum hesterna crapula obnubilata cerebella, in Batavas aures pingui Minerva obstipatas, coram desultoriis Gallis, aut ad Italos ultra vernaculum idioma parum sapientes, nihil admodum morarer verba facturus. Nunc velut in Martio pago reus capitis causam acturus, aut tanquam ad Lugdunensem aram rhetor constitutus, illorum judicia experiri debeo, qui curioso examine singula perpendere, et exquisita censura notare solent, castigare falsa, fastidire inepta, absurda exsibi-

lare; Græcarum præsertim literarum qui tanta notitia pollent, ut mihi in solo antiquo, Ionios inter Ægeosque fluctus diu multumque quæsita nec inventa Græcia periisse prorsus, nisi quod tanto trajecto terrarum intervallo huc commigrasse, apud vos sedem refixisse videretur. Ego igitur a vobis, hoc est, ab omnibus bonis literis qui tamdiu exulavi, qui tot annos extra patriam, nunc in ipsa videor peregrinus, qui a Græcis procul, apud Barbaros plurimum versatus fui, cui peragranti terras, trajicienti æquora, cum utriusque elementi periculis atque procellis conflictanti, tantum temporis detritum est, tantumque defluxit studiis horridis, agrestibus, incultis, nec ab eloquio minus quam ab usu communi alienis occupato; ideoque cui mentis aciem difficiles nugæ obtuderunt, phantasiæ calorem frigidulæ speculationes suffocarunt; cui siquis unquam fuit aut alacer impetus animi, aut vigor fervidus ingenii, diuturno neglectu deferbuit omnis, aut otio contabuit; fortunæ angustiis elisus concidit, aut rerum fastidio expiravit; cui denique neuter unquam favit Mercurius, nec qui facundos præstat, nec qui opulentos, utpote qui a libris, a facultatibus, ab omnibus studiorum adminiculis, nedum oblectamentis, improvisus, inops, destitutus, pauperior Iro, nudior sum leberide; Ego, inquam, talis vos aliquid docere profiteor, a vobis qui omnia discam paratior? ego cathedram occupem, haud dignus qui in communibus vobiscum subselliis consistam? nec in tam erudita frequentia qui sim

——————οὔτε τρίτος, οὔτε τέταρτος,
Οὐδὲ δυωδέκατος, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

Hoc nempe est quod aiunt, ἄμαξα βοῦν, hoc incongruum πρωθύστερον, ut ego viam præmonstrem, facem præferam vobis, quos duces sequi, et directrices aspi-

cere Cynosuras, dictasset prudentia mihi, a me modestia exegisset. Enimvero ex hoc arduo loco in tam augustum consessum pudibundos oculos demittere nequeo, ne tremula caput meum vertigo corripiat, ne immane periculum perhorrescam, ne illius, quæ me huc evexit, incredibilis audaciæ conscientia stupeam. Quanquam audaciam meam non est, quam facilitatem nimiam quod tantopere insimulem, qui nulla gloriolæ ambitione inflatus, nulla lucelli cupiditate accensus, (quibus eheu! vitiis hic locus exilia subministrat irritamenta) imo timidus atque invitus, refugiente simul ac reluctante genio huic meipsum negotio implicui, nec tam animo meo morem gerens, quam aliorum qui apud me amicitia, et beneficiis, et dignitate plurimum potuerunt, quorumque ego nec benevolentiam erga me ignorare, nec authoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debui; consiliis, hortatibus, imperiis obsecutus. Neque esset profecto honori vestro ita pessime prospectum, si ego apud duros quidem et præfractæ obstinationis homines, sed doctiores multo, et huic muneri aptiores precibus, jurgiis, aut minis quicquam profecissem: utcunque de illo quod meo mihi jumento accersiverim, ἐπισπάστῳ κακῷ, ut queri vanum, ita nec resipiscere opportunum fuerit, eatenus progresso, unde pedem referre pudor vetat — Nec deferendum est tam solenni arbitrio præstitutum vadimonium; jacta est alea, transivimus Rubiconem,

Credidimus fatis, utendum est judice ferro;

ingresso pugnam jam nec receptui canendum, nec ab assignata statione recedendum est. Quin potius cum hostibus fortiter conserendæ manus, abjicienda desperatio, propulsandus timor, spiritus confirmandi, nervi intendendi, omni ope enitendum est mihi, ac-

eptis partibus ut defungar strenue. Studio sup-
lendus est defectus ingenii; quod ab usu deest,
ura compensandum est. Litandum est audentium
djutrici fortunæ, et contrahendum cum superis, si-
uidem vera aiunt, omnia labori vendentibus. Sub-
idio denique mihi comparanda est diligentia, vestro
uatenus in me est decori ut consulam, vestris stu-
iis inserviam, meo officio satisfaciam; præcipue vero,
onsultissimorum virorum, quorum consentientibus
uffragiis huic provinciæ obeundæ delectus ac depu-
atus sum, ne de me conceptam spem omnino deludam,
ut prolatum judicium dehonestem; quorum proinde
mplissimum favorem quam verbis nunc parce agno-
cam, tam animo imperpetuum vehementer abunde
ersentiscam, hanc saltem quoad potero factis gratiam
elaturus, ut officio præstando dum graviter et pro
irili incumbo, efficiam aliquatenus, ne videantur ipsi
e me aut sperasse temere, aut perperam statuisse.
Quin omnes Pierii chori cultum profitentes ut eriga-
mus animos, acerba calamitate temporum depressos
amdiu atque dejectos, et acri protinus alacrique
tudio Musarum sacris operemur, in feliciorem sta-
um conversæ reipublicæ invitat et allicit nos sere-
iori vultu arridens facies; compressa scilicet rabie
iteris infensæ plebeculæ, obturato ore indignis con-
iciis, improperiis, et minis nos lacessentium; de-
ectis fraudibus, frustratis consiliis, et attrita poten-
ia improborum hominum nostris redituum sacro-
um miseris reliquiis inhiantium; debellata licentia
nilitari et populari barbarie triumphata, sub auspi-
iis optimi regis, quem ut libertatis publicæ vindi-
em, legum assertorem, authorem pacis, tutorem
dei, et ecclesiæ instauratorem ex boni Numinis mi-
abili beneficio, quasi cœlitus delapsum, accepimus,

ita literarum patronum summum atque fautorem futurum, est quod speremus et spondeamus nobis; veram quippe et vivam effigiem magni patris, eique ut jure ditionum, sic et indole virtutum hæredem, quo principe nullus unquam literas aut dilexit impensius, aut constantius propugnavit; a cujus proinde genuina sobole quidni prospera omnia honestis studiis atque propitia ariolemur? Saltem transierunt illa nubila, tetrica, et inimica Musis tempora, quibus si unquam ullis apprime convenerunt ista, quo horridius inculta, eo magis apposita, Enniana carmina,

> Spernitur Orator bonus, horridu' miles amatur.
> Bellipotentes sunt mage quam sapientipotentes.

Non erit, ut nuperrime, quo doctior quis, quoque honestior, eo magis suspectus atque obnoxius, per omnes alias quam bonas artes, ad immodicas vires opesque illi citas grassanti nequitiæ. Non amplius ut abjecta fæx populi impune insultet nobis, famam nostram laceret, jura violet, bona diripiat, professionem temnat, conculcet, ludibrio habeat; neque quo minus frigore opprimamur, aut inedia nos perimat, ut ab illorum instabili nutu ac arbitrio insolenti pendeamus, qui cum moribus priscis, et legibus patriis, etiam scientiis liberalibus inexpiabile bellum indixerant, genus hominum cædibus, rapinis et violentiæ penitus addictum. Cessabit ille tubarum clangor, studiorum placidæ tranquillitati obstrepentium; a sago ad togam redibit sanguineo dudum murice nimis inquinata purpura, plus poterit subinde acumen ingenii quam gladii, vim ratio compescet, mens brachiis, robori sapientia antecellet. Emarcida diu laurus Apollinea lætius reflorescet, et amœno virore Martiam superabit. Eluctata angustiis eruditio latius se diffundet, et tanquam disrupta nube clarioribus

radiis emicabit. Nec incolumitas tantum bonis artibus et justa securitas præstabitur, sed quasi a postliminio restituta solatia, et debita legibus præmia persolventur. Erit aliqua merces industriæ, virtutem dignitas compensabit, authoritate meritum fulcietur. Quod si aliqua sunt, ingenui juvenes, digna indole tanta, et florem industriæ vestræ quæ jure sibi vindicent, illa profecto Græcæ linguæ sunt studia, de quibus ut merentur copiose dicere, non fert ratio temporis, non instituti, sed nec facultatis meæ; ast omnino intacta præterire, ut officio meo minime consentaneum, ita forsan expectationi vestræ injurium fuerit. Scilicet, ad sapientiam comparandam quam utilis, imo quam necessaria sit linguarum cognitio, præter infantes neminem, nedum vos latere potest. Siquidem hæ interpretes et quasi claves animæ sunt, quibus enunciantur consilia mentis, et arcana reserantur, quibusque doctrinæ omnis et disciplinæ commercium stabilitur. Ostia sunt, per quæ in adyta penitioris literaturæ unicus ingressus patet. Cortices quibus sensuum medullæ obducuntur, vehicula veritatis iter ad aures capessentis; vestes, quibus amictæ res se sistunt oculis percipiendas, quibus nudæ aciem fugiunt intellectus: fundamenta denique, quæ substernat oportet, solidæ eruditionis structuram quisquis molitur; in eo divinæ dispensationis methodum imitatus, qui primum hoc apostolis cœlestis doctrinæ magistris tanto muneri adimplendo necessarium donum impertivit. Quanto magis incumbendum Græcæ linguarum principi, reliquas omnimodæ excellentiæ quæ tanto superat intervallo? si ætatem ejus spectamus, præter unam humanæ loquelæ coævam Hebraicam, antiquissima est, imo scientia omni non aliter quam parens sobole,

radix surculis vetustior. Si usum, is amplissimus est, ad omnis sapientiæ studium, ad omnem ingenii cultum se exporrigens; si commoditatem, vim aut gratiam respicimus, nullam arbitror extitisse unquam mortali spiritu modulatam, hac quæ fuerit aut explicandis sensibus aptior, aut demulcendis auribus gratior, aut affectibus commovendis efficacior. Hanc heroum ora protulerunt. Musarum hæc et charitum, sophiæ pariter ac suadæ, vernacula dialectus fuit. Hanc in lucis oras emergentium disciplinarum infantia balbutivit, adultarum provectior ætas elocuta est. Hæc historiæ veteris prima nobis monumenta consignavit, priscæ virtutis exempla tradidit, et veteris ævi illustria facta ab oblivionis injuria vindicavit. Eloquentiæ hæc nativos fontes aperuit, ejusque in omnem posteritatem limpidissimos amnes derivavit. Hujus in utero conceptus est, hujus uberibus lactatus adolevit poëticus lepos, ille dulcis magister, ac fortis victor animorum. Hæc superum laudes lyrica suavitate concinere, epica grandiloquentia res gestas regumque ducumque et martia bella ebuccinare; tragica gravitate humanæ sortis affectus, casus, ærumnas depingere, et comico sale vitia docuit perfricare. Hæc ducem vitæ, pabulum animæ, solamen curæ, et medelam ægritudinis philosophiam cœlo devocatam gremio suo excepit; illam, quæ rationem nostram subtilibus artificiis format, disserendi methodum edocet, argumentorum nodos nectit, dissolvitque; illam quæ mores instruit, officia distribuit, fines commonstrat, actiones disponit, affectus moderatur, nosque fati immunes, et a fortunæ insultibus tutos in supremum apicem felicitatis evehere pollicetur. Illam denique philosophiam, quæ naturales effectus observat, causas perscrutatur, facultates dis-

cit, quæ elementorum qualitates, vires, misturas endit, quæque totius mundi originem, ordinem, moniam contemplata in summi Numinis notitiam itur atque assurgit: hæc societates publicas lerum vinculis copulavit, legum authoritate sanxit, iarum ac præmiorum dispensatione munivit, hui corporis fabricam inspexit, organorum usus et iperamenta perquisivit, sanitatem tuendi, morque depellendi facultatem procudit, juris celebres idectas condidit, et salutares medicinæ aphoris- definivit. Eadem numeris leges præscripsit, orum discrepantias ordinavit, figurarum proprieta- indagavit, momenta ponderum libravit, temporis tam seriem digessit, radiorum subtilem efficaciam licuit, terreni orbis faciem delineavit; quin dere- humo adivit Deos, et per æthereas regiones spa- syderum vagos circuitus certis periodis circumpsit, sphærarum ingentes machinas conflavit, deiavit eccentricos, epicyclos edolavit, totque inde is scientias subtilissimas, utilissimas, pulcherrimas edibili solertia, mirifico acumine concinnavit: ne merando molestior sim, illa scientiæ omnis et satiæ humanæ fundamenta stravit, principia elicuit, ulas adaptavit, methodum contexuit; illa artes et iplinas omnes quas colimus, invenit, auxit, pert et propagavit. Quid enim morer illorum homi n nullo fultum probabili argumento superstitiosum imentum, qui Ægyptiis et Chaldæis, nescio quibus, um inventionem ascribunt? non habentes interim cum vel philosophicum axioma, vel theorema thematicum, ab illis magistris quod acceperint, endere; saltem præstigias magicas, et vanitates ologicas, incertas quasdam traditiones et vagas ervatiunculas si excipiant; quum e contra Græci

nostri quibus temporum intervallis gradatim singula repererint, in prompto est unde irrefragabilis historiæ luculentis indiciis comprobemus. Quid enim an Homero, Pindaro, Æschylo poësim; Hippocrati medicinam; Pythagoræ, Platoni, Euclidi, Archimedi arithmeticam et geometriam; Eratostheni, Hipparcho, Ptolemæo astronomiam et geographiam; Empedocli, Anaxagoræ, Democrito physicam, Aristotelis divino ingenio Dialecticam, Rhetoricam, Ethicam, Politicam, et disciplinas propemodum omnes repertas, ampliatas, ornatas, aut in ordinem redactas abjudicare ausit quispiam sanus cerebri, et qui nolit tantis beneficiis ingratum, tantis meritis injurium sese profiteri? Anne magis quicquam liquidis constet indiciis, quam hos Græci oris, si minus stirpis, omnes, scientiarum fabricam ab imo quasi solo ad tantum fastigium evexisse; neque ab Euphrate, nec a Nili incompertis fontibus, sed ab Heliconis pellucida scaturigine ipsas promanasse? Testor illa tot quæ nec irrumpentium barbarorum diluvio absorpta, nec voracis ævi maligno dente absumpta etiamnum supersunt in omni genere scientiæ præclara inventa, gravissima scripta, monumenta veneranda, quorum nullum fere extat insulsum, vel inutile, aut indignum animis vestris concipi, manibus teri, memoriis insculpi; saltem si vobis potius est, doctrinæ incorruptos latices a puris fontibus imbibere, quam longo decursu contaminatos rivulos et lutulentas lacunas ingurgitare. Et sane nisi his literis perspectis, nullius artis ut non origo investigari, ita nec nomen ipsum intelligi, nec termini innotescere possunt, adeo impares fuerunt alii homines non tantum inveniendis artibus, sed et exprimendis: addere licet, nec sine hujus subsidio ullius alterius linguæ exquisitam notitiam obtineri:

ne Latine quidem, quæ ab hoc penu ornatum petit, ab hoc thesauro opes suas mutuatur. Etenim quis ignorat Romani eloquii parentem Tullium, quantus vir fuit, dum Græcos rhetores et philosophos legit, excussit, imitando expressit, seipso fatente tantum evasisse? Quis Latinæ Musæ caput, Mantuanum vatem, ex Graiis lauretis sibi triplicem corollam decerpsisse; a Siculo pastore Bucolicas nequitias hausisse, *quid faciat lætas segetes* ab Ascræo sene canendum didicisse, eque filis Homericis præcipue divinæ Æneidos telam pertexuisse? Quis Terentium a Menandro, quos gessit, politulos soccos, aut Senecam ab Euripide sublimes cothurnos furto abstulisse dicam, an mutuo accepisse? Quis vero Catonem negat meritas pœnas dedisse, Græcæ linguæ elementa dum sexagenarius disceret, maximus ille quidem imperator, senator, orator, sed major futurus, si quibus studiis languentis senii curam adhibuit, iisdem juvenilis ingenii impendisset ardorem, et meliorem ætatem imbuisset? quid quod florente cum imperio lingua, etiam a cunis medio Latio innutriti, et a Romanis parentibus oriundi summi viri egregia sensa animi Græce protulerint, et exscripta posteris commendarint, patrii præ illo sermonis sterilitatem atque inopiam confitentes? e quibus conticendos non existimo, par nobile Cæsarum, M. Antoninum, et Julianum, imperatorum ingeniosissimum hunc, illum sapientissimum. Nec immerito illi, quando hujus linguæ tam locuples varietas, diffusa copia, immensa amplitudo sit, quam nulla inventionis fœcunditas exhaurire, nulla difficultas torquere, nulla novitas eludere queat, felicissimæ compositionis facilitate crescentem semper, et ultra omnes terminos se protendentem; tanta autem vis et efficacia significandi, affectuum vehe-

mentissimo ardori accendendo simul et sopiendo, mentis concitatissimis motibus effundendis, conceptuum altissimæ sublimitati exæquandæ quæ omnino par atque idonea existat, eaque in alium sermonem, nisi ut robur suum amittat, ac genuinum imminuat vigorem, nulla transfundenda versione, nulla simulatione detorquenda. Quibus autem aliis coloribus quam suis, eloquii Attici nitida mundities, venusta gratia, dilucidus splendor rite adumbrentur, quibus orationem luminibus collustret, flosculis pingat, aculeis infigat, quam candida ubertate dilatet, quam arguta brevitate astringat? Ut necesse habeam præterire non alio ore effingendum pronunciandi magnificum decus, augustique soni cum incredibili suavitate conjunctam ineffabilem majestatem, auscultantis aures quæ grato horrore feriat, incantet dulci harmonia, et quodam quasi tonitru percellat; ut quod invidiæ œstro percitus Æschines Demostheni olim objecit, non minus idem in Græcos omnes quadraverit, nimirum loqui illos, οὐ ῥήματα, ἀλλὰ θαύματα. Verum hujusce linguæ præstantissima laus est, eaque extra omnis controversiæ jactum posita quam longissime, quæque sola sufficiat affectibus erga illam vestris conciliandis, et acerrimis studiis asserendis, quod quæ semper nobilissima, pulcherrima, utilissima erat, ea jamdudum linguarum sanctissima quoque fuerit, utpote quæ divinioris scientiæ cimelia conservarit, sublimioris veritatis oracula fuderit, sanctioris sapientiæ mysteria recluserit, et illud humano generi gratissimum salutis æternæ præconium evulgarit, ut quam antea nescire stolidum et absurdum fuit, eam modo ferme profanum, et pene impium sit negligere. At quid operam meam frustra abutor, et vestram lacesso patientiam, humanissimi auditores, rei præ-

stantiam dum deprædico, vobis usu, familiaritate, peritia abunde cognitæ et exploratæ?

Quin potius supplicibus votis divinam benignitatem imploro, mihi ut suscepto muneri exequendo promptum animum, idoneas vires, propitiam valetudinem indulgeat, vobis faventes aures, et candidam judicii æquitatem præstet, conatus meos qualescunque ut boni consulatis, nobisque omnibus hanc mentem indat, hæc et reliqua studia nostra ad suum honorem amplificandum, et nostram salutem promovendam, ut serio ac sedulo conferamus. Dixi.

ORATIO

AD ACADEMICOS IN COMITIIS.

QUOD faustum felixque sit, Academici, anno in se redeunti, mensibusque circumvolutis, cum serpente isto Ægyptio, veteri pelle deposita, viridem resumit, et quasi renovari se sentit academia. Rursus in hanc quasi Jovis Ægyptii ædem solennes ludos acturi confluxistis. Adhuc a bellorum rabie incolumes, et a tot mutationibus reipublicæ inconcussi, adhuc ab importunis querelis et convitiis ingrate contra vos lascivientis populi superstites persistitis. Nondum aut fortunæ fluxa instabilitas, aut oppugnationes publicæ, aut clandestinæ molitiones improborum hominum, saluti vestræ insidiantium, efficere potuerunt, ne etiamnum applaudere vigentibus et florentibus literis, et ne divino favori almo nostræ academiæ statori et protectori gratiarum anniversarium debitum persolvere possimus. Enimvero quasi inesset periculis vis quædam salutaris, nunquam magis quam per has tempestates et lubricas rerum fluctuationes, bonarum literarum omne genus crescere et germinare videbatur: de qua re præcipue opportunum fuerit vobis impense gratulari; nec quidvis succurrit cogitanti, et sanctitate hujusce loci, et temporis solennitate, et meo genio, et vestra omnium illustri frequentia gravissimaque expectatione dignius dicendi argumentum: ex quo et Dei Opt. Max. præstantissima dona et beneficia agnoscere, et vos ad ulteriorem studiorum profectum excitare, et clarissimos hospites vobis benevole omnia prospera op-

tantes felicitatis vestræ qualicunque amœna repræsentatione recreare valeamus. Unde autem vobis gratulari incipiam potius quam ab iis, per quas loqui concessum est, linguis, istis totius literaturæ quasi stabilibus fundamentis, et nucibus quas frangere oportet quemvis nucleum intimioris doctrinæ devorare cupientem? quarum singulari gloria, sive peritiam sive varietatem spectemus, nulla academiæ tempora cum nostris fuerint conferenda: adeo ut quas antiquior academia vix intellexit, nostra expedite loquatur, et quarum illa famam vix audivit, hæc mentem familiariter intelligat: imo et quas grande aliquid fuit, provectiorem aliquem magistrum doctoremve mediocriter callere, eas nos vixdum egressos e matrice academica inque suis cunis vagientes infantulos distincte pronunciantes audiamus. Græcos authores omne genus, poëtas, philosophos, historicos, scholiastas, quos non ita pridem tanquam barbaros majorum inscitia verita est attingere, jam matris nostræ etiam juniores filii intrepide pervolvunt, ipsorum lectionem in levis negotii censu reputantes; nec minus prompte Lyceum aut academiam adeunt, quam si remeantibus seculis cum Platone et Aristotele in mediis Athenis versarentur. Te appello, chori hujus Attici præsultorem, eximias virtutis ac eruditionis delicias, grande columen literarum, nostræque non tantum academiæ, sed et præsentis seculi lumen et ornamentum, parvum hominem, sed magnum professorem: cui nempe debemus, ne frustra tuis Anglis suos Itali Politianos et Hermolaos Barbaros, suos Galli Budæos et Stephanos, suosque Belgæ Erasmos, Grotios, Heinsiosque exprobrare possint. Enimvero jam viginti plus minus anni fluxerunt, ex quo

tuis unius, tanquam proceri Atlantis humeris innititur Græcæ eruditio; quos si te meritissimæ tuæ celebritatis saturum, et quasi supervacuæ ingrato seculo benefaciendi curæ pertæsum, subducere contingat, rem literariam quam irreparabiles invasuræ sint ruinæ, haud facile est ariolari: quem enim reperire erit, qui tibi in hoc arduo munere succedere audeat? et quem non pudebit, tuis vestigiis insistentem, cathedram istam tui nominis claritate nobilitatam conscendere? cujus promptissimam ingenii facilitatem, felicitatem memoriæ, peritiam omnigenæ humanioris literaturæ, indefessam diligentiam et inexpugnabilem constantiam, tam imitari fuerit arduum, quam assequi et exæquare omnino impossibile. Macte consiliis tuis, optime et doctissime vir, sive te adhuc cupidæ juventuti inclytam facem præferre, seu tanquam emeritum ducem in tibi non ingloriam quietem secedere juvet, te immortalis honos, te indulgentia Numinis, te propensa benevolentia bonorum omnium, te profusissimus plausus tibi grates meritissimas exolventis academiæ, perpetuo consequantur; et præcipue oratoris tui, quem dicentem in tam augusto loco et te celebrandum suscepisse, ingentis audaciæ fuit, et illaudatum præteriisse improbæ fuisset ingratitudinis; utpote qui se totum, quantus, quantus est, tuæ institutioni debere agnoscat, et qui in tuis alumnis nomen suum posse profiteri summa cum animi alacritate glorietur.

Quid Hebræas literas commemorem, reliquarum parentes, quarum intellectum adipisci, olim supra humanam sortem, et non nisi dæmonum ope attentandum videbatur? Jam vero multos apud vos etiam tyrones invenire est, quasi idoneos qui in

primæva paradiso versarentur; et qui primum omnium parentem sua rebus universis indentem nomina fuissent intellecturi.

Nimirum tam insigne beneficium priori academiæ obsignatos divinorum oraculorum fontes vobis reseravit, quin et arcanos cabalisticæ doctrinæ recessus, et si qua a venerabili antiquitate tradita extant sinceræ sapientiæ monumenta, et mysteria, vobis patefecit.

Nec desunt inter vos, qui Arabicæ linguæ præclaram operam impenderunt, nec indigna vestro genio diligentia, nec ingrato erga istos homines consilio, penes quos aliquando, diluvio barbarorum orbem terrarum inundanti, rei literariæ imperium stetit; et qui veterum scientias, librosque alias forsan temporum injuria perituros, sua industria qualitercunque conservatos posteris transmiserunt. Qua in re tamen adversa nobis fata caussari possumus, quæ intempestiva crudelitate virum in his rebus industriæ ac peritiæ laude eminentissimum nobis præripuerunt. Nec tamen omnino desperandum, ne vestræ indolis vivida agilitate, tanquam solis orientis almo calore obstetricanti, e demortui phœnicis Arabici cineribus novus aliquis professor linguarum orientalium nobis repullulet; cujus præclaris auspiciis ductuque, divitem, non magis gemmarum et aromatum, quam, ut nonnulli perhibent, sapientiæ et arcanæ eruditionis orientem, tuto peragrare et penetrare possimus. Ut præteream exterarum linguarum, Gallicæ præsertim, Italicæ et Hispanicæ, leve quidem sed non inutile studium, jam apud vos magnopere gliscens et grandescens. Quarum beneficio non tantum cum nostræ nimis angustæ regionis hominibus colloqui potestis, sed reliquos omnes mor-

tales ubivis gentium sapientiæ laude florentes, viros optimos et doctissimos vobiscum disserentes, suasque vobis cogitationes lectissimas communicantes exauditis; eoque pacto sua sapientia, suisque inventis reliquas gentes spoliatis, quibus Britanniam vestram, tanquam alienis divitiis vestrum ærarium, et alieno melle vestra alvearia, locupletetis. Jam eloquentiam vestram, Academici, prædicarem, si id possem præstare eloquenter; nec vererer affirmare nullibi gentium in quovis literarum phrontisterio, rhetoricam aut frequentius aut splendidius triumphare, nisi id absonum foret, me orationum academicarum facundiam ac elegantiam laudare, etiam nunc temporis coram vobis tam indiserte et parum eleganter perorantem. Quanquam, quod mea imperitia gloriæ detrimentum vobis attulit, id omne aliorum ornatissimorum virorum per hos dies rhetoricantium luculentæ orationes resarcient, et vobis tam eximiæ arti debitam laudem abunde vindicabunt: qua nempe loquelam dirigente et mens rationis lumine illustratur, et cor ineluctabili violentia ad assensum pertrahitur, et affectus mellitissimæ cujusdam voluptatis blanditiis demulcentur; et aures gratissima quadam harmonia oblectantur; et universus homo in facile obsequium, et sibi ipsi non ingratam servitutem subjugatur: ne dicam inesse eloquentiæ occultam quandam et quasi magicam potestatem elimandi hominum mores, ipsorumque animis dulcissimam quandam comitatem et exoptatissimam civili societati urbanitatem instillandi; ita ut nulla unquam gens fuisse memoretur, in qua non una cum facundiæ studio et morum elegantiæ et sapientiæ gloria elucesceret. Quo magis vos amplissimis laudibus atque elogiis estis decorandi, qui

divinam hanc et flexanimam facultatem usurpatis, non ad promovenda insanæ ambitionis studia, non ad seditiones in republica commovendas, non ad imponendum credulitati vulgari, ac idiotarum simplicitati fucum faciendum; sed quo animos hominum, salutari sane suadela, a putidissimis vanitatibus et a sordidarum voluptatum illecebris ad veræ virtutis et sapientiæ studium abducatis. Sed non magnum, Academici, neque decorum fortassis fuerit, iis de rebus felicitati vestræ gratulari, in quibus etiam improbi stolidique homines plurimum excellere possunt; quibus nonnunquam tenacem memoriam, qua multas linguas addiscere, et dexteritatem ingenii, quo concinne et copiose eloqui possent, liberalis natura impertivit: at sincero ardore ingenuarum artium, et excellentium scientiarum aviditate inflammari, divinissimas philosophiæ contemplationes deperire, atque adeo bonæ menti acquirendæ sedulo incumbere, id non nisi bonorum et sapientum virorum fuerit, non tantum egregiis dotibus a natura instructorum, sed propria indole ac judicio spontaneo ad res optimas contendentium. Atque illam esse præclaram indolem hodiernæ Academiæ nostræ, non pauca aut obscura indicia contestantur: siquidem quæ majores nostros nimium sane et fere omnino occupabat, futilium nugarum infelix curiositas, ea apud vos magnopere declinare et defervescere cœpit: quibus scil. jam non admodum allubescit, in nescio qua de entibus rationis, de materia prima et consimilibus chimæris scholasticis, otiosa et puerili contemplatione, divinam aciem ingenii obtundere, bonasque horas male collocare in ea philosophia prolixe consideranda, cujus nulla sunt principia certa et evidentia, nullæ conclusiones firmo fundamento innixæ, nulli

effectus ratiociniis respondentes; in qua nihil solidum, nihil perspicuum, nihil volupe, aut ingeniosum, nihil non aërea subtilitate et sophistica vanitate corruptum ac contaminatum. Est vero quod vobis gratulemur, Academici, sublimiorem genium, et favente Minerva, nobilius sanctiusque studendi institutum; ad scopum hunc nobilissimum collineatis, ut quicquid verum sit, quicquid pulchrum et elegans, quicquid humanæ mentis consideratione dignum, quod intellectum vel utiliter instruat, vel fideliter exerceat, vel sincero ornatu condecoret, vel pura voluptate oblectet, id omne ut flagranti opera discatis, in id assiduam meditationem impendatis. Gratulor, inquam, vobis siquæ hic adestis, adestis autem ut sperare fas est, complures excelsæ et liberales animæ, præclarum hoc vestrum propositum. Gratulor vobis justam illam et generosam judicii libertatem, vestris conatibus, vestroque exemplo nobis et posteritati assertam. Gratulor excussam vestris cervicibus stultam illam et sordidam superstitionem, scientiarum validissimum obicem, et fidissimam nutricem ignorantiæ et improbitatis: quæ dum ingeniis hominum methodos quasdam angustas, et certos quasi sententiarum cancellos præfigit, ut ea, nullo habito discrimine, quæ a majoribus nostris tradita sunt, et quæ e non nisi levibus præjudiciis hausimus, obfirmate credere debeamus; prout usum rationis a divina bonitate nobis indultæ aut valde imminuit, aut plane aufert; ut purissimam voluptatem, si qua inest liberalibus disciplinis, polluit et subducit; ut sapientiæ profectus et scientiarum impedit augmenta; prout efficit ut nos eo pacto docti, quo Hispani et Itali religiosi sunt, hoc est, non nisi memoriter et perfunctorie evadamus; ita ingenii obstinati, pervi-

cacis et arrogantis invictissimum est argumentum: quam potius hæc genuina sit et laudabilis modestia, quæ erectum ac generosum animum decet, se unius veritatis justo imperio subjicere, eam ardentissimis votis expetere, et ubivis latentem, quovis pacto, sive scrutinio experientiæ, seu rationis indagine expiscari. Erga hanc Dei Opt. Max. pulcherrimam filiam quam sincere vos sitis animati, vel propensus iste affectus indicare potest, quo nuperrime mathematicas scientias veritati unice charas dilectasque colere cœpistis. Macti estote, Academici, tam insigni et laudabili studio. Jam tandem vos serio philosophiæ operam daturos bona spes est, veritatis inquisitionem non tantum a dialecticis argutiis, sed quod antiquis philosophis solenne erat, ab iis nobilissimis scientiis auspicantes: quibus discendis et percipiendis dum attente invigilatis, non tantum multifariæ cognitionis uberrima supellectile mentes vestras ditatis et exornatis, nec solummodo inexplebilem sciendi appetitum, sane ingeneratum omnium hominum animis, at in vestris potentius ardentem, variorum subtilissimorum theorematum non fluxo et imaginario, sed solido et durabili pabulo satiatis; verum etiam, quod maximum est, ingenia vestra hac dura quidem sed minime aspera cote acuitis, quin et illa in tam illustri palæstra agitantes, sincero usui fidelis ratiocinii assuefacitis; adeoque et phantasias vestras ad res quaslibet etiam abstrusas et intricatas facile ac distincte concipiendas, nec non et intellectus vestros ad altissimarum rerum diuturnam contemplationem patienter perferendam præparatis. Enimvero indignum, et vestris auribus proculdubio ingratissimum auditu fuit opprobrium, suavissimas illas, ac omni elogio potiores disciplinas, quibus re-

periendis a majoribus nostris tam portentosa sedulitate ac mirabili felicitate insudatum est; quas divinus Plato, et magnus vester Aristoteles, et subtilissimus Democritus, et veterum sapientum chorus universus tanti fecit; per quas potissimum quantum a brutis animantibus distemus, et quam mirificæ sint vires rationis humanæ, tot tantisque indubitatis speciminibus colligimus; quæ hominum vitam tantopere ornarunt, et adhuc ulterius ornare possunt; quæ denique animos hominum tam suaviter recreant, sanctisque adeo et intaminatis deliciis perfundunt; indignum, inquam, fuit et summe deplorandum, has utilissimas jucundissimasque disciplinas, in florentissima hac æde Musarum, et veritatis omnifariæ delubro sanctissimo, in frequentia hac lectissima optimorum ingeniorum, neglectas ab omnibus et plerisque etiam extima superficie tenus incognitas jacuisse. Aliter se rem mox habituram nunc equidem sperare convenit, quum deposita hac mollitie et timiditate animi, quæ ad difficultatis cujusque speciem emergentem refugere solebat, et quæ nec simplicium alphabeti elementorum non adeo formidabilem vel pueris aspectum sustinere non poterat, robustiora jam facta ingenia vestra et quasi confirmatiora, terriculamenta ista degeneris ignaviæ, non tantum fixa acie intueri, verum et generose aggredi, et feliciter superare valuerunt. Nempe Euclidis, Archimedis, Ptolemæi, Diophanti horrida olim nomina jam multi e vobis non tremulis auribus excipiunt. Quid memorem jam vos didicisse, arithmeticæ ope, facili et instantanea opera vel arenarum enormes numeros accurate computare, etiamsi illæ non tantum, ut fit, maris littoribus adjacerent, sed etiam ingenti cumulo quaquaversus ad primum mo-

bile et extremas mundi oras pertingerent: rem vulgo miram et arduam creditu, at vobis effectu facilem et expeditam. Quid, quando geometriæ subsidio, non solum terrarum longe dissitos tractus, sed et patentissimas cœli regiones emetiri nostis, interim ipsi quietem agentes, nec loco omnino cedentes, ad prælongas regulas catenasve immenso spatio applicandas? Quid referam alios, sublimibus alis ingenii supremum æthera conscendentes, astrorum vestigiis presse inhærere, paratos districtim dicere, quam magna, et quam alta sunt; quantum sui circuli, et quo tempore conficiant, et qualem orbitam describant, quasi non cum nobis in hisce terris, sed cum superis in palatio Dei omnipotentis ætatem transigerent? Sane de horribili monstro, quod algebram nuncupant, domito et profligato multi e vobis fortes viri triumpharunt: permulti ausi sunt opticem directo obtutu inspicere; alii subtiliorem dioptrices et utilissimam doctrinam irrefracto ingenii radio penetrare. Nec vobis hodie adeo mirabile est, catoptrices principia et leges mechanicæ non ignorantibus, quo artificio magnus Archimedes Romanas naves comburere potuit, nec a tot seculis immobilem vestam quomodo stantem terram concutere potuisset. Verum scientias istas nostris encomiis longe celsiores, quamvis pro rei dignitate, et vestræ industriæ debita laude parce, utcunque tamen pro tenuitatis meæ et temporis modulo nimis liberaliter celebravi: præcipue cum orationem nostram alio pertrahere, vestrasque aures quasi vellicare videantur, adhuc siqua sunt majora studia prospere apud vos vigentia, vestræque immortali gloriæ imputanda. Naturalis, inquam, philosophiæ studia, sanctissima, suavissima et utilissima: cujus curiosa contemplatione, mea qui-

dem sententia, nihil dignius est, in quod vestri acuminis solertia se impendat; nihil ad excolendum ingenium, ad compurgandum animum, ad affectus regendos et compescendos, ad perpoliendos mores, vitæque innocentiam comparandam et confirmandam, aptius aut efficacius esse possit. Quid enim, obtestor, humanas mentes magis distendet ac amplificabit; quid ab rerum sublunarium immodico æstimio, sordidaque solicitudine fortius abducet quam immensam magnitudinem mundi cum harum exili parvitate contulisse? quid ad abjecta et humi repentia se ignobili cura incurvantem animum ad heroica desideria validius reflectet, quam mirabilis illius sapientiæ ac potentiæ seria consideratio, quarum illa in condendis, hæc in ordinandis rebus clare elucescit? quid aut tumores superbiæ facilius comprimet, aut morsus invidiæ refrænabit, quam de perfectionis divinæ divitiis, et incomprehensibili excellentia in politissimo speculo naturæ relucentibus, jugiter meditari? At eximiam illam bonitatem cogitantes, quam initio res universas condidisse, et singulas tenero amore complecti, ipsisque vigili cura indesinenter prospicere, rerum continuus tenor ad propriam felicitatem et mutuum subsidium conspirantium nos edocebit; hanc, inquam, ineffabilem benignitatem dum animo profunde imprimimus, annon quasi rapido quodam instinctu ad effigiem tantæ pulchritudinis conformabimur, et necessario ipsi comes, affabiles et benefici evademus? Jam naturæ studio quid suavius? aut quo potius se intellectus sua sponte appelleret? ubi otium suum et turbulentæ vitæ tædia quis fallat prudentius? quæ varietas gratior? quæ speculatio profundior? quod theatrum magnificentius? quis campus patentior, uti luderet ratio, et se recrearet, et placi-

dissime lasciviret? ratio, inquam, non ideo tantum nobis concessa, ut necessitatibus bruti corporis et vitæ hujusce mortalis negotiis procurandis inserviret, sed præcipue ut in quotidiana consideratione rerum sensibus obversantium, et præsertim in sui authoris dulcissima recordatione animose exultaret. Neque dum de divina hac scientia, nuper magis serio excoli cœpta, gratulor academiæ, palpum obtrudo, aut Gnathonis partes ago, vobis de re falsa et incomperta turpiter adulantis. Annon vera res sit, testor libros, quos jugi industria pervolvitis, rationem quam assidue torquetis, experientiam quam frequenter consulitis: libros, inquam, quicunque aut solide aut ingeniose de arcanis naturæ perscripti sunt. Neque enim Aristotelem solummodo, quamvis vestra lectione dignissimum, et reliquos antiquiores philosophiæ magistros; sed quæ vestra est laudabilis solertia, etiam recentiores, quicunque aut ingenii acumine, aut diligentia in perscrutandis rebus præcelluerunt, et sæpe inspicitis, et caute examinatis. Quin et oculos auriculis succenturiatis, ac duci rationi comitem adjungitis experientiam. Quando enim, obsecro, a condita academia in tot canum, piscium, volucrumque neces ac lanienas sanguinolenta curiositas sæviit, quo vobis partium constitutio et usus in animalibus innotesceret? O innocentissimam crudelitatem, et feritatem facile excusandam! Quid plantarum historiam dicam, etiam a neophytis vestris sedulo exploratam? qui vixdum ipsi in Musarum viretis radices egerunt, antequam plantarum omnium, quæcunque aut in agrorum liberis spatiis, aut intra hortorum septa adolescunt, et vultus dignoscere, et nomina recensere possint, quorum bonam partem, ut denuo in vivis esset, ipse Dioscorides ignoraret. Quæ, quamvis in

se magna, vobis parva esse viderentur, nisi et Hermeticæ philosophiæ arcanam, et præstantissimis cujusque ætatis ingeniis in deliciis habitam eruditionem affectetis: quæ sane ars sola, præter mathematicas, stupenda opera non dubia fide historiarum comprobata, experimentorum varietatem jucundissimam, et mysteria pulcherrima jactat, quæque sola non medicinam tantum, sed et universam philosophiam valde perficere et illustrare possit. Equidem novi quorum animos ad hæc studia igni chymico ferventius desiderium inflammavit: alios qui se Lullii, Villanovæ, et quæ ejusdem farinæ philosophorum extant monumenta, imo et ipsius Paracelsi obscurissima scripta se capere et comprehendere non dubitarent; ne memorem alios egregios viros, quorum magnanima audacia de Chrysopœo lapide nobilem sive fabulam sive historiam generosa fide amplecti non pertimesceret. Sane quo vos incomparabile hoc studium, conjunctis viribus, nec languidis conatibus capesceretis, utinam animis vestris et prægrandis illa spes et fortissima ambitio insiderent, quibus ipsam ingenerare magnorum aliquot virorum illustria exempla, non verba queant fluxa, et torpida oratoris tum mali, tum patientiam vestram lacessere metuentis. Unica superest moralis philosophia, quam vobis, Academici, si vestris auribus non esset importunum, prolixe gratularer. Ad quam si quid Platonicæ philosophiæ, si quid Peripateticæ, Stoicæ aut Epicureæ peritia, quam vos ex Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Plutarchi, Plotini, Epicteti, et Senecæ voluminibus hauritis; si quid optimorum virorum luculentæ præceptiones, accuratæ dissertationes, aut præsentia exempla conferre possunt, eam necesse est ut vos optime calleatis: illud saltem tacere nequeo, mihi quam certum et exploratum, inter

nultos eximios viros versari, hoc genere philo-
æ etiam animitus imbutos, ea vitæ puritate, ea
ritate morum, ea constantia et magnitudine
i, ea fide, eoque candore præditos, ut nullibi ter-
n similes, nedum pares sperem reperire. Quos
n omnes illaudatos, etiam et insalutatos dimit-
præstat, quam vestram patientiam ulterius irri-
quam sane vereor ne graviter offenderim, dum
o genio inconsulto, meum nimis presse consec-
sum, cujus culpæ cum me valde pudeat et pœ-
t, vestra tamen venia prius implorata, in tutis-
ı silentii latebras me recipio. Vos autem, Aca-
ci, tot linguis clari, tot artibus conspicui, tot
tiis ornati, valete et gaudete.

ORATIO

HABITA

IN LECTURA GEOMETRICA COLLEGII GRESHAMENSIS, LONDINI.

A. D. 1662.

SI quale mihi hodie a fortuna argumentum dicturo, talis quoque ab ingenio dicendi facultas obvenisset, ne digna quam sustineo, persona; digna loco, quem occupo; digna vestra, quam verecundis oculis obtueor, spectatissimi auditores, illustri præstantia contingeret oratio, non esset profecto quod vehementius addubitarem. Quæcunque enim, provinciam qui suspiciunt aliquam aut munus auspicantur literarium, in præfationis potissimum materiam sibi expetunt dari; seu fundatores professionis suæ fautoresque (quorum illa aut instituta cœpit auspiciis, aut opibus sublevata stetit, aut aucta crevit beneficiis) virtute præcellentes viros, et dignitate spectabiles, suoque adeo jure amplissima sibi elogia vindicantes: seu in eodem stadio præcursores, eruditione conspicuos et fama celebres, officio suo functos egregie, deque republica literaria optime meritos, quos justa non minus quam magna laude prosequantur; sive suo denique artem demandatam studio, cujus effuse possint cum utilitatem exponere, tum dignitatem prædicare, hisque eloquii velut illecebris audientium animos permulcere; illa quin omnia obtigerint dicendi argumenta, in suo genere egregia et plane summa, ut diffiteri non ausim, ita nec fateri, ut non magnopere

erubescam, adeo imparem me sentio tantis rebus enarrandis apte, nedum pulchre exornandis. Instituti siquidem nostri auctorem habeam commemorandum, (de quo nisi flagitiosum tacere, inconsultum foret dicere, adeo nostræ laudis conatus ille omnes longe supergreditur, ejusque mente potius colendæ, quam ore celebrandæ, virtutes, non tenuitatis meæ verba modo, sed vel disertissimi exuperant præconia oratoris:) virum, gradu quidem eminentem et censu præcipuum (præturam quippe, hoc est, summum qui in hac urbe, omnium quas sol aspicit maxima (certe opulentissima) obierit magistratum, suæque Crassus ætatis obtinuerit reputari), animo autem magnificentiorem multo, et benefactorum gloria insigniorem: quod me tacente ultro eloquentur saxa, claraque æternum voce proclamabit vicina moles ista, mercatorum congressui dicata, privati hominis plusquam regale opus, quodque non tantum linguæ nominantis, aut oculo intuentis, sed et cogitantis animo, nihil non regium, nihil non augustum obversatur: pulcherrimum in eo genere Londini nostri dicam, an totius Europæ ornamentum: quale quid si vetustæ innotuisset ætati, septenarium illum miraculorum adauxisset numerum, vel (quod crediderim potius) sublata omni reliqua demirandi causa, superbum illud et pene impium humanis operibus *miraculi* titulum ademisset. Neque enim non cessisset magnifico huic atrio, (permultos nobis Joves, divinos e verticibus fundentes radios, sceptrisque pariter et fulminibus instructos exhibenti,) Olympicum illud simulacrum; neque cum tot venerando regum Mausolæo unius istud Carii reguli sepulchrum meruisset comparari: quinimo portentosæ istæ (ut missa faciam cætera) Phariarum strues pyramidum, vanæ ostentationis

labores, et otiosæ specimina opulentiæ, quantum inepta magnitudine excederent, tantum decora majestate infra hanc fabricam et commodo usu subsiderent. Enimvero non ille mortuo sibi tumulum, in quo gloriose putrescerit, sed vivis ædem posteris extruxit, in qua profutura reipublicæ consilia agitarent; non cadaveri suo invidendam quietem, sed vagis antea commerciis mortalium certam sedem procuravit, centrumque defixit stabile, quo universi orbis confluerent undique negotia et convenirent; ubi quicquid naturæ liberalitas tribuit, aut artis confert industria; quicquid abdito sinu terra effundit aut patulum mare advehit opum; quicquid India impertit gemmarum, Arabia profert aromatum, aut pretiosæ supellectilis Persia suppeditat, reciprocis hinc inde contractibus colligitur atque distrahitur; quin et excussa humani generis conscientia, quid ubivis terrarum novæ rei geratur, quasque in longinquis etiam regionibus fata casuum vices moliantur, collatis ultro citroque literis, sermonibus atque sententiis disquiritur, dignoscitur, divulgatur: ut merito videatur vir ille consultissimus, non tam unius regni exponendis mercibus forum, quam generale toti mundo emporium, historiæ speculam, fortunæ templum, famæque palatium erexisse. Nec eo loci perstitit, sed vero ulterius progressa est illustris nostri (annuite, assurgite, quotquot estis auditores, tantoque debitam nomini reverentiam præstate) domini Thomæ Greshami munificentia, urbem suam tam eximio ornamento decorasse, suorumque civium tam impense cum gloriæ tum commoditati prospexisse, haud satis arbitrati, ni artium quoque cultu illorum exornaret animos, et liberalium disciplinarum luminibus collustraret: ne affluentes opum scilicet, externoque habitu

splendidi, intellectus autem inopes, animoque intus sordidi, tanquam in pompa auro onusti phalerisque insignes asini incederent. Scientiarum itaque professoribus, non unius alicujus, sed fere omnium, quæ vel ad usum vitæ aut ad voluptatem faciunt, præmia constituit (ut tunc ferebat ratio temporum, et mos vivendi postulabat) equidem satis ampla et liberalia; nec non suas illis, quas incolerent, ædes suprema moriens voluntate attribuit. O præclarum fautorem literarum! qui sibi Musas, non in facultatum modo hæreditatem ascripsit, sed in familiæ veluti successionem adoptavit; qui non sæpe tantum, dum esset in vivis, literatos comiter tractavit, sed et perpetuo eos etiamnum defunctus hospitio excipit: nec idoneum solummodo pabulum, unde vitam sustentent, at locum etiam ubi commorentur, non vile utique tuguriolum aliquod, sed magnificum hoc, charum superis, et hominibus colendum, palatium assignavit. O dignum unice, quem sui literæ genium loci habeant; sui larem domicilii colant, suæ statorem arcis uno omnes ore agnoscant! O virum denique mirifice sapientem! qui suo sacras olim incolatu ædes a vulgaribus in posterum inquilinis noluit profanari; virtutisque maluit perdurare gymnasium, quam prostibulum voluptatis, veritatis exquirendæ scholam, quam explendæ cupiditatis officinam; doctorum virorum collegium, eruditis prælectionibus canorum, quam improborum vernularum nidum, dissonis conviventium clamoribus obstreperum; tot musæis refertas ædes, quot distinctas cubiculis, totque a scientiis, quot ab hominibus habitatas: qui conservandæ suæ memoriæ ergo non cognominem sibi aliquem undicunque magnatem accivit, verum immortalibus musis nominis sui custodiam commendavit; quas non ab hac sede sua spes unquam

avara lucri eliciat, non luxus exspuat, non infortunium extrudat. Prius intereant oportet literæ, extinguatur lumen omnis memoriæ, et profundissima rerum facies barbarie obruatur, quam Greshami cesset inclarescere nomen, hisque indies sub tectis solenni cum laude personare. Attendite sultis ad hoc egregie documentum prudentiæ, immensos thesauros qui sedulo conquiritis, at frustra possidetis; quis usus sit laudabilis, qui fructus durabilis aggestarum opum; cui certo semitæ ad sempiternam laudem contendentibus insistendum sit, ut ex caducis hisce emarcidisque floribus perennis gloriæ corollam decerpatis; quo denique pacto posterorum simul utilitati consulere, vestrumque possitis ab oblivionis injuria nomen vindicare, ab hoc magistro ediscite. Cujus toties conculcatis ambulacra, illius nonnunquam vestigia quoque premite; cujusque quotidie suspicitis opera, ejus respicite aliquando exemplum; neque committite omnino, ut minus is a vobis, vestrum extruendo ad commodum, quam instruendo ad officium commeruisse videatur. Verum de tanto heröe (quem ob præstita humano generi beneficia, prisca sane, modo illis interfuisset, secula divorum choro accensuissent) sentio tandem quanto proclivius sit nimium dicere quam satis; quod hoc assequi non potuerim, cum a rei ipsius magnitudine, tum ab imbecillitate propria me excusatum volo: quod illud patraverim, a vestra veniam oportet suppliciter implorem indulgentia. Jam illustrium genere et indole virorum, (quos præsens videt ætas ac veneratur,) qui benigna voluntate favere nostris studiis suaque subinde hoc collegium honorifica præsentia illustrare dignantur, quod os tam impudens fuerit, quæ lingua adeo temeraria, ut percensere nomina audeat, nedum laudes

exequi conetur; quorum uniuscujusque vel referendis meritis non dico integra oratio, sed justa historia debetur? quorum artes ipsæ gloriari purpura, titulisque videntur superbire; quorum veritas se auspiciis in lucem protrahi gestit; quorumque natura latebris ultro prosilit suis ad serenos aspectus invisendos; nec ardentius illi hanc, quam hæc illos cupit contemplari: quibusque adeo debent studia literarum, ne diutius evilescant, ne ignobile posthac fuerit ultra vulgum sapere, et scire aliquid proletarii opus hominis, et res plebeia habeatur; quos mundum abhinc pudeat non sequi duces, non æmulari comites, non revereri authores in omnimoda eruditione permovenda; quorum denique qua lucidis experimentis, qua acutis ratiociniis, qua felicibus inventis grata se posteritas æternum obstrictam profitebitur. Styli certe mei aciem retundit tam ardui dignitas argumenti, mentisque præstinguunt obtutum tantus fulgor nobilitatis, tanta claritudo virtutis, tam nimia vis coruscantis ingenii. Sufficiat igitur nobis, nobilissimæ deliciæ Musarum, clarissimaque seculi nostri lumina, militiæ vestræ, qua naturæ difficultates subigere, et scientiarum provehere fines connitimini, gloriosæ, quod apud nos metari castra, et velut stativa ponere voluistis, honorem habitum nobis, tacito potius cultu animi et grato silentio agnoscere, quam rudi nostra obfuscare infantia, humilique eloquio temerare. Nec si, recluso temporis thesauro, illorum, qui hanc Spartam excolentes claruerunt, inde memoriam extrahamus, sese unquam dicturo obtulerunt materia justior laudum, aut copia uberior. Attestor tuum, quod nostris agmen ducit in tabulis, omni laude majus, omnique encomio celebratius nomen, doctrina, acumine, solertia præstantissime, Briggi. Tu, qui

logarithmorum illud præclarissimum artificium, non tua quidem (quod ad gloriam maxime fecerit) reperisti fortuna, sed quod æque laudem meretur, consummasti industria, atque omnibus numeris absolvisti. Quod inutile forsan adhuc et imperfectum jaceret opus, fundamenti sui ruderibus obvolutum, nisi subtilissimi tu limam ingenii, et indefessæ diligentiam manus adhibuisses. Qui densas istas numerorum phalanges dum velut in aciem ordinatim instrueres, totque immensos nobis canonas concinnares, tui temporis dispendio nostri otium redemisti, tuo labore nostrum sublevasti tædium; nostro ut somno parceres, ærumnosis teipsum vigiliis macerasti, dignus propterea qui innumerabiles a nobis, neque per tuos etiam logarithmos computabiles gratias reportares. Quid alios, dum vita suppeteret, florentes fama, nunc placide quiescentes, ab umbrarum tranquillo hospitio producerem in scenam? quos certe omnino tacitos præstat, quam male tractatos inficeta concione, et mutila cum laude memoratos. [Unum saltem gratitudo publica vetat omnino intactum præterire, stupori etiamnum nostro superstitem, geometricam hanc qui nuperrime, (ni fallor, et sane fallar haud invitus,) nunc astronomicam Oxonii cathedram meritissime occupat ornatque, a facillima nescio divinitate ingenii, an a suavissima morum humanitate magis commendandus (id certissime constat ut præcociores neminem unquam prætulisse spes, ita nec maturiores quenquam fructus protulisse) prodigium olim pueri, nunc miraculum viri, imo dæmonium hominis; atque ne mentiri videar, suffecerit nominasse ingeniosissimum et optimum Christopherum Wrennum: de quo ne plura addam, cum virtus facit ejus toti spectata mundo, vobisque intimius explorata,

meisque adeo attenuanda potius, quam amplicanda encomiis, tum delicatum viventis, ne rudius offendam pudorem, meamque simul in tam luculenta materia prodam temere infantiam.] Præsertim quando, omnem hodie qui apud me paginam jure repleturus videbatur, supersit adhuc, et ah! utinam laudi potius nostræ, quam luctui superesset, antecessorum ut tempore postremus, ita nulli merito postponendus; vir infeliciter, ne dissimulem, mihi non nisi de longinquo et famæ tantum beneficio cognitus, famæ tamen haud vulgaris, aut dubiæ, sed optimorum complurium et sapientissimorum virorum consona authoritate subnixæ; quo paratiorem mea verba, non ab affectu privato dictata, sed veritatis vi expressa, non amicitiæ juri debita, sed virtutis reverentiæ data, sibi fidem deposcant. Quid enim, qui virtutum suarum segniter animos irritanti fama non admodum credulæ facilitatis homines admiratione perculit, corripuitque amore; qui sibi necdum visos, penitusque ignotos studio devinxit sui, et desiderio inflammavit, qualem quantumque esse virum oportuit? Tui certe simillimum, divine Laurenti; utpote in quo cum omnigena scientia rerum incorrupta probitas morum, cum intelligentia magis quam virili plusquam virgineus pudor, cum sagacissima prudentia candidissima simplicitas, cum profunda soliditate judicii perspicax acumen ingenii, cum vivida alacritate mentis invicta laboris patientia, cum illibata denique severitate vitæ suavissima conversandi lenitas, raro quodam et vix credibili temperamento conspirarint. Non unius is scilicet, aut alterius scientiæ tenui rore aspersus, sed omnium fuit denso imbre perfusus, nec extimam duntaxat cutem rerum perstrinxit notitia, sed abstrusissima viscera pervasit. Ut præter mathesin,

peculiari jure suam ultraque quam dici fas sit sibi perfectissime intellectam, nullam non potuerit liberali dignam indole disciplinam profiteri. Theologiæ imprimis mysteria diligentissime perscrutatus est, sacrarumque in secretiores recessus literarum, ut pauci fere alii, altissime penetravit; ad id præstantissimum genus studii, non ut plerisque usu venit, spe quapiam mercedis allectus, sed bonæ tantum mentis generoso impetu abreptus. Medicorum, etsi non filius, familiaris admodum fuit, præclaræ istius facultatis cum peritissimo quovis haud injuria conferendus. Juris quam consultus fuerit, non perinde compertum habeo dicere: illud audacter pronunciem, justitiæ fuisse prudentissimum, nec legum omnino scripta ignorare potuisse, quarum fuerit præscriptis tam integre obsequutus. Jam linguas (quod in homine philosopho quis miretur impense) ita percalluit eruditas, adeoque ab omni humaniore literatura exquisite instructus fuit, ut egregius omnino criticus meruerit censeri, nisi quod a supercilio prorsus omni et pædagogico fastu nimisquam alienus. Historias enim plerasque omnes non oculo tantum perlustraverat, aut manu triverat, sed menti penitus insculpserat; oratores et poëtas præcipuos evolverat sedulo, perpenderat acri judicio, et fideli erat memoria complexus. Fastidio sim, si levioribus istis (quæ tamen alii gravissima ducunt) sigillatim immorer commemorandis. At philosophiæ omnis quam apprime gnarus, quam in naturæ fuerit observandis phænomenis solers, in causis pervestigandis sagax, in detegendis erroribus promptus, in confirmanda veritate certus, in alienis dijudicandis sententiis ingenue accuratus, in suis discutiendis rigide circumspectus, vos cito testes, vos appello judices, quorum novisse illum propius, et

æpius philosophantem auscultasse tam dandum est elicitati, quam meo deputandum infortunio, tanti beneficii permansisse exsortem. Unicum occurrit dilaudandum nescio magis in eo, an reprehendendum, altem maximopere deplorandum, quod scientiæ pandæ cupidior, quam curandæ valetudini intentior, lum nimio veritatem studio quæreret, vitam amierit, et sapientiæ maluerit occumbere martyr, quam aturæ mori debitor. Immodicis quippe vigiliis dum ugitantia consectaretur astra, in medio quasi fatisens cursu defecit; dum perplexos syderum gyros xplicaret, lethalibus ipse laqueis concidit irretitus: nimam ut videatur cœlesti luce commutasse suam, nque illos, quos contemplatus est, orbes transmigrasse. O vanos semper, et mendaces astrologos! O funestum Jovem, Jovisque comites luctuosos! O œlos immites, et stellas enormiter ingratas! hancine vestri studiosis observantiæ gratiam refertis? hac cultores vestros mercede compensatis? huc tot insomnes vobis curas impendisse? revelasse vestram invidendam, scilicet, et inconspicuam mortalibus pompam; vestrosque in ordinem incompositos cursus redegisse? Ut Galilæum detectorem lucis vestræ, llorum, quibus vos primus aspectavit, oculorum vivum etiam spirantemque mulctaretis usu; hunc Galilæi supparem, digestorem motus vestri, vitali penitus, vixdum senii ingressum confinia, aura privaretis. Valeatis itaque per me licet, et sempiternis posthac immersæ tenebris, erroribusque implicitæ, nullo observante, inglorio stipatæ satellitio, iners urriculum transigatis; dum vestris nos interea puriores radiis, constantiores motibus, benigniores influxibus, occidui nostri luminaris mores contemplamur. Etenim ut aliorum is scientiam sua, ita suam

ipse videtur scientiam virtute supergressus; non musis acceptior quam gratiis, imo (si tantas indivulso res connexas fœdere committere fas sit) a morum amabilior dulcibus illecebris, quam ab ingenii eximiis dotibus mirabilior. Reticebo quas cum aliis, opinor, paucis communes obtinuit, justitiam, temperantiam, constantiam animi, et sordidarum rerum despectum; illas saltem virtutes leviter perstringam, quæ singulares in eo et infrequenti prorsus exemplo emicuerunt. Modestiam imprimis, in tanta indole, in tam consummata eruditione, in tali opinione hominum, summam et plane incredibilem. Aliis quippe qui ad invidiam usque sapere, sibi quasi desipere videbatur; cui nemo non esset secure innixus, suo ipse solebat judicio diffidere; suasque ultro dotes silentio obtegebat, quas intempestiva plerique student garrulitate ostentare: profundo flumini haud absimilis, tacito labenti alveo, magnamque vim aquarum nullo cum strepitu deferenti. Thesaurus illi inerat locuples, sed (ut fieri assolet) alte defossus, non quidem perfunctorie inspectanti obvius, sed nec curiose scrutanti inaccessus: neque enim suas suppressit invide facultates, sed occultavit modeste; non opes animi avare detinuit, at provide dispensavit; ut non importune cupidus alieni sensus, ita sui non temere prodigus; liberalis tamen, et paratus sciscitanti respondere, idque accurate, et paucis, oraculi instar, non effutientis multa, sed certa prodentis. Linguam stricte cohibuit, non animum penitus occlusit, quem saltem pulsanti facile aperiret: apud se mansit potius, quam a se alios prohibuit, nedum domum suam communivit ab hospitibus, quos tamen lubentius adventantes excepit, quam jactantius invitavit. Sane e re esset humana, ut multos habemus dicendi ma-

istros, ita nonnulla quoque tacendi documenta ex-
re: proponamus igitur hunc nobis saluberrimæ
isciplinæ præceptorem: neminem maledictis inces-
re, nedum conviciis quempiam proscindere; nullius
etrahere merito, aut famæ obtrectare; non efferre
: insolenter, nec inaniter altercare; non in aliena
: ingerere negotia, nec malignos undique rumus-
ılos aucupari: non indigestos præcipitare sermones,
ec præpropera velocitate linguæ mentis sensum an-
ire; ab hoc fructuose licet addiscant exemplo, qui
icendi methodum callent, modum ignorant. Sed
ero modestiam nisi ab animo rectè composito, et a
ncera judicii æquitate profectam, aut taciturnitatem
isi cum summa fide conjunctam, aut gravitatem
uis nequicquam laudibus efferat, nisi insigni qua-
am comitate temperatam. Atqui illo a veteratoria
emo astutia, a malitiosa fraude, ab improbo erat
ıco immunior; judicia nemo sua exactiori trutina
ensitabat; affectusque nemo strictiori fræno com-
escebat; nulla bilis æstuabat intemperie, nullo li-
ore turgebat, expers degebat omnis odii, et a dis-
ordia vehementer abhorrens; mente semper pla-
idus, vultu serenus, convictu innocens, mansuetus
lloquio, neminem ut unquam aut aspectu terreret,
ut facto læderet, aut dicto lacesseret.

Hominem plane diceretis ad Stoicæ virtutis ideam
ıormamque efformatum; detersa tamen ista moro-
itate inconcinna, et rigida morum asperitate per-
ecte delævata: ad conversantium quippe nutus,
uasi stabili semper ipse in æquilibrio positus, facile
emet inclinabat; non tam suo promptus indulgere
enio, quam alienæ voluntati obtemperare; nec alias
ibi unquam impensius placens, quam si quando
onvictoribus suis minime displiceret. Quo minus mi-

randum sit cum tot amplissimis et ornatissimis viris tam arctam illi necessitudinem, intimamque adeo amicitiam intercessisse; utque reliquis omnibus aut cultoribus virtutis, aut fautoribus doctrinæ, sic excellentissimo imprimis Marchioni, Mecœnati pariter maximo, et peritissimo Mystæ literarum, non gratam modo consuetudinem ejus, sed et charam extitisse.

Cui tanto placuisse viro licet ultima non sit laus, supremum tamen merito in tanto laudum cumulo fastigium occupasset, clausissetque agmen nobis, nisi quæ reliquas ejus coronavit imo consecravit virtutes, eximiam in Deum pietatem, impium esset præterire. Hunc præsertim unum hodiernorum gigantum insolescenti possimus proterviæ obtendere, contemptæ religionis suo exemplo assertorem, suo suffragio vindicem acerrimum. Nam divini numinis non dico abdicare cultum, sed inficiari existentiam; mundum autumare non ab aliquo sapienti opifice conditum, verum sponte nescio quo pacto sua emersisse, cæcoque impetu ferri omnia, non a provido consilio gubernari; hoc est, seculorum omnium historiæ derogare auctoritatem, nulliusque non sensus nostri apertis testimoniis refragari, unicum jam specimen haud vulgaris ingenii, unicum habetur (proh superum hominumque fidem!) divini prorsus acuminis argumentum. Quod si millies mille convicti indiciis, milliesque adhuc totidem beneficiis devincti, nec meritam illis fidem, nec debitum his profiteri obsequium recusamus, ludibrium statim debemus, acutissimis scilicet istis, (imo omnium potius ineptissimis mortalium,) ceu stipites ac asini hebetes ingenio, expertes judicii, solennia delirantes. Atqui horum, opinor, nemo exstat usquam, qui, quam fuit

pientissimo huic philosopho, aut captum queat sublimiorem ingenii, aut confirmatius exercitium rationis, sine immani sibimet cum stultitia tum superbia arrogare. Desinant itaque hoc experimento submoniti spurii isti philosophastri, credentibus Deum omnibus volentibusque stuporem imputare mentis, judiciique inopiam exprobrare; cujus non poterant non æmulari eruditionem, non agnoscere prudentiam, non suspicere integritatem, illius pudeat illos sententiæ tam impotenter obloqui, tam ferocule insultare; evadantque tandem talis intuitu exempli vel magis pii, vel modestius impii. At theologico rectius e suggestu meruit pietas illa luculentis exornata encomiis humano generi ad imitandum promulgari, quam ab humilioribus hisce rostris meo infimi oratorculi deonestari præconio. Imo ignoscas oportet mihi, sanctissime μακαρίτα, tuas quod ego virtutes, fide creditas tantum, non usu cognitas, ullatenus attigerim; hoc est, quod cæcus clarissimam lucem depingendam, surdus suavissimam harmoniam susceperim deprædicandam. O si viventis intueri vultum amœna luce circumfusum, si observare gestus placida gravitate compositos, si degustare sermones tuos mellea salubritate conditos; si jucundissima tua consuetudine frui, istoque guttulas aliquot ab inexhausto gurgite scientiæ mihi depromere licuisset, tuo forsan pectus imprægnatum afflatu concepisset aliquid simile tui, tuo os imbutum nectare te dignum aliquid profudisset.

Nunc vereor admodum, ne satius fuisset amaro tantum fletu, quam insipida tibi oratione parentatum. Suffecisset utique nuda mentio tui non excitasse mentes modo, et commovisse affectus, sed universis confestim audientium oculis lachrymas ex-

cussisse, quam ex præmaturo obitu tuo irreparabile damnum sustinuerint literæ, quam insolabili mœrore affecti sint familiares tui, quam immedicabile vulnus inflictum sit huic societati, tristi secum memoria recolentium. Damnum, inquam, irreparabile literis, et huic eruditæ societati vulnus insanabile: neque enim de me in ejus locum utcunque suffecto aliter debetis existimare, quam infantulum Herculi, pumilionem Atlanti, Phaetontem Phœbo quendam successisse. Ego tuam, Laurenti, imbelli dextra clavam contrectem? Ego oneri tuo invalidos humeros supponam? Ego currus tuos conscendam arduos, istasque tanti muneris, tuum quæ exercuerunt brachium, imperita manu habenas temperem? Te ego, totque alios consummatos eruditione, claros scriptis, immortali fama prælustres viros misellus tenebrio excipiam? cui ad hæc feliciter attrectanda studia captum natura perexiguum, occasio pauxillulum otii, subsidium fortuna plane nullum subministrarit; nec ullus cui fuerit unquam aut alacer impetus animi, aut vigor fervidus ingenii; sin aliquantulus fuit, diuturno neglectu deferbuit omnis, et languida incuria contabuit; sponte sua interiit, rerum fastidio ceu febre correptus, aut sortis angustiis præfocatus expiravit: cui ab omnibus bonis literis tot annos exulanti, barbaros Scythas inter et incultos Sarmatas versanti, peragranti terras, trajicienti æquora, cum utriusque elementi periculis, cumque gravioribus infortunii procellis conflictanti, tantum temporis detritum est, tantumque defluxit, exilibus nugis occupato: qui ex quo, infausto errore perfunctus, conquiescere cœperam, in grammaticum mox pistrinum detrusus, et vocularum miserabili aucupio damnatus, mathematicis protinus scientiis, et philosophiæ omni

(unam forsitan moralem excepero) nuncium remiserim, imo bellum denunciaverim, vale saltem (ut mihi videbar) æternum dixerim. Cui proinde a multo jam tempore nil lectum novi huc spectans, nil de industria visum, ne quidem per transennam, nihil omnino auditum, nisi tenui fama, et ad invitas aures perlapsum: nec cui aliquid modo novi non adest, sed nec integri quicquam superest, præter rudera quædam dudum collapsæ ædiculæ, et miseras veteris naufragii reliquias. Ut plane videar mihi, tanquam ex Platonico specu, in hanc tot clarissimorum syderum insolitam lucem emersisse, non equidem ut doceam aliquid, sed ut omnia stupeam; illud autem præcipue, in me conjici oculos vestros, ad me dirigi aures, me expectationis vestræ scopum designari; cathedram denique hanc a me obsideri, indigno, qui in communibus vobiscum subselliis consistam, qui discipuli vestri privilegio gaudeam, nedum professoris titulo insigniar. Enimvero ex hoc edito loco in istam tot subinde tritam doctissimis viris aream pudibundos oculos demittere nequeo, ne tremula caput meum vertigo corripiat, ne immane discrimen exhorrescam, ne illius, quæ me huc evexit, incredibilis audaciæ conscientia percellar. Quanquam audaciam meam non est, quam facilitatem nimiam quod tantopere incusem; qui timidus hanc provinciam et reluctanti genio invaserim, non tam animo meo morem gerens, aut proprio fretus judicio, quam illorum, qui apud me et amicitia, et beneficiis, et dignitate plurimum potuerunt, consiliis adductus, hortatibus impulsus, imperiis coactus. Utcunque de illo, quod meo mihi jumento accersiverim, malo ut quiritari vanum, ita nec resipiscere opportunum fuerit, eatenus progresso, unde pedem referre pudor vetat.

Non deserendum est tam solenni arbitrio præstitutum vadimonium. Jacta est alea; tansivimus rubiconem: credidimus fatis, utendum est judice ferro. Ingresso pugnam jam nec receptui canendum, nec ab assignata statione temere recedendum est. Quin potius cum hoste fortiter conserendæ manus; abjicienda desperatio, propulsandus timor, spiritus confirmandi, nervi intendendi, omni ope enitendum est mihi, acceptis partibus ut defungar strenue. Studio supplendus est defectus ingenii: quod ab usu deest, cura compensandum est. Litandum est audentium adjutrici fortunæ, et contrahendum cum superis, siquidem vera aiunt, omnia labori vendentibus. Subsidio denique mihi comparanda est diligentia, vestro ut aliquatenus decori consulam, meoque ut officio satisfaciam; præcipue vero, consultissimorum virorum, quorum consentientibus ad hoc quicquid est Spartæ administrandum suffragiis delectus et deputatus sum, ne de me conceptam spem deludam penitus, et prolatum judicium dehonestem; quorum proinde amplissimum favorem quam verbis nunc parce agnoscam, tam semper animo prolixe persentiscam, hanc saltem quoad potero factis gratiam relaturus, ut officio præstando dum gnaviter et pro virili mea incumbo, efficiam quadantenus ne videantur ipsi de me aut sperasse temere, aut perperam statuisse.

Quinimo institutum hoc nostrum quo lubentius aggrediamur et persequamur lætius, animos addat timidis, et tardis subdat aculeos, illius, cui operam addicemus, disciplinæ ingens utilitas insignisque præstantia. Neque enim spinosis tenellas mentes subtilitatibus excruciare, aut futilium tricas argutiarum innectere; non steriles conserere rixas, ludi-

croque cum larvis certamine velitari: non volaticas insequi chimæras, evanidasque passim per lubricos calles venari conjecturas: sed manifesta adstruere principia, certas conclusiones elicere, utiles regulas condere, jucundasque nobis incumbet quæstiones expedire. Curæ siquidem nostræ fundus committitur excolendus, tot artium fœcunda parens, tot scientiarum inconcussa basis, tot in rem humanam commoditatum perennis scaturigo, geometria: cui scilicet uni æquum est, ut præcipua vitæ oblectamenta, præsidia salutis, incrementa fortunæ, operæque nostræ compendia accepta referamus: quod eleganter et commode habitamus; quod tutis ab hostili incursione vallis protegimur; quod per infidos fluctus secura commercia celebramus; quod agrorum pacifice fines dispescimus; quod momenta ponderum æqua lance expendimus, justaque suum cuique mensura dispensamus; quod vastas susque deque, quo volumus, levi digito moles versamus, immanemque rerum perpusilla vi resistentiam profligamus: quod speciosis spectaculis et concinnis ocellos simulachris oblectamus; quodque harmonicis auriculas concentibus delinimus. Quod terreni faciem orbis delineamus accurate, remque mundi publicam nostro universam conspectui subjicimus. Quod temporis fluxam seriem apte digerimus, et rerum vices agendarum debitis intervallis distinguimus. Quod cœlestium radiorum in usus nostros subtilem efficaciam derivamus; quod mente demum superos accedimus; imo superos admovemus nobis; nostraque neutiquam a tellure disjuncti per æthereas libere regiones spatiamur; leges ipsis præscribimus inviolabiles cœlis, et vagos syderum circuitus certos intra cancellos coercemus. Ut præteream in palæstra rationem

nostram geometrica cum ad valide intorquenda argumentorum tela, tum ad caute declinandos sophismatum ictus, cum ad nervose disserendum, tum ad solide dijudicandum, ad prompte inveniendum, ad recte disponendum, ad dilucide explicandum, utilissime exerceri: nec non ad attentæ meditationis perferendum tædium, ad alacrem cum objectis difficultatibus conflictum, ad pertinacem in studiis solertiam, usu componi mentem, et robore confirmari: instabilem hac et inæqualem phantasiam quasi saburra librari; hac fluctuantem anchora figi; hac desultoriam orbita contineri. Luxurians hac ingenium ceu falce castigari; obtusum hac cote exacui; præfervidum hoc fræno reprimi, torpidum hoc stimulo excitari; nulla clarius lampade per cæcas naturæ ambages, nullo certius filo per tortuosos philosophici labyrinthi anfractus vestigia regi incedentis; nec alia demum bolide veritatis fundum facilius explorari. Ne dicam, hinc quam varia rerum cognitione ditetur, quam multiplice perpoliatur ornatu, quam salubri pabulo nutriatur animus, et quam sincera voluptate perfundatur. Nam illius quæ cœlos, quæ terras, quæ maria permetitur scientiæ, nulla juste limites describat, nulla plene complectatur utilitates, nulla penitus laudes exhauriat oratio. Et alioquin in materia decantata ab omnibus, et vobis intimius perspecta, improbe stolidus sim, si aut meam frustra abutar operam, aut vestram ulterius violem patientiam. Quanquam haud mediocrem jure meo possim in geometriæ auditoribus patientiam exigere; facilemque debeam utcunque a vobis veniam impetrare, si (quod felici cedat augurio) optimum me hodie præstiterim geometram, hoc est, pessimum oratorem. Dixi.

ORATIO PRÆFATORIA

IN

SCHOLA PUBLICA MATHEMATICA,

MART. 14, 1664.

UT conquieverit paulo solennium negotiorum æstus, et restituta tantisper rebus vestris tranquillitas dandis accipiendisque novis animos apparaverit vobis, aures patefecerit; attendite sultis (academici) insolitæ rei quiddam, et prodigii non absimile denarrare gestienti. Affulsit nuper: quidnam? inquietis: an dirus cometes funestorum casuum prænuncius, cujusmodi plusculos indies (vel invito cœlo) fanaticorum capitum distorta contuetur acies? imo novum, at beneficum sydus, vero pariter ac fausto jubare scintillans, quale nullum constat a multis annis supra horizontem academicum emersisse; cujus ego nunc ut dimetiar magnitudinem, motus explicem, præsagiam eventus, non vanus utique huc prodeo astrologus. Vultis edisseram clarius? Quam iniquum sit in literas, erga literatos invidum ingratumque audiat hoc seculum, ignorare nemo potest, qui vel ad illarum calamitosam sortem obverterit oculos, aut ad crebras horum querelas non prorsus obsurduerit. Quo demiremini magis, qui tristes hac tempestate Camœnas respiceret; istam infami seculo labem abstergeret; elanguentibus studiis vigorem inspiraret; obductam longa desuetudine, nullisque

jamdudum vestigiis signatam benefaciendi semitam retegeret, eximium tandem comparuisse Mecœnatem; nedum titulo tenus, ut fit, sed ipsissima re Mecœnatem; non qui nudam ostentarit gratiam, at solidam operam impenderit literis, non ipsas benevolo tantum affectu, sed munifica quoque manu sit prosecutus: cujus ego viri ut laudes efferam, ut virtutes deprædicem, utinam mihi congrua tantis meritis verba, par tali materiæ eloquium obtigisset; neque de adeo prælustri argumento tam mihi arduum esset digne fari, quam nefas est omnino tacere. Utcunque cum publicæ gratitudinis intersit, meique præsertim id exigat officii privati ratio, etsi facultatem præstare non possum, voluntatem tamen ostendam, aliquo saltem (imperfecto licet et inconcinno) elogio præclari benefactoris memoriam cohonestandi.

Fuit is (assurgite quotquot estis auditores, tantoque debitam nomini reverentiam exhibete) Henricus Lucas; Lucas, inquam, martiam simul virtutem effulminans, et Palladiam sapientiam blandius expirans nomen; belli togæque laudibus utramque paginam historiæ repleturum, futurumque apud posteros an heroicæ fortitudinis nescio, vel divinæ munificentiæ exemplis celebratius. Henricus Lucas; vir a prosapiæ dignitate prolixe commendandus (utpote qui prænobiles familias proxima sanguinis agnatione contigerit) nisi quod amplitudini generis potior animi magnificentia detraxerit, et virtutum excellentia natalium splendorem obumbrarit. Modicas illi facultates nascendi sors attribuit, quasque etiam pupillo litigiosi fori subtraxit importunitas, jurisque injuria surripuit; prospera fati iniquitate, ne scilicet inconsultæ fortunæ potius, quam laudabili solertiæ sua vel honeste vivendi copia, vel gloriose benefaciendi fa-

cultas posset imputari. Etenim a parentibus transmissas possidere divitias, puræ felicitatis est; acquirere sibi, perfectæ laudis: quæ aliunde quis acceperit, aliis impertire justæ restitutionis speciem habet; suo autem labore parta comiter elargiri, titulum merito præ se ferat liberalis beneficii. Maximam inde partem gloriæ casus decerpat, integrum hinc sibi virtus adjudicat. Talis noster, sortis auctor propriæ, suæ virtutis hæres, privatæ soboles industriæ, ex angusta re ad amplas opes enisus, ab humili statu in spectabilem gradum evectus est. Quo pacto, scisciteminí, quibusve fretus adminiculis? an rapinis grassando, fovendo lites, merces commutando, illiberales quæstus exercendo? nulla harum, sed innocentissima ratione, probatissimis artibus, quibusque natura homines ad propulsanda vitæ incommoda sanctissimis armis instruxit, elegantia ingenii, linguæ suada, morum probitate. Amplissimo nempe Collegio Sancti Johannis, (quod cum innumeros addixerit ecclesiæ, permultos reipublicæ commodarit insignes viros, nullum, reor, academiæ enutrivit utiliorem alumnum;) huic, inquam, feraci seminario implantatus, adeo feliciter adolevit, ita bonis artibus ingenium excoluit, probis animum imbuit moribus, ut cum nulli non aptus muneri, quavis promotione dignus videretur, id saltem assecutus est, ut in illustrissimi comitis Hollandiæ (viri præcipua apud serenissimum regem gratia florentis, et cancellarii vestri (summis etiam proceribus invidendo) tunc honore præfulgentis) familiam ascitus, secretioribus ejus consiliis et literis (qui potissimus est et perquam honorificus apud optimates clientelæ locus) admoveretur; quam adeo singulari dexteritate, sinceritate, diligentia Spartam exornavit, ut neutiquam mirandum sit, dum patroni res

procuraret optime, suis ipsum non pessime prospexisse, bonæque frugis aliquid e tam copiosa messe proprium in horreum reportasse. Sic amplificato per honestam solertiam censu pari prudentia decrevit uti, nec egregii laboris fructum sibi passus est elabi turpiter, infeliciter abortire. Non in splendidos illum luxus erogavit, nec in fœdas profudit voluptates: non (sicut plerisque nunc usu venit opulentis) otiosorum vernularum stipavit se frequenti satellitio, nec magnificos conviviorum apparatus adornavit: non popularem impendiose captavit auram, nec politicis semetipsum factionibus immersit: at vitæ genus frugale, modestum, tranquillum amplexatus, sapientiæ ac pietati vacans unice, modici temporis erga se parsimoniam coluit, ut sempiternam versus alios liberalitatem exerceret. De prole suscipienda, vel stirpe sua propaganda parum solicitus, patrem se egenis præstitit, suis Musas penatibus ascripsit, universos sibi posteros velut adoptavit; neutiquam id sibi pensi datum arbitratus, ut unum aliquem efficeret signiter locupletem, sed ut plurimorum necessitati subveniret, omnium industriam compensaret, nec ut privatam domum adimpleret copia, sed ut totum genus humanum scientia collustraret. Quanquam haud videri debet vel familiæ suæ neglexisse decus, aut famæ sui nominis ullatenus offecisse, quibus adeo durabilia constituit monumenta, quarumque memoriam immortalibus Musis commendavit. Nam accurata modo lance rem perpendamus, non alia quacunque via generosæ propaginis gloria seipsam disseminet latius, aut radices suas altius infigat æternitati, quam literarum sibi favorem demerendo; quibus ipsum scilicet tempus suarum rerum custodiam assignare, conscientiam solet accredere;

quarumque semper indefesso spiritu canora famæ buccina inflatur. Intereant oportet literæ, lumen extinguatur omnis memoriæ, diffusissima barbarie rerum facies obruatur, quam Lucasianum cesset inclarescere nomen, inque hoc perpetim illustri gloriæ theatro solenni cum laude personare. Sed neque justitiæ minus in hoc proposito quam prudentiæ specimen elucescit: aliquid a prosapia sortitus est lucis, plus in illam splendoris refudit; tenue patrimonium a majoribus accepit, larga cognatis munera redonavit; amicorum benevolentiæ fœnus amplum retulit; neminem de se bene meritum non vicissim bene faciendo superavit. Quod si literarum præsertim auspiciis suprema cum fortunæ suæ præsidia, tum animi ornamenta consecutus sit; si Academiæ, parenti vitæ melioris initium; magistræ virtutis, qua emicuit, disciplinam cultumque, quo excelluit, ingenii; fautrici demum, eximium dignitatis suæ debuerit incrementum; quamobrem non meritissimo jure parem illis rependeret gratiam, mutuis hanc officiis devinciret? Quid enim, Academiæ nomine semel atque iterum ad suprema regni comitia destinari; senatoria purpura decoratum literati populi causam agere, tutelam suscipere, personam sustinere; vestrum (hoc est, ipsissimum sapientiæ) corpus repræsentare; vestro gravissimo judicio probari, deligi, claris competitoribus anteponi, num parvi pendendum decus est? imo quolibet pretio pluris æstimandum, nullis non fastuosis titulis præferendum. Atque, utinam, Academici, sic perpetuo cum rebus vestris comparatum esset, quos educatio sua in sublimiorem extulit gradum, quosque consimili benevolentiæ testimonio afficitis, ut ii pariter evadant erga vos animati; ut sæpius judicia vestra tam auspicato colliment, beneficia

vestra tam recte collocentur: non ita liberales scientiæ pabuli inopes, honoris exsortes marcescerent; nec dignis modo præmiis, at necessariis etiam subsidiis destituta studia languerent. Enimvero solus ille jam a plurimis annis ab injuria literas protexit, a contemptu asseruit, ab inopia liberavit; opera sua adjuvit, opibus adauxit scientias. Iniquis siquidem illis et infaustis temporibus, cum proventibus Academicis avida barbaries inhiaret, onera cum imponeret omnibus, et gravissima undicunque tributa corrogaret, causam ille vestram tutatus est acriter, immunitates vestras strenue propugnavit, annisus est vehementer, et multum effecit, qua consilio, qua eloquio suo, ne toga sago fieret vectigalis, ne Martis furor Minervæ fundum depasceret; ne honestis artibus fovendis dicatæ opes ad sustentandam nefariam tyrannidem, ad improbos ausus promovendos perverterentur. Ita clypeum se vestrum tunc objecit importunæ nequitiæ, gladium postea vobis adversus inscitiam accincturus; averruncavit a vobis exitiale damnum, mox insigne lucrum adjecturus. Quippe mortalis curriculi cum extremam pene metam se attigisse præsentiret, ut beneficio saltem perduraret superstes, nec prodesse vobis cessaret etiam cum vivere desiisset, cœpit animo versare secum, et cum amicis consilium inire qua potissimum ratione studiis vestris quam optime posset consulere; cumque qua parte debiles essetis maxime, idoneis illam præsidiis firmare, vulneribus vestris opportuna remedia applicare, defectus supplere, damna resarcire statuisset, omnia circumspicienti succurrit imprimis dignissima beneficentiæ materia, mathematicæ disciplinæ; quas cum insignis commendet utilitas, ingenuæ delectationi adjuncta; cum ipsarum peculiaris difficultas auxilii

plurimum efflagitet; cum ipsas veteres sapientiæ magistri præcipua cura excoluerint, omnis ævi hominęs ingente plausu exceperint, præsens autem ætas in extremis deliciis habeat; mirandum nescio magis an dolendum sit, in hac omnium disciplinarum fœcunda matre, omnium studiorum benigna nutrice Academia, nullum ferme hactenus illis concessum fuisse locum, nullum assignatum præmium, nullum patrocinium indultum. Tantum dedecus amoliri studens, et quo jacentes scientias instauraret, adjutricem illis subministravit manum, Professione mathematica suis auspiciis instituta, suis opibus liberali stipendio dotata. Quinetiam cum Bibliothecæ vestræ sublati libri Lambethani acerbissimam plagam inflixissent, persanavit illam (saltem valde mitigavit) substituta sua, minus lauta quidem, nec perinde magnifica, sed æque lecta, pariter pretiosa suppellectile libraria, insigni illo tam eruditionis suæ monumento, quam adjumento vestræ. Quæ benefacta cum nullis amplificari verbis, nullis queant coloribus illustrari; idemque plane sit illa simpliciter recensere, ac fuse celebrare; vobis potius committam gratifico mentis sensu recolenda, quam mihi desumam rudi encomio temeranda. Adnotare saltem liceat, (obiter atque strictim,) quum (sicut assolet fieri quod prætermissa matre benignius tractentur filiæ) plures in singula collegia pronum affectum contestati sint, prægrandia dona contulerint, nullum hactenus universæ Academiæ tam officiosum filium, gratum alumnum, munificum patronum obvenisse: quorum tamen illud tanto angustioris animi, tanto exilioris est meriti, quanto publicus sol domesticæ lampadi prælucet, quantoque augustius est beneficum influxum ad omnes diffundere, quam in paucos derivare. Itidem, ut

alii majora præstiterint, nostrum sua prudentius dispensasse, siquidem opportunissimo tempore, cum res vestra (diutius neglecta) conspicui favoris indigeret, et deplorata conditio literarum validam opem imploraret, ad usus summopere necessarios, quibusque nescio turpiusne fuerit an damnosius vos hactenus caruisse: alios denique beneficio plurimum, neminem æque de vobis exemplo meruisse: quando nimirum illi pro temporum ingenio, et seculi sui moribus obtemperantes, vigentibus gratia literis acclamarint; hic adverso suæ ætatis genio obnitens, invidia laborantes et expositas opprobrio literas ausus est favore complecti, dignatus est prosequi reverentia: tritum illi callem ingressis comites se vel pedissequos adjunxerunt; per aviam hic solitudinem dux sibi, nemini socius incessit: spes isti vegetas foverunt studiorum, hic prostratas erexit, pessundatas restituit, pene sepultas exuscitavit: florentem illi suorum temporum famam sustinuerunt aliquatenus, aut tantillum promoverunt; suum hic seculum nedum insigni honore affecit, sed a gravissima infamia vindicavit: a vulgaribus adeo benefactis vulgarem illi laudem adepti sunt; singularem vero noster a singulari beneficentia consecutus est (certe commeruit) gloriam: antecessorum is utique merita supergressus est longe, palmam certo præripuit successuris: ei juxta debemus, quæ fecit ipse, quæque deinceps alii similia facturi sunt debebimus; quibus, ut patrocinio sublevarent literas, faustum omen præbuit, lucidam facem prætulit, apertam viam præmonstravit: neminem ut posthac pudere possit impensæ Musis libetalitatis; omnes vero pudere debeat viri talis auctoritatem non sequi, tanti ducis vestigiis non insistere. Verum in immensæ orationis pelagus improviso de-

vehor longius, et plane sentio quanto proclivius sit (argumentum nacto tam nobile, tam splendidum, tam liberale) nimium dicere, quam satis: contraham igitur vela: sic tamen, ut vestram prius, præstantissime μακαρίτα, suppliciter implorem veniam, tuas quod ego privatas laudes, eximiam in Deum pietatem, versus amicos observantiam, in omnes benignitatem; illibatum candorem animi; inculpatam morum probitatem; singularem in conversando comitatem, in agendo peritiam, in judicando perspicaciam, in disserendo facundiam; in officiis colendis fidem, in factis æquitatem, in dictis modestiam, in proposito constantiam; sincerum amorem veritatis, ardens sapientiæ studium, excelsam indolem, et consummatam eruditionem; reliquasque innumeras tuas divinas animi virtutes, præclaras dotes ingenii, egregia vitæ facinora, verecundo potius obtegam silentio, quam importuno præconio dehonestem: quas ego certe cum (ut radios non directo cursu delatos, sed medii densioris interjectu refractos et conturbatos) acceperim, non usu proprio perspexerim, ast aliena fide subnixus, et solius famæ beneficio cognoverim (famæ licet certæ et indubitatæ, multorumque optimorum et sapientissimorum virorum consonis suffragiis munitæ) si dicendo persequí vellem, quid aliud quam cæcus clarissimam lucem depingendam, surdus suavissimam harmoniam susciperem emodulandam? O si viventis intueri vultum amœna luce circumfusum; sí contemplari gestus placida severitate compositos; si degustare sermones tuos mellea salubritate conditos, istoque guttulas aliquot ab inexhausto gurgite facundiæ mihi depromere licuisset, tuo forsan pectus imprægnatum afflatu quiddam concepisset simile tui, tuo os imbutum nectare te dignum aliquid profudis-

set: nunc satius esse duco tantas virtutes omnino non attingere, quam injuria male pertractatas afficere, vel inficeto sermone contaminare. Una tantum superest laus (nec illa tamen postremis accensenda) quam nulla ratione debeam ego intactam præterire; felicissimæ, dico, laus prudentiæ, illis in deligendis et deputandis adhibitæ, quibus supremam suæ (voluntatis exequendæ dicam? vel) dispensandæ charitatis curam commendaret. Quippe cum irrita sæpe fiant, et sperato excidant successu vel optime ab hominibus destinata, istorum, quibus committuntur, vel improba perfidia, vel ignava supinitate, vel insipiente vecordia, id abunde cavit, ne sibi eveniret, cum testamento suo præficeret duos incorrupta fide, invicta diligentia, spectata prudentia viros; quorum utcunque non grata recordatione prosequi nomina flagitiosum esset mihi, ipsorum cum erga vos summam observantiam, tum singularem in meipsum humanitatem experto. Unus haud perinde forsan cognitus vobis, (dignus tamen qui pernoscatur ab omnibus colaturque,) ornatissimus et spectatissimus vir, Robertus Raworth, Ælio illi Sexto (jurisconsulto [a] Ciceroniano) geminus et persimilis. Egregie cordatus homo cautusque, qui cum insigni juris peritia non inferius justitiæ studium conjunxit, cum magno rerum usu raram mentis integritatem sociavit: in eo præcipue mirabilis et felix, quod cum ad æquitatis normam dirigat omnia, nec unquam honeste faciendi voluntatem bene audiendi gratiæ postponat, optimi tamen viri apud omnes consequi potuit opinionem, et cum recta conscientia integram famam conservare: quadratus homo plane, inque eo, cui ipsum ratio affixit, situ inconcussus: antiqui moris, apertæ

[a] De Orat. I. et Tusc. Qu.

sinceræque indolis, nulla involutus nube, nullo fuco incrustatus. In dijudicandis rerum momentis acer et perspicax; in amplectendis consiliis maturus et circumspectus; in retinendo proposito constans et gravis; ut qui nec temere suscipiat aliquid, neque se facile patiatur a probabili instituto dimoveri; talis denique, cui cum tuto summa fides haberi, et gravissima negotia recte committi possint, tum in hac administranda provincia, tam fideliter, dextre, sapienter se gessit, ut non ego tantum, et qui mihi in hoc munus successuri sunt, sed et universa Academia, bonæque adeo omnes literæ sint immortales illi gratias debituræ. Alter autem, nemini vestrum, non ab honesto, quem tot annos, imo tot lustra sustinuit apud vos, loco notissimus, a virutibus suis commendatissimus, ab egregiis erga vos meritis colendissimus, Thomas Buck: idem ille, cujus quotidie vestris oculis augusta species corporis, et oris veneranda dignitas obversatur: cujus indies promptissimam humanitatem persentiscitis; cujusque toties in procurandis gravissimis negotiis vestris, asserendo honore, commodis provehendis, gnavam, fidam, prosperamque operam experti estis. Vir sane, qui cum omnibus bonis artibus haud mediocriter excultus sit, cum prudentia vel fide primas concedat nemini, tum vero laudabili industria plerosque (pene dixissem omnes) longo intervallo post se relinquit mortales. Difficile mihi sit (imo prorsus impossibile) quos ille vestra causa exantlarit labores, quales pertulerit molestias, quot susceperit itinera, quanta devorarit tædia, verbis explicare, vel ipsius in agendo diligentiam mea assequi diligentia dicendi. Testis eram (quatenus, inquam, admiratio permiserat, testis) quanto ille, dum rem vestram typographicam urgeret, cum suæ salutis et

rei familiaris dispendio, honori vestro prospiceret, commodo deserviret: quæ nempe laus ejus, nitidis impressa characteribus, ad infimos usque posteros perennabit, ipsisque adeo cum sacris (quibus pretium adauxit quodammodo, gratiamque adjecit) Bibliis æternitati permanebit consecrata. Cæterum in hoc ipso, quod præ lingua habemus negotio, non absque vegrandi stupore mihi licebat observare, virum ætate ingravescentem, nec firma satis utentem valetudine, tantas alienæ rei vigilias impendere vel potuisse si vellet, aut si posset voluisse, quantas nemo forsan alius, etiam ætate validus et corpore robustus, suæ præstitisset. Tantus illum ardor inflammavit de vobis benemerendi; tale perficiendi quod occepisset egregii facinoris incessit desiderium; ut cum annis accrevisse vires corporis, cum ætate vigor animi provectior evasisse, et quo ad vitæ centrum propius accederet, eo ferri videretur incitatius. At quid ejus in hac conficienda re commemoro sedulitatem, quum in auspicanda potius enixum studium, et impensam erga vos benevolentiam debeam prædicare? siquidem illi tantum non primas ingentis hujus beneficii partes referre debetis acceptas; cujus excitatus admonitu, consilio persuasus, hortatu compulsus, mirificus ille Mecænas noster cum mathematicam hanc instituerit professionem, tum lectissimo librorum thesauro bibliothecam vestram ditarit ornaritque. Quid enim, annon jure beneficii auctor censendus est, qui benefactorem ipsum conciliavit, et quasi donavit vobis; qui aliena re, sua vero sapientia, sua profuit voluntate, qui aliorsum exundantes munificentiæ rivos in aream vestram deduxit? absque quo certe fuisset, non esset hodie quod tantum ego studiis adminiculum, tantum Academiæ ornamentum,

tum sæculo exemplum gratularer accessisse. Hæ-
profecto lingua, deficit ingenium, collabascit ani-
s verba perquirenti tanto beneficio quadante-
i adæquata; cujus magnitudinem vos cogitando
ilius æstimare, quam ego dicendo possim expri-
re. Ab insuperabili proinde conatu subducam
, postquam id unum fuero protestatus, illius com-
ruisse viri eximiam in me benignitatem pulchrius
ge atque uberius gratitudinis testimonium. Huic
ur obeundo officio designati, par illud virorum
: tantumque quid? an adhibitam sibi fidem vio-
ınt, de se conceptam spem deluserunt? num pro
re nimis quam recepto, privato compendio intenti,
desidiæ suæ indulgentes, speratum beneficii fruc-
ı in plures annos distulerunt? imo nec unum
miserunt excurrere non liberatæ fidei suæ, non
oluti propositi testem. Quin ad opus semetipsos
ingunt ocyus; libros propere curant ad vos de-
tandos; professoris exsolvendo salario terras re-
ıunt, officio definiendo leges præscribunt; nihil
ı expediunt, quo minus tanti beneficii sensum ex-
tandi mora corrumperet; at vero potius ut spem
tram sua celeritas anteverteret; vix ut prius vos
etis habituros, quam habere sentiatis. Leges,
i, præscripserunt; illas vero quam ex se æquas,
ım studiis proficuas, quam rerum circumstantiis
ommodatas, sententiam proferre nolo, neque tantæ
temere mihi censuram arrogabo: illud saltem
im affirmare (liquido mihi compertum) e viris,
viderunt, judicio valentibus, et nullo præjudicio
upatis (viderunt autem permulti dignitate juxta
sapientia præcellentes), modice dicam plerosque
nes admodum probasse, nec paucos illas qualicun-
: laude dignas censuisse; dignas utcunque visas,

quas, reclamante nemine, authoritas regia sanciret, et ratas faceret. Ita partibus suis absolutissime perfuncti, non tamen eo processisse contenti substiterunt, at voluntate benemerendi potestatis suæ limites quodammodo prætergressi, privilegia bene multa, huic loco seu valde utilia, seu plane necessaria, quæ præstare non possent ipsi, a regia clementia ultro impetrarunt; quo nomine quicunque posthac hujusce Professionis munus amplectentur, tenebuntur eos ceu fundatores alteros, certe fautores palmarios, lubenter agnoscere, grate profiteri. De illis porro, quorum præcipue res hæc gesta est et ordinata consilio, reverendis collegiorum præfectis, mihi quantum ætate præcedentibus, et antestantibus dignitate, tantum judicio prævalentibus, et elogio superioribus meo, nihil audebo quicquam enarrare; id unum dixero fecisse illos, quod rem publicam spectat, ut tales viros decuit, sapienter ac moderate; a me autem cunctos haud exiguam iniisse gratiam, seu quod abunde faverint, seu quod non nimis adversati sint: duobus præsertim (cum elapsi tum instantis anni) dignissimis procancellariis pro sua erga me propensa comitate, benevolentia, favore, quas possum maximas debeo, ago, habeo gratias. Ita qualitercunque persoluto gratæ commemorationis debito, de meipso forsan expectatis ut nescio quid edisseram: quibus præsertim causis inductus, priori isto me abdicarim munere, novum hoc denuo assumpserim; quippe cum propterea ceu desultoriæ levitatis, aut fluxæ fidei homo, mei decoris nimium incuriosus, vestrique parum reverens arguar forsitan aut insimuler a quibusdam; quos tamen (si qui sunt) rectius facros autumo, si judicii sui acrimoniam maturiori consilio temperent, nec alieni animi statum Lesbia

sortis regula metiantur; cum subinde vel firmissimæ rupes reciprocos æstus subeant, et constantissimi plerique viri variis rerum vicibus exagitentur. Rem ipsam quod attinet; Græcam ego provinciam, nemini sane tunc optabilem, et immane quantum laboris exigua (imo nulla) mercede compensantem, qui renitenti animo suscepissem, cum in melius demutata loci conditione plures augurarer futuros, qui id muneris cum aggredi vellent lubentius, tum dignius exequi possent, nil plane quicquam obstare deprehendi, quo minus, nullo vestrò incommodo, genio meo prorsus obsecundarem, permolestum onus leviculo penso commutarem, e grammatico pistrino in mathematicam palæstram me subducerem. Etenim sicuti nunquam a Philologia prorsus abhorruerim, ita (ne dissimulem) philosophiam semper impensius adamavi; ut vocularum ludicrum aucupium morose non despiciam, ita seriam rerum indaginem magis corditus amplector; omnis tædii non usquequaque impatiens, modici vero otii appetentior sum; omni versus alios injuria sic abstinere studeo, salvum ut velim mihi legitimum mei arbitrium; voluntatis denique vestræ cum observatissimus perstiterim, studiosissimus dignitatis, libertati tamen meæ nunquam renunciaram penitus, non insolubili servitutis nexu dominæ me grammaticæ obstrinxeram, nec aures ultro meas linguis obtuleram perforandas, ut non licuerit honestam occasionem arripere memetipsum emancipandi, nedum ut debuerim amicis ad munus invitantibus, minus equidem honorificum, at multo commodius, genio meo acceptius, et liberali otio abundantius refragari. Quid multa? jure meo usus sum, non alienum invasi; possessione mea decessi, neminem extrusi sua; honore meipsum exui,

meritum meum excedente, non indigna quenquam affeci contumelia: nedum ut vobis (charissima mihi et colendissima capita) dedecus inferre meditarer, quos pronissimo semper affectu complexus, devotissimo cultu adveneratus sum; quorumque honori, si quis alius, pro exili modulo virium, cupida mente, prompta opera, dictis factisque nunquam non attentissimum me præstiterim, addictissimum demonstrarim. Nec e consuetudine vestra longe mihi dulcissima exoptatissimaque, nisi sontica quadam necessitate adactus, præduraque constrictus inopia, vel ex parte recessissem. Nullis certe machinis impulsus a vobis divelli penitus, nullis conditionibus allectus perduci poteram, ut e vestris omnino castris transfugerem; nec sub aliis uspiam gentium quam insignibus vestris militavi: quinimo non tam fines vestros dereliqui, quam ditionem prolatavi; nomen vestrum protuli longius, haud ignominiam vobis accersivi. Neque tam sponte mea demum, quam fato quodam abreptus videor, futuri provido præsagoque; ut in alia quadam obscuriore arena, quod in hoc celebri Circo nunc inituras sum, certamini præluderem. Me quisquis igitur hanc ob rem ceu perfidum desertorem aut fugitivum mancipium sugillat inclementius, viderit ipse quam justas, quamque probabiles iræ suæ causas prætexat. Utcunque nequeo non effusa mihimetipsi cum lætitia gratulari, tot erroribus defunctus, tot ereptus fluctibus, tot vicissitudines permensus, quod in hunc tandem placidissimum portum appulerim, in hac tutissima statione requiescam; ubi cupiam scilicet anchoram defigere æternùm immobilem, nullaque (quatenus per fata licet) vi revellendam. Nec enim fere votis meis congruentius quicquam potuisset evenire, quam in almæ matris sinu, omnimodis

innocuis deliciis refertissimo; in vestro (hoc est, hominum indole perquam sincera candidoque pectore; sublimi captu, et excellente doctrina præditorum) regibus, opinor, ipsis invidendo consortio; in pulcherrimo Musarum palatio, sanctissimo templo virtutis, amplissimo bonæ mentis gymnasio, illustrissimoque præstantium exemplorum theatro; ingenio expoliendo, moribus efformandis, componendis affectibus, liberalibus scientiis una vobiscum condiscendis intentum; satis honesta, nec admodum exonerosa servitute mancipatum vobis, et minime aspernanda conditione perfruentem, quod ærumnosæ superest vitæ transigere: id quod sane, libera modo concedatur optio, centies malim, quam aut aulicas inter pompas, aut tumultus urbanos, aut rusticas solitudines, in re quantumvis lauta, quibuscunque ceu copiis affluens, seu diffluens voluptatibus, seu titulis insignitus, commorari et consenescere. Quam proinde felicitatem, non sine propitii Numinis (meis meorumque rebus per nuperas istas calamitates gravissime afflictis benigne providentis) singulari misericordia mihi concessam, qua par est, erga divinam Majestatem humili reverentia et pia mentis devotione percipio: tum vero optimorum virorum nullo ambitu conciliatam, nulla solicitatam prece, sed purissima sponte mihi delatam benevolentiam grato sensu mentis amplector et agnosco: cui cum nequeam omnino parem, hanc saltem adnitar referre gratiam, ut efficiam scilicet quadantenus, demandatum mihi officium gnaviter exequendo, ne aut collati in me beneficii pœniteat ipsos, aut concepti de me pudeat judicii: quod non eo dico, quasi tenuitatis meæ parum conscius sim, aut aliquid arrogem mihi (quum imbecilitatem propriam intime sentiam, indignitatem

palam confiteor;) at quo stimulos subdam industriæ meæ, labantem animum sustineam, auctor fiam mihi ne desperem ingenii mei defectum studio supplere, quodque ab usu mihi deest, cura compensare. A vobis autem (ingenui quotquot estis alumni literarum) nihil non spero, non polliceor mihi, candore vestro, vestra humanitate dignissimum. Nec ullatenus addubito, quin et faventibus me votis hactenus prosecuti, nunc et alacri porro gratulatione sitis excepturi: minime scilicet immemores, quam ante plures olim annos indicaram, bonæ voluntatis mathematica hæc studia seu in exilium procul ablegata revocandi, seu profundis tenebris demersa in apricum retrahendi. Enim vero si tunc privatus homo, nec alioquin obnoxius, et sola rei pulchritudine accensus, ita me comparaverim, ut scientias istas qualicunque studio meo vobis exoptaverim summopere commendatas, non est quod nunc ambigatis pro ratione publici muneris et sanctiori vinculo constrictum, iis (pro tenui facultate mea) promovendis acrius incubiturum; quando nimirum, quo tum propendebam animo, eo jam propellar officio. Quod autem a me jam leges districte postulant, id quovis injussu præstare quam liberrime semper fui paratissimus, ad familiares vos congressus ut non modo prompte admitterem, verum ultro cupide invitarem; utque non semel tantum vel bis qualibet septimana cubiculi fores aperirem, sed vel intimi cordis indies penetralia recluderem, et patulum adituris pectus exhiberem. Quin accedite sultis jugiter, studiosi adolescentes, nullo metu inhibiti, nullo pudore retardati; quod jure vestro potestis, et me facietis haud invito (imo adlubescente, gaudenteque) consilium audacter expetite, exigite, præcipite et imperate; jussis uti-

que vestris non aversum me vel refractarium, sed officiosum, atque morigerum percepturi. Si qua vos studii mathematici salebrosum iter ingredientes obstacula præpediant, difficultates avertant, dubia remorentur, facite me, obtestor, participem, illud omne, (quousque vel usu valeo, vel industria consequi possum) quicquid est offensionis submoturum. Hisce vero disciplinis ut strenuam navetis operam, inque pulvere mathematico haud segniter desudetis, si nil aliud impellat, illud saltem honestarum mentium vos calcar exstimulet inflammetque vehementius, qui generosi semper animis alte insidet, ardor illustria quæque exempla persequendi. Namque ut veteres illos præteream, mirificum Pythagoram, sagacem Democritum, divinum Platonem, subtilissimum prudentissimeque doctum Aristotelem (quos omnis hactenus ætas agnovit et suspexit merito, sapientiæ antistites, artium coryphæos) quorum quantopere judiciis arriserint hæc studia, cum luculentæ proclamant historiæ, tum ipsorum arguunt præclara monumenta mathematicis passim interspersa ratiociniis, mathematicis exemplis, ceu stellis, illustrata: quæ proinde frustra speret quispiam, non in his literis mediocriter versatus, penitus intelligere, vel illorum abditos sensus, non adhibita clave mathematica, reserare. Ecquis enim Aristotelicum nisi plectro mathematico feliciter organon pulset; aut ad philosophi physicas auscultationes, geometriæ ignarus, non prorsus obsurdescat? Quis Platonicum Socratem capiat expers (geometriæ, dicam? an) arithmeticæ, de quadratis numeris vel cum puerulis balbutientem? aut ipsum Platonem assequatur nedum de mundo ad geometricas rationes conformato, sed de republica dissertantem, et politicas etiam leges

ad mathematicam amussim exigentem? nec ut recentiores illos commemorem, acumine similes antiquis, et prope pares, Galilæum, Gassendum, Gilbertum, Mersennum, Cartesium, quosque alios præsentis ævi fert fama, matheseos unico fretos subsidio, naturalis scientiæ pomeria priscos ultra terminos extendisse; ad quorum scripta, geometricorum digrammatum radiis ubique collucentia, harum rerum imperiti, ceu ad solis lumen coruscantis noctuæ, exhorrescunt. Ad illas potius scientias, quales hodie se ostentant conspiciendas, obtutum dirigite, magnatum purpura redimitas principum se titulis venditantes, ipsorum regum soliis insidentes; neminis fere generosa stirpe prognati, qui vel ingenii laudem ambiat, aut operam philosophiæ seriam devoveat, non opinione magnifactam, studio quæsitam, præconio celebratam: quos omnes in genere quolibet ingenuæ literaturæ indecorum sit æquiparari vobis, turpissimum antecellere: præsertim cum universitatis, quod profitemini, nomen adimplere, decus sustentare, non alia ratione valeatis, quam si omnigenæ scientiæ, liberali ingenio dignæ, non vulgarem vobis peritiam vindicetis; et nisi vel invidentibus felicitati vestræ, vel famam æmulantibus ansam detrahatis obtrectandi, quod vel in linguis ediscendis, ceu semper infantes, ætatem conteratis; vel, ex obsoletæ vetustatis ruderibus putidas fabellas eruentes, veritatis indagandæ curam respuatis; vel inconsulta rerum natura, sinceræque rationis usu posthabito, verborum inanes phaleras, et fucati sermonis præstigias affectetis; vel sophisticis demum tricis, et futilibus argutiis impliciti, steriles rixas conserentes, lubricis inhærentes conjecturis, et incerta dogmata ventilantes, otium abutamini, operam ludatis, ingenia

restra vexetis et torqueatis. Quæ in vos (improbe iateor et immerito, sæpe tamen et serio) congesta opprobria vel eluatis facile, vel omnino devitetis, divinam modo mathesin qua par est diligentia consectemini: mathesin, subtilitate non spinosa, difficultate neutiquam perplexa, disquisitione minime contentiosa, studiosos animos exercentem valide, non vane deludentem, non misere discruciantem; sine pugna vincentem, sine pompa triumphantem; absque vi cogentem, citra jacturam libertatis absolute dominantem; non imbecillæ fidei subdole struentem insidias, sed armatæ rationi apertum martem inferentem, integram palmam extorquentem, inevitabiles catenas injicientem; quot verba, tot oracula fundentem; quotque opera patrantem, tot edentem miracula; nihil effutientem temere, vel inepte molientem; sed universa perspicue demonstrantem, prompte peragentem; non scientiæ fallacem umbram obtrudentem, sed ipsissimam animo scientiam ingerentem, cui adhærescat firmiter, quam continuo possideat, a qua nunquam aut sponte discedat, aut ulla vi depellatur: mathesin denuo, principiis menti claris, experientiæ consentaneis suffultam, certas conclusiones elicientem, utilibus regulis instructam; jucundas quæstiones enodantem, mirabiles effectus producentem; artium (pene dixissem) omnium fœcundam parentem, scientiarum inconcussam basin, in rem humanam emergentium commoditatum uberrimam scaturiginem; cui saltem uni æquum sit, ut præcipua vitæ oblectamenta, præsidia salutis, incrementa fortunæ, compendia laboris accepta referamus: quod eleganter et commode habitamus; decoras ædes extruimus nobis, augusta Numini delubra statuimus, admiranda posteris monumenta relinquimus. Quod tutis ab hostili

incursione vallis protegimur: arma dextre tractamus; aciem scite disponimus; arte quadam, non ferina rabie belligeramur. Quod secura per infidos fluctus commercia transigimus; recto per cæcas maris vias itinere progredimur; incerto ventorum impetu propulsi designatos ad portus pervenimus. Quod rationes nostras vere subducimus, censum familiarem recte conjicimus, negotia versamus expedite; numerorum dispalatas phalanges in ordinem redigimus, tabulis includimus, calculo supponimus; arenarum quamlibet ingentes cumulos, imo vel immensas atomorum congeries, facile computamus. Quod agrorum fines pacifice dispescimus, momenta ponderum æqua lance perpendimus, justa suum cuique mensura dispensamus. Quod vastos hinc inde, susque deque, quo volumus, levi digito moles protrudimus, et immanem rerum perpusilla vi resistentiam profligamus. Quod terreni faciem orbis delineamus accurate, remque mundi publicam nostro universam conspectui subjicimus. Quod temporis fluxam seriem apte digerimus; rerum vices agendarum debitis intervallis distinguimus; tempestatum varios recursus, annorum et mensium statas periodos, alterna dierum et noctium incrementa, dubia lucis ac umbræ confinia, exquisita horarum et minutorum discrimina rite censemus, et internoscimus. Quod radiorum solarium in usus nostros subtilem efficaciam derivamus; visus sphæram in immensum exporrigimus; vicinas rerum species ampliamus, semotas adducimus, occultas detegimus; latebris suis naturam excutimus, et sua calide dissimulantem arcana revelamus. Quod concinnis simulacris oculos nostros oblectamus; artificia naturæ perite æmulamur, opera pulchre exprimimus; æmulamur dixi? imo supera-

mus, dum nusquam existentia jucunde effingimus, absentia sistimus nobis, præterita repræsentamus. Quod harmonicis concentibus animos reficimus, aures demulcemus; aerei fluctus inconstantiam certis modulis attemperamus; arido stipiti festivam vocem indimus, a rigido metallo dulcem elicimus facundiam; non dissona laude concelebramus Deum, et beatos cœlitum choros haud absurde imitamur. Quod inaccessas nubium sedes, dissitos tractus terrarum, devias æquoris plagas, elatos vertices móntium, radices infimas vallium, profundas marium voragines, abstrusos telluris recessus attingimus et perscrutamur. Quod ipsos mente Superos accedimus, imo Superos admovemus nobis; æthereas arces conscendimus; per cœlestes campos libere spatiamur; astrorum emetimur magnitudines, interstitia definimus; leges ipsis præscribimus inviolabiles cœlis, et vagos syderum circuitus strictis cancellis coercemus. Quod mundanæ denique machinæ portentosam molem animo comprehendimus, divini opificii stupendam pulchritudinem rectius æstimamus, sapientius admiramur: nostræ mentis incredibilem vim et perspicaciam certis experimentis addiscimus, ut pio affectu agnoscamus. Ut omittam rationem nostram in palæstra hac mathematica cum ad valide intorquenda argumentorum tela, tum ad caute declinandos sophismatum ictus; tam ad nervose disserendum, quam ad solide dijudicandum; ad prompte inveniendum, ad recte disponendum, ad perspicue explicandum, utiliter exercitari: nec non ad attentæ meditationis perferendum tædium, ad alacrem cum objectis difficultatibus conflictum, ad pertinacem in studiis solertiam, usu componi mentem, robore confirmari. Quinetiam his disciplinis assuefactam mentem a credula

simplicitate penitus liberari; contra scepticam vanitatem fortissime muniri, a temeraria præsumptione valide cohiberi; ad debitum assensum facillime inclinari; legitimo rationis imperio perfecte subjici, iniquæ fallacium præjudiciorum tyrannidi contumaciter obluctari. Instabilem porro phantasiam hac veluti saburra librari; hac fluctuantem anchora retineri; obtusum ingenium hac cote exacui; luxurians hac falce castigari; præfervidum hoc fræno reprimi; torpidum hoc stimulo excitari: nulla clarius lampade per naturæ caliginosas ambages, nullo certius filo per intricatos philosophici labyrinthi anfractus incedentium regi vestigia; nec alia demum bolide veritatis fundum felicius explorari. Ne dicam quam varia percognitarum rerum supellectile ditetur, quam multiplice poliatur ornatu, quam salubri pabulo nutriatur animus, et quam sincera voluptate perfundatur. Sin præterea dicam, dum a materia sensibili mens abstrahitur et attollitur, puras distincte speculatur, pulchras ideas concipit, congruas proportiones investigat, ipsos mores corrigi et concinnari; affectus componi et compurgari; phantasiam sedari ac serenari; intellectum ad divinas contemplationes erigi atque excitari; nec solus id, nec primus dixero, sed maximorum in philosophia nominum sententiam meam authoritate defendero, suffragiis confirmavero. Dies me, vox, et spiritus deficerent, vel summa rerum capita cursim perstringentem: nam illius quæ cœlos, quæ terras, quæ maria pervagatur et permetitur, scientiæ, nulla juste limites describat, nulla plene complectatur utilitates, nulla perfecte laudes exhauriat oratio. Et alioquin in re decantata ab omnibus, et vobis (opinor) satis intime perspecta, improbe desipiens sim, si aut meam immoderatius

abutar operam, aut vestram importunius exagitem patientiam. Quanquam haud ab re, nec præter instituti mei rationem fecisse videor, quod vestram modo patientiam strenue exercuerim, cum ipsa patientia nulla sit ad mathesin aut aptior aut utilior introductio; nec alius quisquam sit ad has disciplinas optime comparatus, quam cujus aures, (orationis nec insipidæ fastidio devictæ, nec jejunæ tædio delassatæ) per integrum ad minus bihorium toleranter vapulare didicerunt: orationis merito dixi *jejunæ*, eoque magis tempestivæ (quis enim ab esu piscium eloquens sit, aut immunis culpæ sermone jam luxuriet?) quam si vobis sciero vehementer displicere; facile me consolabor, quinimo magnopere congratulabor mihi, validum inde deducturus argumentum, certum augurium desumpturus, quod optimum me hodie præstiterim mathematicum, hoc est, pessimum oratorem. Dixi.

PROCANCELLARII ELECTI ORATIO.

A. D. 1675.

FATI quodam impulsu devolutam in me provinciam quam ægre subeam, testor illam conscientiam imbecillitatis propriæ, et imperitiæ rerum, quarum hactenus ab usu curaque, homo deses et umbraticus, libenter abstinui, ne dicam vehementer abhorrui; testor ingenitam ori meo δυσωπίαν, ad frontem torve contrahendam, ad vocem granditer attollendam, ad effrontem audaciam vultu repellendam reprimendamque; ad increpationes, minas, censurasque viriliter effulminandas, hoc est, ad rempublicam magnifice tractandam, minime comparatam: Adtestor et hunc rerum statum ancipitem atque lubricum, in quo etiam prudentissimis expertissimisque viris, nedum inconsulto tyroni, perdifficile sit indeflexo gressu rectum agendi tramitem insistere. Vos denuo testes appello, charissima libertas, amœnissimum otium, exoptatissima quies, dulcissimæque ante omnia Musæ, quibus abdicatis in splendidulam hanc servitutem, in turbida negotia, in molestas cursitationes, in obstreperas lites et importunas querelas, delabor.

Hujusmodi scilicet obvenit mihi conditio, beneficii nihilominus habenda loco, et pro qua vel ingratiis meis gratias exsolvam oportet, si minus sorti meæ, vestræ saltem voluntati debitas.

Neque sortem tamen aggravabo meam, mœsta specie rerum exterrens meipsum, aut oratione tragica vobis horrorem incutiens; non degenerem acade-

miam, collapsam disciplinam, pessundatos mores, subnatas nescio quas tetras pestes, atque feralia portenta (monstra nempe totidem a novo procancellario velut Hercule quodam edomanda) cuncta demum in sequiorem formam mirifice traducta querulo sermone deplangam, aut acerbo insectabor; Non ita suscepti muneris auspicia deturpabo, pro votis vestris quasi convicia regerens, et gratitudinis vice criminationem intentans: Id si facerem ætate devexior, aut gravioris supercilii compos, ignoscendum forsitan esset, nil aliud quam pro more senum exactæ juventutis blandam recolenti memoriam, et alienos mores carpendo mœrores marcoresque proprios consolanti.

Quin illuc potius oratio nostra spectabit, ut vestrum favorem ambiam, opemque vestram implorem, quibus impotentiæ meæ succurratur, quibusque sublevatus gravissimum quod imposuistis onus utcunque ferendo sim: cum enim in hanc Spartam animum advertens, id mihi potissimum negotii demandatum sentiam, ut legum nostrarum sanctione munitus, in studiis diligentiam et solertiam, in moribus probitatem et modestiam, in administranda republica literaria εὐταξίαν et gravitatem fovendo tuendoque academiæ decus sustentem; equidem tantæ rei proprio Marte consequendæ me prorsus imparem comperio, nec eatenus ausim vel ipsa spe adspirare, nisi socias vos admoveatis manus, operæque vestræ suppetias abunde conferatis.

Enimvero vestrum est (spectatissimi viri), vestram ad virtutem laudemque pertinet, juventutem academicam ad optima quæque vestris præceptionibus informare, vestris hortatibus impellere, vestris exemplis allicere atque perducere: Penes vos est unice teneram ætatem vestræ seu alumnam disciplinæ seu

conversationis æmulam a pravis institutis, ab ignavia, a petulantia, a temulentia, ab improbitate omnimodo vestris consiliis abstrahere, vestra qua polletis authoritate coërcere: Alioquin irrita fuerit illi seu dirigendæ seu corrigendæ, quæcunque impendetur opera, nisi vobis auctoribus et incentoribus addiscat, quod sui est officii gnaviter exequi, studiis acriter incumbendo ad eruditionis palmam anhelare, exercitia scholastica serio et sedulo obire, debitam majoribus reverentiam ultro studioseque deferre, scurrilem lasciviam detestari atque despuere; a cauponis, œnopoliis, ganeis (inertiæ lustris, et nequitiæ officinis) se continere; ad honestam, ingenuam, frugique vitam sese totam componere.

Ad hæc ut unusquisque severe mentem intendat, invigiletque solicite, cum semper indole vestra dignum sit, ad res optimas evecta, præclarisque disciplinis exculta; cum et officio vestro congruat ad academiæ salutem promovendam obstricto; tum jam præsertim opportunum est, præsentisque ratio temporis enixe deposcit, si aut almæ matris honori consultum aut publicæ de vobis opinioni satisfactum vultis.

Etenim ignorare nemo potest quale sit seculum, quot erroribus fœtum, quot vitiis addictum, quot factionibus occupatum; adeoque quam vobis iniquum ac infensum; vobis, inquam, quos unice veritatis strenuos assertores et vindices, virtutis impigros magistros ducesque, pacis fidos asseclas atque patronos, morum arbitros censoresque præcipuos cernit et fremit, experitur et indignatur; hinc malignitatis et invidiæ stimulis percitum famæ nostræ perpetim insidias struit, hinc academiæ dedecus impingendi undecunque causas aucupatur.

Quo magis si quando alias nunc certe nobis omnibus impensius allaborandum est, ne qua nobis labes adspergatur, ne qua commodetur ansa mores nostros vugillandi; quin ut in his potius tanta pelluceat integritas, quanta facile tam a bonis et sapientibus viris laudem eliciat, quam invidorum ac malevolorum obtrectationes compescat.

Sin autem e genio seculi, ad luxum et licentiam proclivis, pravæ quicquam laxæve consuetudinis irrepserit nobis, nostrosque suo contagio mores afflaverit, id protinus omne solicitudo vestra discutiat, emoliatur, expurget; ita quidem ut liquido dehinc constare possit, quid mundi intersit et academiæ; ut cum passim alibi gentium dissidia flagrent, socordia regnet, luxuria furat, flagitia grassentur, impietas triumphet, insultetque, hic saltem apud vos concordia portum, industria thronum, sobrietas perfugium, virtus asylum, et religio propugnaculum obtinuisse videantur.

Ad hæc utcunque peragenda collimare quidem debet hoc quicquid est seu magistratus seu ministerii vestro in me judicio collati; ipsum vero scopum attingere neutiquam aliter valebit, nisi vosmet ut spera potenter adnitamini, ut exemplo insigniter præluceatis exorando.

Ita si me beneficio affecistis, munus vestrum vobis gratus retribuo; si incommodo gravastis, illo me in vos justus ultor exonero.

Neque jam ferme succurrit aliud dictu tempestivum; cum si minus exoraverim, frustra quicquam addidero; sin exoravi, peroravi.

VICECANCELLARII

MUNERE DEFUNCTI

ORATIO.

QUANQUAM, Academici, spiritum agenti mihi linguæ usus vix suppetit, ut exequiali salutatione vos interpellem; neque video quorsum exauctoratus et nullius jam rei vir minimum habitura pondus verba profundam; adeoque fato placide succumbere, seu provincia tacitus elabi malim, quam supremis vocibus aut circa vos temere, vel de meipso putide nescio quid effutire; tamen quia dominus rerum mos exigit, extremoque in actu, præsertim officioso, nolim deficere, compatiamur invicem sultis, ego paucula coacte profando, vos aures tantisper indulgendo.

Quid ergo? scire vultis, opinor, de munere quod exuo, quid sentiam, aut qualiter animo decedam affectus: dicam; juxta cum illis, qui diuturna velificatione perfuncti transcursos fluctus cum horrore respiciunt, stabilis autem soli herbidos saltus, sylvasque prominentes alacriter obtuentur; consimiliter enim mihi, post enavigatum undosum hoc pelagus, transacta recolenti mœror oboritur, at futura prospicienti non modica voluptas obversatur.

Hujus ingruentis lætitiæ causas nihil opus est exponere: quis enim portum non hilaris ingreditur? quis sibi se restitutum non lætabundus excipit? quem non delectet eximi jugo, vel emancipari servitute, tot dominis addicta, quorum tam difficile sit

equi placita, quam sententias conciliare? quis in-
:a Minerva susceptum onus non animo adlubescente
ponat? quis solus incedere, proque suopte arbi-
ıtu passim exspatiari non centies præoptet, quam
t domo affigi, aut custodibus succingi; quis per-
:acem mundum non sibi libentius dimittat ut vadat
ut vult, quam ei seu dirigendo seu corrigendo te-
atur incumbere? quis demum a fervido rerum
tu in amœnam umbram, ab obstreperis litibus in
ınquillam pacem, ab alienis importunis negotiis ad
a jucunda studia regresso sibi non impense gratu-
ur?

Verum illud mœrere quod dixi quorsum attinet,
t unde provenit? an quod adversi quicquam aut
'esti sustinuerim; quod in hoc salo naufragium
ssus recularum plusculum amiserim, aut tempes-
:ibus acerbe jactatus vexatusque fuerim? imo,
ıil tale me pungit, aut quaquam tangit; nec enim
rriculum hoc emetienti triste quippiam aut tra-
:um, aut oppido sinistrum recordor obvenisse;
llæ (vobis gratias) emerserunt turbæ, nullæ fac-
ınes exarserunt; omnia leni defluxerunt amne,
ıcidoque tenore decurrerunt. Obmurmurarit ali-
is, obstrepuerit, obnisus aut obloquutus fuerit
idvis administranti; non assero factum: (absit):
fieri potuisse suppono; quid tum? an idcirco do-
ım? minime omnium; nam an aliter uspiam vi-
:ur? an mortalium discrepare judicia, seu vota
n conspirare, mirum aut mœstum est? quod certe
si esset, vita non esset, respublica non esset; ster-
re potius quam vivere, turpiter famulari quam vi-
iter in publicum consulere videremur: hujusmodi
oinde siquid accidisset, neutiquam id meis ac-
lisset ingratiis, et gratanter potius (si saperem)

quam gravate pertulissem. Quid itaque maceror aut angor animi? hæc unice scilicet, academici; quod commodis vestris minus profuerim, quod votis vestris parum satisfecerim; quod favori vestro parem referre gratiam haud valuerim; quod mihi non adeo propitia sors aspirarit, ut opera mea quicquam præstarem in rem vestram abunde proficuum, aut spe dignum, aut voluntati gratum; quod adeo Galbæ misello, quam Vespasiano propius exeam.

Non hæc dico, quasi mihimet ipsi in gerenda republica sequius aliquid admisisse conscirem; quum potius excussa memoria, integra conscientia, animoque prorsus erecto fidenter ausim profiteri, nil omnino me quod sciam vel animo destinasse, vel opere patrasse, seu meipso seu vobis indignum; cujusve sic pœniteat, ut infectum cupiam; quinimo demandatum pensum ita mihi saltem ipsi videor obiisse, ut neque privatis compendiis inserviens, neque propriis affectibus indulgens, ad ea simpliciter collimarim, quæ reipublicæ vestræ vel utilia vel honorifica subductis rationibus aut plane scirem, aut valde sperarem, et serio arbitrarer; Lucanianique Catonis ad instar in commune bonus aut fui semper, aut esse studui; commissorum utique si ratio habeatur.

Veruntamen quod nonnulla factu commoda prætermiserim, seu perperam habentia corrigere non allaborarim, illud sane non tam ægre fateor, quam fero; nimirum ad talia ne strenue accingerer, animi nativa lenitas dicam an mollities aut socordia præpedivit, vel rerum nimia difficultas absterruit, vel aliquid opera dignum peragendi desperatio cohibuit; cum is nempe sim, qui labori non movendo parcere satius autumo, quam ipsum nil promovendo dispendere; nec iis ambiam accenseri, qui se dum turbas cient

negotia putant conficere; idque multa agendo consequi solent, ut nihil agant.

Hinc tamen utcunque fit, ut oculum retorquens molestia afficiar, eoque graviter admordear, quod vel opportunitas defuit, aut imbecillitas obfuit, ne de vobis luculentius promererer.

Nec aliunde quam a comitate vestra solatium exquiram; quale satis efficax adhibeatis licet, quoad a me vel gesta vel omissa, sicuti res postularit, aut boni consulendo, aut benigne condonando.

Illud obtestato mihi tantummodo superest, ut prospera vobis omnia comprecer; imprimisque talem mihi successorem obtingere, qui cum usibus vestris aptior, tum votis acceptior sit: ita voveo scilicet, ita non læva cornix auguror ἔσται πάντα καλῶς.

ORATIO SARCASMICA

IN

SCHOLA GRÆCA.

QUOD moralis disciplina docet, res ipsa loquitur, et quotidiana experientia confirmat, frequentis alloquii pabulo ali necessitudines, easdemque diuturnæ ἀπροσηγορίας quasi tabe quadam perimi; id forte spectans superioris ævi prudentia, ne quæ ex mutui officii societate inter nos coaluit amicitia, omnimodæ familiaritatis quasi resoluto vinculo dissiliret, nobis qui hoc munere fungimur, legem imposuit, longa jam consuetudine sancitam, vosmet quotannis, spectatissimi auditores, in hoc seu abeuntis anni decessu, seu accessu venientis, solenni ritu compellandi. Quod majorum laudabile institutum, mihi, cui antiquitate ipsa nihil antiquius habetur, et qui vetusto usu probatos mores præcipua quadam reverentia prosequi soleo, alioquin segni licet, et inhabili ad dicendum, seu violare retentum, seu intermissum non revocare, religio est. Eamque modo provinciam ut lætius obeam lubentiusque, facit id imprimis, ut quemadmodum amicos a multo tempore absentes, qui fuerunt aut qui futuri sunt, eo charius solito complectimur, lautiusque excipimus, ita nunc incumbat mihi vos ab integro minimum anno præterito neutiquam visos, nec ante elapsum alterum, opinor, denuo videndos, ut impensiori quadam comitate, uberiori oratione consalutem. Accedit ad hunc nodum

fortius stringendum, non uno nomine debita, nec exiguis in me beneficiis vestris obstricta gratitudo, non illa quidem verborum liberali apparatu, nedum exili quapiam et perfunctoria agnitione, (siquidem pro merito) digne exsolvenda. Levastis enim me (humanissimi quotquot estis academici) gravissimo onere; a maximo periculo liberastis; labori, solicitudini, pudori meo abunde pepercistis; jugi scilicet illa et pertinace absentia, qua has scholas refugistis. Eximio itidem honore cumulatis, singulari lætitia afficitis, incredibili quodam solatio me recreatis hodie, nova hac vestra et inopinata præsentia, qua locum hunc, tamdiu desertum et vacuum, repletis quodammodo ac decoratis. Fecistis illa, ne mihi esset in adornandis prælectionibus anxie desudandum; ne acuminis vestri severum judicium reformidarem; ut otio meo indulgerem libere, mihique quicquid venerat in buccam, securus famæ, immunis a censura, intrepide effutirem. Facitis autem hæc, ne perpetuo mihi putem in hac mœsta atque ingloria solitudine ætatem foretransigendam, ne desperem penitus, hujusce diei fretus augurio, futuros semel in anno duos saltem vel tres, quos aspiciam, quos alloquar, quibus salutem feram, a quibus referam.

Enimvero ex quo in anni decedentis auspiciis longum mihi vale peroranti dixistis, desedi continuo solus huic cathedræ (nemo vestrum sat scio vel mentienti αὐτόπτης testis fidem derogabit) tanquam rupi suæ Prometheus affixus; vel ut arbiter quidam supremus in illa (quam non nemo nuper excogitavit) republica Solipsorum; non montibus dico aut sylvis, sed parietibus istis atque subselliis sententias Græcas, figuras, phrases, etymologias undique conquisitas admurmurans; plane ut Attica noctua ab omni aliarum

avium commercio segregata. Egimus ego et Sophocles meus in vacua orchestra: defuit illi etiam suus τριταγωνιστὴς, chorus affuit nullus, ne quidem puerorum; qui canentibus accineret nemo erat, nec qui saltantibus applauderet, nec qui obstreperet loquentibus. Quod si forte vagabundus quispiam recens, vel naufragus sophista (unus aut alter) temerario æstu abreptus, vel infelicis auræ cujuslibet impulsu deportatus, in has aliquando (quod perraro tamen memini accidisse) oras appulerit, vix obiter is inspecta provincia, aut tribus verbis acceptis, tragici quippe nescio quid sonantibus, quasi a barbaro Græculo, si perstaret, propediem devorandus, e meo repente Polyphemi antro in pedes se conjecit. Non eo hæc dico, quasi sortem meam deplorem, aut illud *væ soli* ad me pertinere existimem; qui Scipionis illud allegare queam quam verissime, "nunquam minus "solus sum" (hoc præsertim in loco) "quam cum "solus;" quique ita comparatus sum, ut mihi nunquam impensius placeam, quam cum nemini vestrum displicere me scio. Nec ut improperem vobis, quod maximi beneficii vice duco, profiteor, agnosco. Neque ut ad tenues epulas nostras ambitiose invitem præsentiam vestram, quæ spatio, quod occupatis, neutiquam gratior est, quod dici solet; imo ob contraria his omnia. Meas imprimis ut laudem atque deprædicem fortunas; amplissimum hoc et commodissimum domicilium qui tamdiu solus incoluerim, nullis hinc inde ruentis, trudentis, tumultuantis popelli factionibus perturbatum: qui liberrimi aëris spiritum hauserim, non halitibus tetris oscitantium, non sudantium fœtidis nidoribus infectum. Qui vociferantium nullis clamoribus lacessitus, nullis caperatarum frontium minis perterritus, a Monis procul omnibus

et Zoilis, in tuta pelle, in tranquilla pace, in alto silentio placide conquieverim; qui sine ullo demum consorte imperii, sublimi solio insidens rex in vacua aula, longe fuerim lateque dominatus. Quinetiam, beneficio vestro, quam in prospero statu positus, quam animo lætus et contentus agam, docente me et demonstrante certiores facti, ut mihi nec misero prorsus nec ingrato acclametis: optatissimam denique felicitatem hanc ut mihi sartam tectam conservare, meumque suavissimum somnum ne velitis importuno strepitu interpellare, quo a vobis impetrem precibus, argumentis evincam. Enimvero manere domi pergite, si sapitis; privatis studiis incumbite; versate libros, quos habetis, lectissimos; in amœna Musæi umbra delitescite; delicatis stragulis vos obvolvite; foco incolumes et hilares assidete; consulite quieti vestræ, valetudinem curate, genio indulgete. Quo domesticas delicias relinquere; lectionis filum abrumpere; vestes commutare, ad molestum iter vos accingere, cœli solique injuriis tenellas cuticulas exponere? eo scilicet ut per integram hic horam obrigescentes frigore, vel æstu tabefacti ineptulum quendam in obsoletæ vetustatis sterquilinio ruspantem, criticorum ludicris argutiis inhiantem, mythologorum putidas historiolas recensentem, grammaticorum inanes quisquilias corradentem sentiatis prælectorem. Mihi serio hæc optanti obsecrantique nullus dubito quin toto capite annuatis. Utcunque ut circumspecte agam, omnesque tranquillitatem meam invasuris aditus intercludam; ne qua vos, quid hic rei agatur ignaros, pernoscendi cupiditas trahat, aut præpostera illiciat curiositas, frequentius nos, quam vellem et par esset, invisendi; quid nostri consilii fuerit, quid sit, quid egerimus hactenus, quid porro acturi

sumus, non gravabor vobis fideliter simul et luculente exponere. Mihi sane, simul atque hanc Spartam pro virili mea ornandam suscepissem, cum de authore prælegendo deliberandum esset, et ejusmodi aliquem deligere in animo fixum haberem, qui cum nulli antecessorum lectus publice, nec incommodæ molis, ac facile parabilis esset, tum antiquitate etiam venerabilis, et existimatione clarus; dictionis quoque qui puritate, inventionis elegantia, sensuumque haud inficeta gravitate plerosque si non omnes excederet; hisce cunctis nominibus egregie commendatum Sophoclem, animo non potui oblatum repudiare; veteris tragœdiæ omnium fere suffragiis coryphæum; ab eloquii sincera suavitate apis Atticæ cognomento honestatum; de ingenii gloria, dum viveret, multis certaminibus susceptis, multisque palmis reportatis insignem; concinna quoque dispositione operis, personarum decora repræsentatione, majestate styli, sententiarum copia, pondere, fruge, et sapientia omnes a tergo poëtas relinquentem. Neque ille tamen talis, quantum scire potui, et conjectura assequi, plerisque arrisit; nec miror admodum non arrisisse. Quippe antiqui seculi indolem quisquis cum nostri genio contulerit, immanes quantum comperiet illam ab hoc ut in habitu, in gestu, in moribus, et institutis vitæ, ita in sensibus animi, judiciisque cum concipiendis, tum enunciandis discrepare. Illis conceptuum aut nervosa vis, aut vividum acumen, aut magnifica sublimitas, aut temperatus lepos in deliciis erant: nobis elumbes et dissoluti sensus, futiles argutiæ, inanes pompæ, improbi et importuni sales præcipue cordi sunt. Illi humanæ vitæ imaginem affabre effingere; vivis coloriibus depictos mores ob oculos ponere; aptam rebus et personis congruam orationem adhibere; e dictis

frugis aliquid bonæ decerpere, meliores unde possent vel sapientiores evadere, imprimis satagebant. Nos nihil delectat nisi rarum ac insolens, ab usu communi abhorrens, præter morem ac supra fidem dictum; a quo ut aliqua forsitan voluptas, ita nulla certe utilitas unquam emergat. Mundus illis sermo, dilucidus, æqualis, adstrictus; nobis fucatus placet peregrinis lenociniis, nebulosa caligine offusus; salebris præruptus, diffluens ambagibus. Currentis illi impetum ingenii arte regere solebant, fræno compescere; intra certos cancellos continere. Laxamus illi nos habenas, stimulos subdimus; extra orbitam sinimus temere evagari, in spatia quælibet effundimus. Duras illi denique, audaces e longinquo petitas metaphoras, portentosas hyperbolas, turgida epitheta, veluti nævos quosdam et corruptelas eloquii respuebant; ejusdem quæ nos tanquam sola lumina præcipuaque ornamenta omni studio captamus et aucupamur. Quidni igitur qui veterum palato tantopere gratus fuerit, nostro Sophocles insipidus videatur, nobisque nullo in numero sit, qui illorum calculo optimis authoribus accensetur? Utcunque mihi, cum non tam standum judicio proprio, quam vestræ voluptati obsequendum, versandumque existimem vobiscum, ceu cum regibus, ἢ ὡς ἥδιστα, ἢ ὡς ἥκιστα, vestra causa et gratia abdicare statui delicias meas; de pedibus cothurnum, e manibus Sophoclem abjicere, ipsamque adeo de nostra hac scena tragœdiam exterminare. Ejus vero quemnam loco substituam? magnum Homerum? at cui non ab annis plus bis mille tritum, excussum, evisceratum? Amœnum Theocritum? at divinis haud ita pridem clarissimi viri prælectionibus illustratum. Salsum Aristophanem? at apagè nequam istum cum suis rancidis facetiis εἰς κόρακας, εἰς μακαρίαν suam.

Itaque suadæ fulmen Demosthenem, melle Attico stillantem Isocratem, ingenii lima politissimum Lysiam? at quibus ille dulcis, cultus, splendidus poëta fastidio fuit, horum qui sperem stomacho jejunum præ illo aridumque rhetorem adblandiri? Quem igitur? nullum: imo aliquem: imo omnes, hoc est, in omnibus summum; seculorum ex quo orbi faustum sydus illuxit, omnium consonis suffragiis, literariæ reipublicæ perpetuum dictatorem; assurgite quotquot estis Musarum alumni, tantoque debitam nomini reverentiam præstate, Aristotelem; illum certe supra jactum invidiæ omnis, extraque periculum calumniæ in arce summa sublimis sapientiæ tuto collocatum; cui nemo erit, opinor, apud nos tam improbæ mentis, qui velit, tam perfrictæ frontis qui ausit, detrahere aut obtrectare. Utcunque ne licentia nuperorum temporum ille qui politicum statum turbavit, nequam genius, literarium quoque regnum pestilenti spiritu afflaverit, suoque per vim et tumultum legitimas in philosophia potestates justo obsequio spoliaverit; hanc tam belle oblatam occasionem non sinam præterlabi, philosophorum quotquot unquam fuerunt, (forsitan et quotquot futuri sunt,) merito suo, et orbis consensu, et academicarum legum præscripto, indubitato principi, jus suum, suumque honorem asserendi; vosque juvenes, si qui hactenus, aut novitatis œstro perciti, aut pravæ institutionis fascino incantati, ab officio descivistis, quatenus monendo licet et cohortando, in ordinem reducendi. Quod molientibus, illud imprimis fundamenti loco ratum nobis fixumque sit, imperitæ juventuti studiorum iter longum et anceps primo ingredienti, necessario ducem viæ quendam præstitui; in omnigenæ scien tiæ vastum pelagus solventi cynosuram quandam ob-

versari; aliquo filo per intricatos calles philosophici labyrinthi vestigia dirigi; sub certi imperatoris auspiciis scholastici tyrocinii debere fieri stipendia. Id nisi sit, per avios tramites, aut falsos, aut dubios, ut incerto errore distrahatur palabunda; ut nullum versus portum recto cursu delata per ingens æquor fluctibus variis ventisque adversis circumagatur; ut in cæca caligine perplexisque in angustiis versetur; ut denique nec in hostem arma expedire, nec ab adversarii insultibus seipsam valeat protegere, necesse erit. Alienam fidem sequi debet, quæ suo judicio diffidere; ab alio manuducatur oportet, quæ marte proprio nequit gressus suos sustentare. Acquirendus est magister aliquis et fidus Musagetes, literarum alumnis abdita qui retegat, aspera læviget, obscura elucidet; qui in decursu studiorum ignaros dirigat, hæsitantes incitet, vagos cohibeat, errantes revocet, quomodocunque procedentes ductu fideli regat et moderetur. Ubi autem gentium, in qua parte temporum, qui hoc tam arduo fungatur officio, dignum aliquem atque idoneum reperiemus? Nostras plagas scrutemur, nostramque hanc consulamus decrepitam mundi senectutem, præ junioribus seculis quæ plus sapere sibi videtur, aliis plus delirare: at videtur hic, qui dicitur, senior mundus, quod ætate provectis usu venit, non tam nova proferre, quæ ipse nuper adinvenit, quam, quæ olim juvenis didicit, vetera effutire. Quotusquisque enim est recentiorum, quascunque literas tractantium, ex antiqua aliqua scaturigine qui lacunas suas non derivavit, qui prioribus saltem fundamentis fabricam suam non superexstruxit? Solenne est nostro seculo consepultas e ruderibus philosophias eruere; naufragi temporis tabulas colligere; priscorum non sanctorum modo, sed et philosophorum re-

liquias venerari: Zenonis porticum hic collapsam instaurare; ille nutantes academiæ muros suffulcire; emarcidum alter Gargettii senis hortum reseminare; dispersas nonnemo Democriti atomos recolligere; plerique vero perenni et illibata hactenus gloria florentis Lycei recolere aggressi sunt doctrinam et perpolire. Nec defuerunt, qui ut veterum in veritate indaganda conatus sugillarent, errata detegerent, authoritatem convellerent, ingenii nervos omnes intenderint; de novo interim ipsi, quum aliena destruxissent, erigendo artium systemate non admodum soliciti. Totius enim sapientiæ integram compagem, membrorum apto nexu cohærentem, speciosa methodo digestam, certis principiis subnixam, novatorum hactenus nemo extitit, studio quidem nostro aut imitatione dignus, qui efformaverit. Quo igitur nos conferamus, oportet? unde, quam expetimus, institutio haurienda est? unde, nisi ab antiquitatis limpido fonte? ab illis qui veritatem nudam, nativaque specie oblatam primi occuparunt; qui e rerum fideli archetypo, non e fallacibus scriptorum apographis naturæ ideam exsculpserunt; qui sui ingenii virtute, non alieni subsidio, ab experientia domestica, non a peregrina fide sapientes evaserunt. Ast illorum, quia multæ sunt, cui potissimum sectæ nomina addicamus? ad quam scholam discendi causa dociles adeamus? An ad academiam, Platonis veterem, Arcesilæ mediam, novam Carneadis? at ab illis qui speremus discere aliquid, qui se nihil scire profitentur? illis quomodo credamus, qui sibi ipsis penitus diffidunt? qui pro certa scientia ἀπορίαν ancipitem, pro valido assensu timidam ἐποχὴν, pro aperta veritate nubilam nobis ἀκαταληψίαν substituunt: qui cum nulla spe inveniendi quæritant; sine assequendi

proposito ad scopum collimant; absque studio vincendi, pro vero nihil refert, an contra verum, pertinaciter decertant; quorum denique nullis principiis fulta, nullo ordine disposita, nullis terminis circumscripta exorbitat semper, vacillat, fluctuat oratio. Num stoa igitur studiorum nobis sit pro vestibulo? at verborum confuso strepitu illic quoque res agitur: terminorum perplexa varietate irretita veritas detinetur; nullo systemate constringuntur artes; nulla methodo disserendi licentia cohibetur; eadem subinde ad ravim usque millies ingeminantur: tetricis quoque sententiarum prodigiis, immanibusque paradoxis discentium citius obruatur fides, quam ratio illustratur: quid ergo? in Epicuri stabulum, magnifice nuper refectum, academicam pecudem agamus? in illam nempe haram, quæ dijudicandæ veritati sensum præficit, non rationem; quæ pro accurata logica rudem nobis canonicam venditat; quæ dolore miseriam, non vitio; voluptate beatitudinem, non virtute metitur; quæ a divino Numine conditum mundum negat, a fortuita atomorum concussione asserit generatum; eundemque cæco impetu ferri, non a provida sapientia gubernari. Ut præteream rebus inane nescio quod interspergi, sponte sua omnia continuo in præceps ruere; e corpusculis animas conflari; materiæ effluviis objecta repræsentari, sensus affici, cerebri loculamenta compleri; reliquasque lutulentæ istius philosophiæ sordes, miserum quibus esset profecto sincerum indolis vestræ candorem deturpari. De aliis non est quod admodum laboremus: etenim Democriti puteum oppilavit ætas, Empedoclis litem decidit, Anaxagoræ homoiomoreías dispulit, Pythagoræ sempiternum silentium indixit; antiquorum fere om-

nium cogitata, scripta, monumenta Saturnino dente devoravit.

Superest ut in unum Aristotelem spes nostræ velut in sacram anchoram reclinent: ut ad Lyceum ceu ad arcem sophiæ munitissimam, portum studii certissimum, sanctissimam aram disciplinæ confugiamus. Non hic unam aliquam scientiam a reliquis avulsam, sed omnes liberali ingenio dignas arcta inter se societate connexas et uniformi filo pertextas habemus, ut aliunde opus non sit ad supplendum defectum subsidia corrogare. Hinc ad prompte inveniendum, ad perite judicandum, ad subtiliter disserendum, ad sophisticas præstigias caute eluendas, optimis legibus mens nostra, certissimis præceptis, fidissimis præsidiis munitur: ad persuadendum apte ornateque dicendi artificio lingua imbuitur; ad bene beateque ex virtutis præscripto vivendum privati mores informantur; dispensandæ familiæ, reique publicæ administrandæ accurata ratio describitur; naturæ accidentia, vires, principia mirabili solertia eruuntur; naturalis historiæ thesaurus ingens expanditur; de anima, de intelligentiis, de Deo, quatenus fas est, et naturali lumine fieri potest, erudite atque nervose disceptatur; problemata denique innumera, perjucunda, perque utilia summo cum ingenii judiciique acumine pertractantur. Perfecta ex hoc armario scholasticæ militiæ panoplia instruamur licet; ad veritatem muniendam valla, ad paralogismos propulsandos scuta, ad profligandos errores tela, ad animos inflammandos faces, ad acuenda ingenia cotes, ad orationem denique corroborandam nervos, ad illustrandam lumina, ad locupletandam opes, ad exornandam colores et flosculos deproma-

is. Omni pariter ætati instituendæ deservit; rarum jacienti fundamenta pueritiæ; ad perfec- n eruditionis statum enitentibus viris; ad sum- im senectuti sapientiæ culmen aspiranti. Amœ- m aperit præsertim studiosæ juventuti patentem- e campum, in quo cum animi innoxia quadam pe- antia, ceu in lætis pascui juvenculi, exultent, tis cornibus se invicem petant, ferocule concert- it, ira leniter æstuent, æmulatione incendantur, uptate lasciviant. Non ut novitia quædam phi- ophemata meditatione nimia obtundit aciem, fran- vim, retardat impetum, alacritatem extinguit in- iii pubescentis. Ut artium modo usitatos terminos liscat, vulgares regulas commendet memoriæ, fa- s nodos expediat, leves quæstiunculas ventilet, licris velitationibus ut in palæstra vires exerceat, ; illis negotii quibus

Κραιπνότερος μὲν γάρ τε νόος, λεπτὴ δέ τε μῆτις.

ilosophia quippe hæc non ad figmenta mentis ar- raria exigitur; non ad insensiles causas recurrit; a ad absonas hypotheses delabitur; nullis chimæris cit animos, nullis tormentis ingenia cruciat, nulla tigine phantasias rotat auditorum. Non ut læves bulos detornet, subtilis materiæ pulvisculos cor- lat, minutulas strias intorqueat, æthereas arces in- lat, telluris viscera perscrutetur, novos denique perfodiat mundos, allaborat, sed ut hunc contem- tur. Ad naturæ indolem apertam, ad mentis in- s species, ad experientiæ infallibilem normam, popularem sensum, ad captum se discentis ac- mmodat. A vocabulorum pervulgata acceptione initiones expromit; a primis notionibus elicit ncipia, ex observatione regulas condit, ex rerum er se diligenter collata perspectaque habitudine

argumenta venatur; a præjudicii scopulis non minus, quam scepticismi syrtibus declinans; nec incertis temere credi vult, nec proterve manifestis repugnari; non anxie fluctuat semper pendetque animi, quasi ad veri aspectum perhorrescat; sed nec præfracte quidlibet affirmat, subinde sapientum illa δῆλον, φανερὸν, δέδεικται, persæpe vero prudentum ἴσως, τάχα, δοκεῖ, dictis intertexens. Methodum adhibet, nec laxam et nimis solutam; neque quam ut ei juvenilis patientia assuescat morosius, sed expeditam et liberam, ad disciplinæ juxta discentisque genium conformatam; enucleate propositum explicans, presseque persequens, si res ferat; sin abnuat, crassiori Minerva, ὁλοσχερῶς καὶ ὡς ἐν τύπῳ perstringens. Utcunque nec inanibus procœmiis captat unquam, nec molestis ambagibus detinet, nec vagis diverticulis circumducit auditorem; ad rem ipsam continuo se accingit, prompte aggreditur, stricte adhærescit; rebus semper quam verbis densior, argumentis quam sententiis uberior, rationis quam orationis affluentior; curto ut plurimum pugione dimicans, non prælongo acinace, uno fere prælio debellat, unico ictu prosternit adversarium; Pactoli quidem cujusdam instar, aut Tagi, (quod de eo Latini prædicat eloquii princeps,) flumen orationis aureum fundens, non torrentem luteum, ripas intra suas, nec justos canales excedentem. Judicii porro liberrimi est Stagirita noster, nec inverecundi tamen; animi excelsi sed minime superbi et arrogantis; ab antiquioribus istis ut sæpenumero dissentire, errantes eos nonnunquam refellere, forsan et reprehendere non veretur; nusquam tamen inique carpat, aut acerbis conviciis lacessat; interdum vero præclaris elogiis ornet dilaudetque adversarios. Cujus modestiæ a recentio-

ribus quibusdam, magni alioquin nominis viris, justas utinam vices reportasset: totius antiquitatis fidem qui posthabentes suæ, nedum ut de posterorum judicio soliciti essent, tantum virum, de liberalibus disciplinis tam optime meritum, nec unius duntaxat Ciceronis sententia, sed omnium pene hominum consensu, philosophiæ principem, omni authoritate exuere, suoque a throno præcipitem deturbare haud contenti, exutum nudatumque infensis plagis persequi; jacentem atque prostratum immundis pedibus obterere; fastuoso supercilio despicere, scurrilibus dicteriis impetere, opprobriorum venenatis spiculis transfigere non dubitarint: (irrito quidem conatu illi, ut faculis suis lucem commodarent, solem euntes extinctum.) Parco nominibus; crimina prætereo quæ objiciunt sycophantæ: (quidni enim sycophantæ mihi audiant, Aristotelis qui toties venerandum nomen sophistæ titulo aspergunt?) neutrorum recensione dehonestabo orationem meam. Istorum certe jam satis videor cum demonstrasse inscitiam, tum iniquitatem arguisse; siquidem veluti admoto recto curvi eo ipso enormitas detegitur, utque immisso lumine sponte sua tenebræ evanescunt, ita veris hujus, quas recitavi, laudibus, putidæ illorum, quas intendunt, calumniæ diluuntur. Quibus unicam superaddo, forinsecus quidem adnatam, nec eo tamen minus eximia præditam vi et efficacia, vestrisque quæ per se sola sufficiat non conciliandis tantum et alliciendis huc animis, sed impellendis fortiter, et plane cogendis. Quod nempe cum hæc philosophia diuturna consuetudine temporum, hominumque acerrimo studio per sinus intimos omnimodæ scientiæ seipsam defuderit; suoque disciplinas omnes subtilissimo spiritu pervaserit, et quasi animaverit; cum nulla non facultas methodum

ab ipsa suam, sua principia, suosque terminos mutuetur; cum sine illius ope et subsidio nec jurisprudentiæ subtiles apiculos attingere, nec medicinæ salubres succos degustare, nec ipsius theologiæ sanctissimis mysteriis initiari, nec academica ullatenus munia obire possitis, peritia ejus qualiscunque non jucunda tantum vobis et optabilis, sed summe utilis sit, et prorsus necessaria. Nolite igitur, lectissimi juvenes, tanti Imperatoris, cui academiæ albo, quum inscripti essetis, solenni sacramento fidem obstrinxistis, e justa militia in factiosorum castra transfugere; nolite ab antiquissimi clarissimique præceptoris disciplina ad novam aliquam et ignobilem sectam deficere; nolite denique e tritissima probatissimaque semita ad salebras istas digredi studiorum, temporis dispendia, ingenii cruces, industriæ offendicula. Saltem in Aristotelis assidua lectione, si non materiæ gravitas, sensus acumen, doctrinæ utilitas, at orationis retineat vos eximia dignitas, et singularis eloquii præstantia. Ab illo si minus sapere, at dicere saltem ut discatis ne dedignemini; nec si ab eo mentem instrui, linguam quoque ideo poliri recusetis. Est enim is certe, si quis alius veterum, Græci sermonis gravissimus author, optimusque magister dicendi; dictionis exquisita proprietate, venusta puritate, nitida elegantia, lepida suavitate, nervosa vi, nativaque mirifice pollens ubertate. Ut vel hoc nomine prout a clarissimis oratoribus amplissime meruit celebrari, ita manibus vestris teri dignus sit, mentibus concipi, memoriis insculpi. In qua facultate haud adeo mirum sit si tantopere excellat, ejus artem qui tam intime perspexit, tam perite tradidit, tam diserte, tam copiose. Eum ut merito ceu præviam facem oratorum ille rex et parens facundiæ præ

ous sequi se, suspicere, imo admirari disertis verbis confirmet, et fateatur. Hujus itaque arissimi authoris scripta, præsertim ἐξωτερικὰ, pro officii nostri ratione legenda mihi ac interpreta proposuerim, ab iis, qui *de arte rhetorica Theodecten* communiter inscribuntur, libris autor; illorum æmulatus morem, qui os solent ad loquelam, quam aut animum ad scientias, d virtutem mores informare. Expectatis jam i, imo metuitis, ut de rhetorica dicam aliquid; quentiæ diutius immorer encomiis celebrandæ: vero ipsa se satis rhetorica non esset dicendo; non ad laudandam eloquentiam ipsa imprimis sit eloquentia, a qua ego tam longe absum, tam nenter abhorreo, ut ad ejus vel stupeam nomen, lam mentionem obmutescam. Dixi.

ORATIO HABITA IN COMITIIS.

BONUM factum, Academici, quod divina aspirante clementia, fama nequicquam occlamitante (vel infamia potius, quæ plerosque nos omnes aut tumulis mortuos inclusit, aut lectis ægros affixit) Libitina exempti, feralibusque purpuris exuti, vivi (Deo Sospitatori gratias) valentesque, quinimo vegeti atque robusti, comparemus hodie, ostro festiviore succincti prodimus, Academici puerperii solennia recolimus, et nedum ipsi propitia valetudine gaudemus, at multam amicis nostris salutem impertimus.

Nos, inquam, divino beneficio salvi salvos esse jubemus, hospites nostri quotquot adestis, sive quondam hujus, sive nunc alterius academiæ alumni, charissimi fratres, dilectissimique consobrini, quoscunque vel propensa charitas vel honesta curiositas huc adduxerunt, seu ad invisendum decumbentem academiam, seu ad congratulandum erectam, seu ad illam utcunque præsentia vestra cohonestandum recreandumque.

Multum sane, si quandocunque, nunc præsertim affectui vestro debere se persentiscit alma mater, quod malignis rumoribus haudquaquam absterriti, ad iter vos accingere veriti non estis, nec viarum tædia subire gravati, neque sorti nostræ vestram adjungere dedignati; id utique vobis imponentes negotii, ne mœsta solitudine laboraret academia, ne deserta prorsus aut amicis destituta videretur, ne comitia

publica private celebraret, aut incelebrata potius clanculum obiret.

Quo magis exoptandum mihi sit, illa nunc auspicanti, expectatione vestra dignam, auribusque vestris haud ingratam, qua vos excipiam, orandi contigisse materiam; quæ et meam eloquendi tenuitatem suppleat, vestram expleat cupiditatem audiendi.

Neque votis fortuna meis omnino refragatur, cum multa tam florentis indicia, quam crescentis academiæ præsagia, quæ et præsentis status felicitatem luculente monstrant, et futuri spem abunde fovent, ultro res ipsa dicturo subministret.

Si quidem imprimis Musæ nostræ fausto patrocinio, certo præsidio, beneficoque fruuntur influxu illustrissimi juxta ac optimi cancellarii, ad academiæ protegendam salutem, provehendum decus, privilegia vindicanda, remque publicam nostram quomodocunque conservandam, exornandam, amplificandam, prompto studio, valida ope, stabili gratia paratissimi; quo nullus, opinor, ab omni memoria contigit ad commodis nostris subveniendum aut voluntate pronior, aut opera potentior, aut successu felicior; cujus ad omnimodas laudes, ad excelsas virtutes, ad gloriosa facinora justo præconio celebrandum cum facultas mea non aspiret, cum ad indolis heroicæ splendorem, animique coruscam magnitudinem nostra præstringatur acies; cum ad Martium ardorem, et militarem peritiam, ad fulminatum Mosam, et expugnatum Trajectum (perennis historiæ stylo debitum Monumethanæ fortitudinis et famæ monumentum) vox contremiscat; id saltem officii ratio vel invitis et impotentibus eliciat, ne tam spectatam in nos eximiam benignitatem silentio penitus involvamus, aut amplissima beneficia nobis collata non agnoscendo vel

stupide vecordes, vel perdite ingrati videamur; neque quod academia tanti Mæcenatis non illustri solum nomine decorata fulgeat, felicibusque sub auspiciis vigeat, ast singulari quoque benevolentia (nullam non seu captante seu arripiente benefaciendi occasionem) munita permaneat, subtrahenda fuit ansa nobis opportune gestiendi, vobisque libenter gratulandi.

Tum professorem cathedra nostra possidet, ejusmodi virum, eo animi vigore ingeniique acumine, ea judicii soliditate, ea facundiæ splendida amœnitate, limpida ubertate, nervosaque vi; ea eruditionis amplitudine et copia; ea demum solertia, diligentiaque præcellentem, ut quamlibet academiam ipse solus beare, solus insignire et illustrare valeat; de quo plura taceo, ne aut ipsius modestiam irritem, aut soli lucem affundere videar; cum laudes nullas Hercules ille theologicus desideret, apud vos præsertim, quibus ipsius dotes nullatenus incompertæ sunt aut erunt; si quidem aut memores estis eorum quæ antehac gesta sunt, aut iis quæ nunc geruntur attentionem debitam præstatis.

Accedunt alii facultatum, linguarum, mathematum professores, suo quisque peculiari dignissimus elogio, si vel ipsi proprio suo merito non satis inclarescerent, vel eorum famam perfunctoria nostra commendatio valeret adæquare.

Quid, quod numerosam alma mater jam enixa sobolem, in utriusque reipublicæ subsidium, inque posterorum solatium confert, optima ni fallimur indole præditam, et probe disciplinis excultam?

En et vobis, hospites, liberaliter excipiendis, ad disputandi munia comparatos, viros eximios; imprimis theologum insignem, quem frustra sit verbis meis laudare, se factis suis mox abunde commendaturum;

eo saltem nomine non laudes modo nostras sed et grates ample promeritum, quod honori publico modestiam suam litavit, sibique vim inferri passus est, ut gratam hanc vobis operam impenderet; quin ecce (ut egregios medicos præteream et jurisconsultos, Utopianis nihilo pauciores aut deteriores; ecce dico) philosophum nobilissimum, magnanimæ radicis surculum haud degenerem, vultu juvenem, animo virum, (ingenio, judicio, eruditione, virtute maturum) togæ decus et comitiorum sydus, non splendore natalium, quam dotum et meritorum excellentia prælustrius; cujus præclaram indolem suavissimosque mores cum reliquus vitæ tenor explicet, tum vel hoc unum specimen luculente demonstrat, quod partes hasce tam comiter suscipere voluit, quam feliciter valet sustinere. Porro, dum oppidi plateas et pomæria, dum singula Musarum hospitia, florentioris ætatis vestigia cupide repetentes perlustratis, ecce vobis nova passim ædificia seu perfecta seu adfecta, illa cœlis nuper inserta, hæc e terris modo prorumpentia, se ostentant; quæ certe spectacula, etiamnum pubescentis academiæ staturamque suam protendentis argumenta clarissima, quin oculos vestros jucundissime percellant, quin animos uberrima voluptate perfundant, nefas existimo dubitare; tanta siquidem almæ parenti nostræ incrementa accedere, tanta Musis ornamenta adponi, tantis subsidiis rem literariam adaugeri, quis ingenue cordatus non gaudeat, non gestiat? Neque ferme vobis opinor quicquam auditu gratius (sicuti mihi dictu nil lætius) obveniat, quam in hoc ad extremam duritiam vergenti seculo, non ita penitus eviluisse literas, non ubique generosos spiritus adeo defecisse, ne plurimi supersint fidissimi Musarum amici amplissimique patroni; qui nedum iis volun-

tate favent, ast reipsa prosunt; nedum illas benevolo complectuntur affectu, sed benefica quoque manu prosequuntur; cujus ego nuncii tam certus testis, quam lubens præco sum, quanti cum fratribus meis moliminis particeps, tantum optimorum hominum (immortali laude dignissimam, effusaque cum gratitudine perpetuo commemorandam) munificentiam expertus; qua nempe factum est, ut non prorsus temere tantas spes concepisse, tanta posteris studiorum adminicula destinasse, tantum (præfiscine dixerim) academiæ nostræ, pene dixissem et Anglicæ genti, decus affectasse videamur.

Quid enim? annon gentis nostræ peculiaris est gloria, quod literis tam indulgenter, tam provide, tam opima liberalitate consuluit; ut nuspiam gentium adeo clara prostent hujusce divinissimæ munificentiæ monumenta; nusquam Musæ tam commode versentur, tam laute degant, tam decore splendideque habitent? Cum aliis gentibus Martiæ virtutis et Mercurialis ingenii famam dividamus oportet, at liberalis in disciplinas animi laudem nobis integram, et ab æmulis intactam, reservamus. Cum enim urbes alibi conspicere liceat magnificis templis, superbis palatiis, juridicis curiis, Mercatoriis porticibus, ambulacris, aquæductibus, portubus, ædibus quibuscumque publicis eleganter et affabre constructis exornatas; cum suum unaquæque natio Londinum exhibeat; ubinam vero tot eruditioni devota sacraria, tanta scientiarum emporia, tales Musarum basilicas sol aspicit? quid Oxonio simile, quid Cantabrigiæ par habent, quod delicata monstrat Italia, quod grandiloqua crepet Hispania, quod gloriosa jactet Gallia? quidni proinde dum academias ornamus augemusque, simul et Anglici nominis majestatem promovere

videamur? Quibus ideo cœptis ausisque nostris (quo estis ingenuo mentis candore præditi, quo in literas studio propendetis, quo rem publicam affectu complectimini) adsistetis et vos, hospites benignissimi, tam animo benevoli fautores, quam opera qua licet benefici promotores; id ut a vobis præfidenter emendicare non ausim, ita facile mihi polliceri non vereor, quod ultro tantum parturientibus fœtum aut obstetricantes admovebitis manus, aut votis saltem annuentes propitiam nobis Lucinam advocabitis.

Hisce nimirum præludiis ad illa viam sternimus, spem erigimus, animosque comparamus, augustiora nostræ reipublicæ incrementa; theatrum utique quod disputantium jurgiis hoc templum exoneret, et quo sanniorum ineptiæ relegentur; bibliothecam, quæ supellectilem nostram librariam, haud sane curtam, apte capiat, et quam tot optimi auctores laxius atque liberius incolant, tam arcto limite minus æstuantes; scholas denique publicas, illustris nostræ reipublicæ amplitudine dignas, quibusque pulcherrimam et suavissimam istam Germanam nostram ut mentis indole plurimum referimus, ita vultus specie propius attingamus.

Sed enim, inquietis, structuris auctiorem et cultiorem (affatim collætantibus nobis) academiam repræsentas; ecquid autem est de studiorum profectu, de morum cultura, de virtutis et pietatis augmentis quod eloquaris et enarres? Imo de his multa succurrerent dicenda, nisi subvererer aut laudando blandus assentator, aut reprehendendo importunus censor, aut utcunque judicia vestra præoccupando temerarius arbiter existimari.

Quapropter ista dicendi forma consulto posthabita, ad vos potius, academica pubes, oratione conversa,

ut studiis acriter incumbatis, ut ad virtutem mores sedulo componatis, tantisper cohortabor. Cohortabor, inquam; at quorsum, forsan obmurmuretis, hoc thema detritum, obsoletum, et rancidum attingere? quorsum toties excoctam cramben reponere? quorsum ad hæc animitus intentos dirigere, vel aculeis sponte currentes instigare? Imo vero magnopere jam refert hujusmodi paræneses instaurari; ut salubria monita crebro nunc instillentur, serio imprimantur, valideque inculcentur, peculiaris ratio temporum justius exposcit, præsens conditio rerum vehementius efflagitat, publicæ necessitates districtius exigunt, et quodammodo extorquent. Jam enim præsertim ut velis omnibus remisque summam ad eruditionem contendatis, ut impensiore cura et intentiore solertia ad exquisitam virtutem annitamini, non e re vestra tantum, quantum ex usu publico est.

Cum multa perpetuo suppetant argumenta, quibus ingenuæ mentes ad studia provocentur, alliciantur, incendantur; quum plurima nunquam desint, quæ cordatos homines ad vitam probe pureque transigendam impellant ac exstimulent; plura saltem et validiora res jam subdunt irritamenta. Non tam animi gratia, vel ut privato satisfaciatis officio, quam reipublicæ causa, et ut publicis commodis succurratis, impigre jam studendum, incorrupte vivendum est. Non inquam, jam ideo præsertim studendum est, ut mentes vestras scientiæ suavi salubrique esca pascatis, cultu splendido ornetis, honesta voluptate deliniatis; ut ex eruditione claritatem adsciscatis, opes conquiratis, dignitates assequamini; non idcirco bene vivendum, ut alacri conscientia, integra fama, spe jucunda fruamini, salutemque denuo propriam consequamini: sed enim potius ad nobiliores quodam-

modo scopos collimantes, ut inde subsidio præsidioque vestro rempublicam his egentem adjuvetis, labantem sustentetis, periclitantem conservetis.

In eo siquidem cardine jam nostra omnium salus vertitur, in eo præsertim ecclesiæ fortuna versatur, quam undique densis agminibus infensi perduelles circumsistunt, omnibus machinis admotis illam impetentes, cunctis illam viribus ferociter oppugnantes, cum infesta signa palam inferentes, tum subdolas insidias clam intendentes.

In vestrum sinum veritas, variis ab hostibus vexata, variisque fluctibus jactata, nusquam tranquilla confugit, ipsius vos assertores et vindices, vos protectores et propugnatores unicos implorans; nec ea jam omnino pacata frui licet, nisi confestim ad certamen vos accingatis, in arenam descendatis, strenue depugnetis, ipsam vobis vi et armis asseratis.

Vestram religio fidem invocat, et promptas a vobis suppetias deposcit; quam importuni scilicet adversarii hi penitus evertere student, illi misere pervertere connituntur.

Vestra (si quidem ulla mortali) opera pax ut factionibus discerpta resarciatur, ordo ut turbis conquassatus instauretur, salus ut mille periculis involuta extricetur, jam præstolantur.

Multi jam ad portas Hannibales, agros nostros incursant, muros nostros obsident, vallis nostris insultant, nisi vos vigilanter adsistatis, nisi viriliter obsistatis, statim irrupturi, statim omnia direpturi. Innumeros perpetim Capitolinus ille flamen catholici sui potentatus satellites e castris suis, e claustris, e seminariis effundit, copiosis opibus dotatos, amplissimisque mercedibus conductos, armis valide munitos, animisque vehementer accensos, quibus nihil aliud

est pensi, quam ut populis irrepant, virusque suum infundant, ut lubricos in castra transfugas abripiendo ecclesiam nostram depopulentur, devastent, debellent, atque sub jugum mittant.

Multos parasynagogæ nostræ zizaniorum satores, turbarum incentores, nequitiæ et ineptiæ præcones fovent, animi præfracta contumacia, frontis impenetrabili duritia, ingenii versatilis astutia, linguæque volubilis efficacia ad vulgus seducendum mirifice comparatis, quibus et illud religio est (unica forsan religio) religionem nostram pessundare.

Quinimo complures tellus nostra gigantes protulit, impietatis immanes zelotas ac pugiles acerrimos; qui bello cœlis indicto, Deum e rebus extrudere, pietatem ab animis invellere mordicus adnituntur.

Quibus universis vos ferme solos ecclesia, veritas, pietas, habent quos opponant, salutis suæ patronos et propugnatores; vestris sua Pergama dextris defendenda committit, et accredit! A vobis utique nemo non expetit, non expectat, ingruentes cervicibus nostris hinc duram servitutem, improbas fraudes et imposturas, inde profanam infidelitatem, ineffrænem licentiam, factiosam pervicaciam, et enthusiasticos furores depelli.

Quæ si minus præstentur, aut male succedant; si veritas erroribus succumbat, si ab impietate religio profligetur; si quicunque prævaleant inimici, vel ecclesiæ status utcunque convellatur, totum id quicquid emerserit dispendii vestræ adscribetur inscitiæ, vel ignaviæ improperabitur; et dum aliis forsan in damnum aut in ruinam cedet, vobis duntaxat in crimen et opprobrium computabitur; neque quisquam tunc erit, qui frustra vobis invidenda hæc

otia contigisse, incassum in vos uberes istos proventus erogari, immerito tantam vobis existimationem competere, tantam in vobis spem collocari non exclamabit.

Cæterum ut his partibus rite defungamini, non segnis præstabit opera, non tenuis sufficiet industria, non modicæ facultates satis conducent; quin eo opus erit, ut ingenii nervos omnes intendatis, ut nulli non disciplinæ gnaviter insudetis, ut omnigena eruditione non leviter tincti sitis, at funditus imbuamini: nec enim sperandum est, ut nuda veritas armatos errores subigat; ut imbellis pietas giganteam audaciam prosternat; ut ecclesia solo nomine suo se indefensa tueatur; ut, nisi validis armis instructi, tot hostium copias sustinere, tantos aggressorum impetus reprimere valeatis.

Veritatem nonnulli veteratores antiquitatis obtentu suppressum eunt; qui nempe dum novitia sua commenta, cruda dogmata, musteos ritus hesternasque traditiones propinant obtruduntque nobis, nihil interim magis quam profundam vetustatem prætexunt, Patres citant, synodos crepant, veteres historiolas narrant; quorum ut Gibeoniticam simulationem detegatis, fallacesque larvas detrahatis, eludatis technas, erroresque refellatis, antiquitatis et ipsi scrinia diligenter excutere, Patrum scripta assidua manu revolvere, conciliorum decreta et historiarum monumenta percallere debetis.

Alii sophisticis tricis spinosisque cavillis errores involvant, obtusæ naris animique simplicis homines, velut araneæ muscas subtilitatum laqueis irretientes; et demonstrationes subinde nescio quas (frivolas quidem illas, sed intricatas et captiosas) venditantes; cujusmodi præstigias ut quo et facile perspicere et

expedite detorquere valeatis, uti solidioris omnis philosophiæ exquisitam notitiam indipiscamini, ut et non vulgari disputandi solertia polleatis, ita et scholasticis argutiis strophisque dialecticis, quantum suffecerit, assuescatis oportet.

Sunt qui plebeculam auribus prehensam ab ecclesia divellunt; proflui sermonis illecebris et populari suada demulcentes ipsam, inque suos casses illicientes; quorum ad assultus cöercendos, expedit et vos flexanimi vim eloquii comparare, ejusce præsertim, quod ad vulgi captum hominumque communem sensum accommodatur.

Alii naturæ singularem sibi peritiam arrogantes, mathesisque præ se ferentes eximium studium, ex Epicurea penu depromptis telis religioni pugnam intentant; neque cujusquam rei magis satagunt, quam ut divinam e mundo potestatem ac providentiam eliminent; horum ingratissimorum certe mortalium ut detestanda compescatis ausa, vestri quoque plurimum interest naturæ penetralia scrutari, mundi phænomena curiose speculari, rerum causas solerter indagare, diffusum per omnia Numen et singulis rebus impressa divinæ sapientiæ vestigia cum ipsi deprehendere, tum aliis commonstrare; quin et istis (quibus hi feroculi sciolique nebulones tantopere insolescunt) mathematis ingenium vestrum exercere, excitare et exacuere.

Neque demum linguas negligatis licet, scientiarum claves et eruditionis vestibula; sine quibus ipsi nec doctos intelligere, nec indoctos potestis erudire; et sapientia vobis vel nulla vel infans sit oportet.

Ista scilicet, Academici, tot et tanta rerum momenta vos ad quibuscunque studiis acriter incum-

bendum non tam invitant et suadent, quam urgent et cogunt; si vel existimationi vestræ publicæque de vobis opinioni satisfactum, vel almæ matris honori dignitatique prospectum, vel ecclesiæ saluti pacique consultum vultis; imo (quod istis præpollet omnibus) si vobis cordi sit vestro erga Deum officio perfungi, divinæque gloriæ inservire.

Neque jam segniores ad honestam frugique vitam instituendam hic temporum status seculique genius stimulos admovent vobis; cum enim ubique terrarum perniciosa licentia grassetur, pravæ consuetudines invalescant, dissoluti mores inolescant, pestiferorum dogmatum corruptelæ serpant, dissoluti mores contagiosis exemplis propagentur, cum passim alibi luxuria furat, discordia flagret, ignavia stagnet, improbitas omniscunque triumphet et dominetur; unde præterquam a vobis, inundantibus hisce malis obex aliquis, aut epidemicis hisce morbis remedium quodpiam expectetur? quo profuga virtus nisi ad hoc asylum se conferat? ubinam integritas nisi in hoc portu conquiescat? qua in arce sobrietas incolumis consistat? qua in officina solertia se exerceat? ubi mentis alma simplicitas, illibatus candor, suavis humanitas, et intemerata modestia non solium in quo regnent dico, sed locum ubi commorentur, inveniant? ubi sanctior et strictior disciplina vigeat? unde vivendi certæ normæ, vel exemplaria clara desumantur? quam aliam vitæ cynosuram respiciat mundus, in opinionum salo fluctuans, aut inter errorum syrtes et scopulos velificans? Enimvero nisi vos prompte succurritis, haud sanctis tantummodo præceptionibus homines ad optima quæque dirigentes, strenuis hortatibus impellentes, sed et illustribus exemplis conspicue prælucentes, de rebus humanis

conclamatum est, ferinam in rabiem et belluinas sordes degenerat seculum; in præceps omnia ruunt, ac infimum vitiorum in barathrum subto demerguntur.

Quinetiam ut huc unusquisque serio mentem advertat, invigiletque solicite, jam præsertim opportunum est, quoniam in vos ceu virtutis unicos magistros ducesque, ceu morum præcipuos arbitros atque censores, flagitiorum asseclæ animum perquam iniquum infensumque gerunt; unde malignitatis et invidiæ furialibus œstris perciti famæ vestræ perpetim insidias struunt, sequiores de vobis rumusculos captant, et Academiis dedecus impingendi undecunque prætextus aucupantur: quo magis si quando alias nunc certe vobis omnibus impensius allaborandum est, nequa vobis labes adspergatur, nequa porrigatur ansa mores vestros sugillandi; quin ut in his potius tanta pelluceat integritas, quanta facile tam a bonis et sapientibus viris laudem eliciat, quam improborum atque vecordium obtrectationes compescat. Sive genio seculi ad luxum atque licentiam proclivis, laxæ quicquam consuetudinis huc irrepserit, aut intruserit se, nostrosque suo contagio mores afflaverit, id protinus omne discutiatis et expurgetis.

Hæc, Academici, utinam ego non hac languida frigidaque (per tempestatis licet et occupationum æstus excogitata) oratione tenuiter innuere, leviterque perstringere, sed efficaciore vi quadam dicendi vestrum in pectus altius imprimere, clavisque quasi trabalibus infigere potuissem; utcunque quod exilis facultas dicendo consequi non potuit, enavabit animus vovendo præstare; neque mihi fervidæ preces unquam deerunt, ut mentem Deus Opt. Max. vobis

inspiret educatione vestra dignam, industrium in præcordiis vestris vigorem accendat, rectissimos in tramites vitæ vestræ cursum disponat ; studiis denique vestris et institutis feliciter obsecundet. Dixi.

DE SESTERTIO.

		Lib.	Sol.	Den.	ob.2us.	Q.4us.	C.8us.
IIS. Sestertius, $2\frac{1}{2}$ æris.	1	000	00	01	1	1	0
	2	000	00	03	1	1	1
	3	000	00	05	1	1	0
X Denarius, 10. æris.	4	000	00	07	1	1	0
	5	000	00	09	1	0	0
	6	000	00	11	1	0	1
	7	000	01	01	0	0	0
	8	000	01	03	1	0	0
	9	000	01	05	0	1	0
	10	000	01	07	0	1	1
	20	000	03	02	0	3	0
	30	000	04	10	0	0	1
Centum æris, 10. denarii.	40	000	06	05	1	0	0
	50	000	08	00	0	3	1
	60	000	09	08	0	1	0
	70	000	11	03	1	0	1
	80	000	12	11	0	0	0
	90	000	14	06	0	1	1
	100	000	16	01	0	3	
	200	001	12	03	1	0	
	300	002	08	05	0	1	
Mille æris, 100. denarii.	400	003	04	07	0	0	
	500	004	00	08	0	3	
	600	004	16	10	1	1	
	700	005	13	00	0	1	
	800	006	09	02	0	0	
	900	007	50	03	0	3	
Sestertium.	1,000	008	01	05	1		
	2,000	016	02	11	0		
	3,000	024	03	04	1		
Decem mille æris, 10,000. denarii.	4,000	032	05	10	0		
	5,000	040	07	02	1		
	6,000	048	08	09	0		
	7,000	056	10	02	1		
	8,000	064	11	08	0		
	9,000	072	13	01	1		

		Libra.	Sol.	Den.
	10,000	0000000080	14	07
	20,000	0000000161	09	02
	30,000	0000000242	03	09
um millia æris, 10,000 denarii.	40,000	0000000322	18	04
	50,000	0000000403	12	11
	60,000	0000000484	07	06
	70,000	0000000565	02	01
	80,000	0000000645	16	08
	90,000	0000000726	11	03
ertium semel,	100,000	0000000807	05	10
bis,	200,000	0000001614	11	08
ter,	300,000	0000002421	17	06
&c.	400,000	0000003229	03	04
	500,000	0000004036	09	02
	600,000	0000004843	15	00
	700,000	0000005651	00	10
	800,000	0000006458	06	08
	900,000	0000007265	12	06
ertium decies,	1,000,000	0000008072	18	04
vicies,	2,000,000	0000016145	16	08
tricies,	3,000,000	0000024218	15	00
&c.	4,000,000	0000032291	13	04
	5,000,000	0000040364	11	08
	6,000,000	0000048437	10	01
	7,000,000	0000056510	08	04
	8,000,000	0000064583	06	08
	9,000,000	0000072656	05	00
ertium centies,	10,000,000	0000080729	03	04
ducenties,	20,000,000	0000161458	06	08
trecenties,	30,000,000	0000242197	10	00
&c.	40,000,000	0000322916	13	04
	50,000,000	0000403645	16	08
	60,000,000	0000484375	00	00
	70,000,000	0000565104	03	04
	80,000,000	0000645833	06	08
	90,000,000	0000726562	10	00
ertium millies,	100,000,000	0000807291	13	04
bis millies,	200,000,000	0001614583	06	08
ter millies,	300,000,000	0002421875	00	00
&c.	400,000,000	0003229166	13	04
	500,000,000	0004036458	06	08
	600,000,000	0004843750	00	00
	700,000,000	0005651041	13	04
	800,000,000	0006458333	06	08
	900,000,000	0007265625	00	00

		Libra.	Sol.	Den.
Sestertium decies millies,	1,000,000,000	0008072916	13	04
vicies millies,	2,000,000,000	0016145833	06	08
tricies millies,	3,000,000,000	0024218750	00	00
&c.	4,000,000,000	0032291666	13	04
	5,000,000,000	0040364583	06	08
	6,000,000,000	0048437500	00	00
	7,000,000,000	0056510416	13	04
	8,000,000,000	0064583333	06	08
	9,000,000,000	0072656250	00	00
Sestertium centies millies,	10,000,000,000	0080729166	13	04
ducenties millies,	20,000,000,000	0161458333	06	08
trecenties millies,	30,000,000,000	0242187500	00	00
&c.	40,000,000,000	0322916666	13	04
	50,000,000,000	0403645833	06	08
	60,000,000,000	0484375000	00	00
	70,000,000,000	0565104166	13	04
	80,000,000,000	0645833333	06	08
	90,000,000,000	0726562500	00	00
	100,000,000,000	8072916661	13	04

Gassendus pecuniam Gallicam confert cum multiplis sestertii nummi: supponit autem denarium, sestertii quadruplum, sub primorum Cæsarum temporibus, octavam unciæ partem æquasse pondere: quam hypothesin aliquatenus redarguit noster Gravius: probat enim sub illis, qui Vespasiano priores imperarunt Cæsaribus, varium et inconstans denarii fundus extitisse; majus scilicet et minus alternatim, sæpius tamen decrescendo, ita ut ab Augusto ad Vespasianum decreverit a septima parte unciæ ad partem octavam; in quo ferme statu perstitit a Vespasiano ad Alexandrum Severum.

De den. pag. 96, et 113.

Unde consequi videtur ad lectionem veterum authorum magis conducere, ut moderni nummi cum consulari denario (recentiore nimirum) comparentur, tum quoniam is stati certique ponderis fuit (unciæ septimam partem adæquans), tum quia tempus, quo in usu fuit, plerosque comprehendit poëtas et histori-

cos nobiliores, tum quia verisimilius est præcipuos authores ad hunc potius respexisse, quam ad Cæsareum, illum mutabilem et nullo certo pondere definitum. Pag. 119.

Denarium vero consularem noster Gravius ex appensis multis denariis, ex eorundem cum aliis aureis argenteisque nummis (Romanis, Hebræis, Græcis, Persicis, &c.) collatione, et ex Vespasianei congii mensura deducit cum 62 granis Anglicis æquiponderare. Unde cum denarius noster octo grana pendat, consularis iste denarius valebit septem denarios nostros cum tribus quartis. At denarius Cæsareus, $\frac{1}{7}$ unciæ pondus habens, pendet, $54\frac{1}{7}$ grana, valebitque denarios $6\frac{3}{7}$. Pag. 61. 94, &c. Pag. 81.

Breerwoodus autem denarium consularem ($\frac{1}{7}$ unciæ pendentem) æstimat denariis nostris $8\frac{1}{7}$; et Cæsareum ($\frac{1}{7}$ unciæ) denariis $7\frac{1}{7}$: quæ magna est a Gravio discrepantia. Sed is non videtur Romana pondera cum nostris accurate contulisse.

In eo quoque graviter errare videtur idem Breerwoodus, quod Cæsareum denarium Atticæ drachmæ putat æqualem; cum huic potius æquetur denarius consularis; imo quum exquisitius rem pensitando Attica drachma etiam consularem denarium (tanto majorem Cæsareo) 5 granis Anglicis exsuperet, ut luculente probat Gravius. Pag. 72.

Consultius itaque visum est a Gravio adsertis proportionibus adhærere, et cum consulari nummo pecunias nostras conferre. Quibus ex suppositis adjuncta tabella computatur.

Hæc tabula continuari potest ad infinitum, repetendo numerum ultimum singulæ summæ librarum in qualibet enneade; ita fiet enneas subsequens. Semper vero retinetur in omni enneade eadem summa solidorum et denariorum respective. Conferatur ultima enneas cum proxime præcedenti.

Mundus neque fuit, neque esse potuit ab Æterno.

ANNO 1649.

TENTAVI: mens Pegaseo super astra rotatu
Millia seclorum tranavit præpete penna:
Temporis immensos tractus lustravit, et ævi
Semotos fontes; vidi incunabula rerum,
Quum superi infantes agerent solennia primi
Natalis, lucisque suæ promotus in oras
Ipse recens nato Phœbus rideret ocello.
Nocturnis vidi surgentem e vestibus Hylen,
Deformem, nudamque tuis, natura, figuris;
Umbrosique chao caput hinc prætervehor, inde
Horrendum æterni pelagus mens longius audax
Intrat ab angusti ripis declivibus ævi.
Usque fatigatus perplexo errore viarum
Finibus invisis nec eodem calle relabor
Attonitam in lucem squalenti e noctis abysso.
Sic pia credulitas videt ipsa exordia mundi,
Illustrata oculos divinæ aspergine lucis.
Nec si recurrens temporis impetus
Evolvat orbes innumerabiles,
Motu retexens circulari
Præteriti stadii labores,
Recursitando deficiat licet
Mundi fatiscens spiritus impiger,
Distantias sic assequetur
Longius effugientis ævi.
Gyrantur isthic multiplices suo
Æternitates vortice refluæ,
Fontes abyssi seculorum,
Invia succiduis senectus.
Diffringerentur sphæræ adamantinæ,

Extingueretur flammula syderum,
  Et desideret sol anhelus
    Hoc spatii nimium volando.
Saturnus errans segnibus orbitis,
Et luna bigis mobilioribus
  Rotata, eodem a fine, cursus
    Perficeret, numerosque eosdem.
Nox atra lucem, vespera phosphorum,
Lux clara noctem, phosphorus hesperum,
  Idem seipsum prævolaret
    Præcipiti nimium rotatu.
Divina virtus aut senior foret
Æternitatis fontibus ipsius,
  Aut conferetur prolis ætas
    Dantis eam senio parentis.
Creatus orbis filius est nihil;
Est ante prolis mater originem,
  Æternitati est ante nullum,
    Ergo recens habeatur orbis.

Creatura non potest creare.

ANNO 1649.

QUI cupis artificis vires ostendere dextræ,
Creator æmulus Dei,
Vade, patris magni validos imitare labores,
Matris Nihil prosapia ;
Nitere, maternam scelerati seminis alvum
Corrumpat incestus liquor,
Arguet imbelles proles sperata parentes
Nil filius tui, et nihil.
I, steriles vacui campos hortare, colenti
Ut sponte læti obtemperent :
Mellis ab exucca stillantes exprime caute,
Et nectaris rivos sacri ;
Paupere de vena macilenti marmor inanis
Excide fidenti manu,
Visceribusque chao calcem extrahe, nunc age conde,
Mausole, mirandas strues.
Fac Gades Indus circumfluat, insula fiat
Ut lætiori cingulo,
Distantesque polos contactus jungat amicus,
Det vesperæ Eos osculum ;
Perfice tu, quæ si Eurystheus mandata dedisset,
Victus fuisset Hercules :
Parva potes, Nihili ac Entis vicinia novit
Distantiores terminos :
Hæc inter tu vincla jube, quæ conjuge magnus
Maritat annulo Deus :
In vacuum tua fac resonent edicta profundum,
Auscultet auritum Nihil :
Dic videant tenebræ ; præstet responsa roganti
Elinguis os silentii :
Concipiat vestro in cerebro fœcunda voluntas,
Dein loquendo procreet :

Sis vel uterque parens, sine conjuge Palladis auctor,
Juno simulque Jupiter:
Siste parum, non illa potes, Res filia cœli;
Agnosce vires proprias:
Clauderis exiguæ finito in carcere sphæræ,
Et limites arctos habes,
Ultra quos brevitate cõercita brachia tollens
Conatus audet irritus;
Servatrice manu moreris simul, atque resurgis
Instantis unici mora;
Num vacat huic aliud progignere, cujus aguntur
Natalis et funus simul?
Nec fugitivæ umbræ, tenuis neque sustinet aer
Impressiones verberum;
Sic insensatum, quo quis mage percutit ipsum,
Subsidit incapax Nihil.
Ergo agnoscatur solius sermo Tonantis,
Rerum stupendus artifex.

Dantur rationes Boni et Mali æternæ et indispensabiles.

ANNO 1651.

EFFIGIES formosa Dei constantis, Honestum,
Progenies innata sui, primævius ævo,
Principioque prius, nullius jura parentis
Agnoscit, nulla derivat origine stirpem:
Non ipsum sero fœcunda protulit alvo
Alma opifex duplicis mundi divina voluntas:
Quin edicta Boni, quavis seniora loquela,
Imperiis haud scita suis, nec jussa volendo
Jura tremenda colit, nec mente recusat iniqua
Ipse Deus, facilis Recto summittere cœli
Æternos fasces et sceptra regentia mundum:
Divinum est servire Bono, placidisque mereri
Obsequiis, nec se justo subducere posse.
Siste, quis audebit leges præscribere cœlo,
Quis laqueos mandare Jovi, superisque catenas?
Quis docili cervice jugum perferre Tonantem
Asseret ætherei juris consultus? an ora
Fræna cöercebunt rerum moderantis habenas?
Nil miri, nec cœlum ideo domuere gigantes:
Se regit et frænat, fines sibi ponit Olympus:
Immensum est mensura sui, sibi regula Rectum;
Is Deus est sibi, qui reliquis; se limite claudit
Virtus inconclusa; sua est angustia cœlo;
Cancellos Justi capit infinita potestas:
Non externa Venus domuit concreta profundo,
Uritur invicto propriæ bonitatis amore.
Non sibi dissimiles fore, non exemplar honesti
Conspicuum delere sui, non linquere tractus
Signatos vellent superi, possentve volentes;

Quos, Helice propria vestigia certa regente,
Extra se nunquam pellexit devius error.
Si nulla ratione regant, discrimine nullo
Jusque nefasque habeant, pro libertate potentes
Elysio donare malos, in tartara bruto
Fulmine dejicere insontes, non dicere promptum est,
Nil refert Deus an terræ moderentur alumni.
Velle nefas non posse Dei est, sed velle tyranni:
Quas idea Boni leges, agnoscit easdem
Umbra coæva Boni Pravum, et contrarius hostis:
Hæc duo sunt Camarina duplex, infixa profundo,
Non ullis jactanda ruentis fluctibus ævi:
Rident imbelles digitos, viresque sororum
Fila colo non texta sua, decreta priusquam
Licia prima cito torquerent pollice Parcæ.
Quin et ab his fatum ducit sua stamina lanis,
Ac Vulcanus ab his finxit sua vincla metallis:
Non ea contingit faciles emergere in ortus,
Deinde pudens caput in primos abscondere fontes,
Sic Epicureus radios variavit Apollo:
Non ita qui stabili semper fulgore coruscans
Sol noster, nequit ipse suas extinguere flammas:
Illis ceu stygiæ voto constringitur undæ,
Nulla quibus possunt exolvi secula vinclis:
Lassaret digitos Jovis hos evolvere nodos;
Non licet has fixas Arctos demergere ponto.
Mendaces Pulchrum fucos admittere nescit,
Nativæque decus charum deponere formæ:
Nec deforme malum quavis mutaverit arte
Æthiopes vultus specie candentis Honesti.
Finge Deum indulgere malis, obducere nubem
Fraudibus, et tuta convolvere crimina nocte;
Vera loqui et facere; affectus cohibere ruentes,
Thure pio superos venerari, mente parentes,
Turpe sit et nemesis mereatur verbera justæ;
Ergo perire Deos, tenebras diffundere solem,
Et lapides sapere, ac Sophiam stultescere fingis:
Ergo nives fidis lambant incendia flammis;
Expers sit rationis homo, sævam agna Lœnam

Induat, et Libycos populetur fervida saltus;
Facta volente Deo fiant infecta, fuisse
Cesset præteritum, Clotho sua fila retexat;
Distet idem sibi, sed coëant contraria in unum.
Scilicet ideas Recti a discrimine tutas
Arce suæ divina tegit sapientia Mentis.

Dantur Substantiæ incorporeæ Natura sua Immortales.

ANNO 1651.

ESSE sacræ cœleste genus spectabile menti,
Perenne et expers corporis,
Ore, nec ambiguo, pronunciat augur Apollo,
Pronunciando comprobat,
Cum flammis Pythiam præsago arcana furore
Vis æstuantem corripit,
Interioris et ex adytis emurmurat orbis
Insaniens facundia.
Hoc Dodonææ quoties sonuere columbæ,
Lybumque cornutus pater?
Emicuit quoties veri hæc scintilla profundi
Cavernulis Trophonii?
Quin et ei tristes umbræ squalentis Averni
Radios suos accommodant.
Thessalici precibus quæ flectitur auris agyrtæ,
Quis commovetur ritibus?
Quæ freta vis celata quatit, concussaque sistit,
Abigitque ventos et vocat?
Machina quæ profugos sua in ostia retrahit amnes,
Ripis suis mirantibus?
Cur vetula mandante fugacia nubila parent,
Tremulique montes audiunt?
Queis Magus ex Epheso Romani fata tyranni
Oculis videbat, an suis?
Quid vatum inspirat cœlesti pectora flatu,
Laxata claustris corporis,
Cæcum Dircæi senis ut collustret ocellum
Lumen futuri præscium?
Talibus arguitur signis abscondita virtus,
Tenebræque verum illuminant.

Quo mihi cœlestes oculos, quibus altera mundi
Excelsioris conspicer
Regna per immensos lucem sorbentia tractus
Serenitatis limpidæ,
Si diffusa animi regio, liberrima tetris
Fœtentis Hyles sordibus,
Ceu Libycæ tellus deserta jaceret eremi,
Referta nullis incolis?
E cæco corpus tam multa tuebitur antro,
Animusque cernet nil sui?
Sin et magnifici prætoria regia cœli
Nullos habent satellites,
Stipat Achæmenei terrestria Susa tyranni
Augustior frequentia;
Sæpius et justos quæsiti ad muneris usus
Deerunt ministri cœlites;
Num rotet immanes gyris constantibus orbes
Immunis æther spiritus?
Quis Pallenæ celebret solennia palmæ,
Hymnisque lætificet deos?
Queis Deus affulget, queis divitis ille recludit
Sinus stupendos gloriæ?
Quis pellucenti divinum pectore lumen
Admittit et repercutit?
Quis pia vota hominum fidis attolleret alis
Idem reportans præmia?
Insidiis quis fortunæ tutetur iniquæ
Urbes, viros, provincias?
Usque perutile, tam sanctum genus, orbis origo
Quid obstitit ne conderet?
Non potuit? minus est puras accendere flammas
Similes parenti proprio,
Cogere quam crassos terrena e fæce vapores
Jam dispares pulchro patri?
Noluit? impertire suos divina nitores
Haud invidet benignitas.
Ergo ruat vacuo senior Gargettius horto
Suicida sævo dogmate:

Angelicas certo produnt existere formas
Ratio, fides, oracula:
Ergo datur species, sincerior æthere puro,
Tenuique vento rarior,
Fœda venenosæ quæ vincula respuit Hyles,
Lethi malignos fomites.

Dantur formæ substantiales.

ANNO 1652.

SISTE parum quisquis cæca vertigine mundum
Currere, divinæ nobile mentis opus,
Credis, et ignavæ rigidis impulsibus Hyles
Vivida naturæ gesta potentis agi;
Qui rerum exclusis moderantibus intima formis
Constare exanimi singula mole putas;
Inspice picta Deûm rutilis pallatia flammis,
Quaque patent lati cærula regna poli:
Brutane materies æterna lege gubernat
Ordine fixa suo sydera, mota suo?
Quin indefessis potius ludentia gyris
Spiritus arcanis viribus astra rotat.
Quæ tua percellit jucundis lumina telis
Lux, quæque aurato sydera crine tegit,
Tota quid est nisi forma, decus, substantia cœli,
Impuri nihil aut materialis habens?
Illam hauris oculo, sìne et illucescere menti,
Ac animi tenebras irradiare tui.
Quid cœlum petis, et luna deducere formas
Niteris, ingrati Musa laboris amans?
Terra quoque innumeras fœcunda mater ab alvo
Fundit, et in tepido nutrit amica sinu:
Testor veris opes et gaudia divitis horti, et
Quæ tegit omnigenus florida prata color:
Ecce illibato decertat purpura lacti:
Judice me, neutri cedis, amœne viror;
Non ita materies distinguere mille figuras,
Non ita prata valet pingere mille modis,
Commutet pellem licet et se Protea jactet,
Ac sub multiplici veste latere sciat.

Arguit internam species externa, aliusque
  Vultus inesse aliud cor animumque docet.
Quin tacitas intus sub opaco tegmine formas
  Versari, et nutu flectere cuncta suo,
(Non secus ac brevibus majestas Persica sutis
  Clausa sub imperio Ægyptum Asiamque suo)
Proditur indiciis sub aprico sole peractis,
  Artificemque suum grande fatetur opus.
Thurane quæ perflant placido Nabathæa vapore
  Rura, aut quos spirant arva Sabæa crocos,
Alliaque ingratis caput avertentia fumis
  (Allia Niliacis annumerata deis)
Pæstanisque vigens horti regina rosetis,
  Diraque Socraticæ causa cicuta necis,
Vel nulla gaudent, vel eadem singula forma,
  Pugnantesque uno fonte petuntur aquæ?
Segnis massa potest nihil, haud contraria saltem;
  Nec bene materies, nec male, opinor, olet:
Quæ rebus tribuit varias demitque figuras,
  Quæ diversa dedit ludere, forma fuit:
Illa sub augusti specie præponderat auri,
  Illa levem plumam in summa volare facit:
Hac duce proceræ nituntur in æthera cedri,
  Flumineasque salix arida quærit aquas.
Muta suas dicunt operando animalia, possunt
  Viva etiam formas dicere voce suas:
Indicat has raucis mugitibus aëra complens
  Taurus, et argutis has philomela sonis.
Quas miramur equi fabricas fulvique leonis,
  Exstruxit docta forma operosa manu:
Cura sagax mentis, non præceps impetus Hyles,
  Facta adeo nobis ingeniosa dedit.
Forma voluptates agnoscit, forma dolores,
  Conscia sola boni, conscia sola mali:
Quæ sedet in dorso lente gradientis aselli
  Sentit, et horrendum forma gemescit onus:
Impetis absurdo torpentem verbere massam,
  Materiæ nervos irrita pungit acus.

Quid referam humanas mentes, sublimia cœli
  Germina, et illustri semine creta Deum?
Cum quibus exanimum satagens confundere corpus
  Amens se (et me etiam) judice semper erit,
Qui pedibus saltem manibusque aut sanguine crasso
  Exercere putat se rationis opus.
Rebus inesse igitur plures ab origine formas,
  Sydera, terra, animæ, vita, animusque probant.

Conscientia erronea obligat.

ANNO 1652.

TYRANNE vitæ, fax temeraria,
Infide dux, ignobile vinculum,
  Sydus dolosum, ænigma mentis,
    Ingenui labyrinthe voti,
Assensus errans, invalidæ potens
Matris propago; quem vetuit Deus
  Nasci, sed orto principatum
    Attribuit regimenque sanctum:
Tuum fatentes imperium odimus,
Quod deprecamur suscipimus jugum;
  Una fugande, una sequende,
    Despiciende, colende princeps.
Lex mentis omni lege valentior,
Lux mentis omni luce micantior,
  Jus præpotentis veritatis,
    Vel specie simulata vincunt.
Ne pergeremus tramite lubrico
Natura certum constituit ducem:
  Errare nolle est summus error,
    Hac duce prægrediente nobis.
Si nulla portum sydera præferunt,
Tristi renidet nulla Helice polo,
  Vaga feretur navigator
    Æquoris Jonii procella.
Fac quod videtur luminibus tuis,
Fac quod putatur judicio tuo:
  Judex refelli, falli ocellus
    Possit, uterque tamen sequendus.

Distant remotis tractibus invicem
Legum voluntas nostraque, conjugat
  Mens dissidentes, hæc potestas
    Jus statuit, statuitque iniquum:
Hæc abrogetur justitiæ arbitra,
In cæca stulti proripimur vada;
  Hac luce pauca destituti
    Ancipites tenebras subimus.
Hic nodus artem vindicis Œdipi,
Hæc antecedentem bivia Herculem,
  Perplexitas hæc tortuosa
    Dædaleas operas requirit:
Lex illud, illud mandat opinio.
Dedit minori sceptra potentior,
  Diis elocutis obserantur,
    Quæ sibi mox reteguntur, aures.
Menti repugnet si manus improba,
Hæc fecit æquum, hæc jussit iniquius;
  Non laude numen, sed rependet
    Supplicio digitos rebelles.
Errore tingat barbara credulas
Si corda flectens Æsonidas, movet
  Necesse rursus, quin piumque
    Tingere se patrio cruore.
Ergo
Quod cuique scitur Numinis est loco,
Cogens vereri; nostra scientia,
  Seu vera sit seu ficta, nosmet
    Compede prævalida coërcet.

Christus per mortem fuit sacrificium proprie expiatorium pro peccatis.

ANNO 1652.

POTA diu factis hominum patientia Divûm
Extremam tandem sensit adesse sitim :
Ceu propinato vultus rubuere veneno,
Torruit accensus viscera clausa focus ;
Quid sitiente Deo tantum compesceret æstum,
Qui liquor, aut qualis sufficit haustus aquæ ?
Non mystæ si pro libamine Nerea totum
Funderet in patinas officiosa manus.
Peccantes vindicta jubet depascere venas,
Restingui haud aliis fontibus ardor habet
An tenuis prosit spernendi gutta cruoris,
Vilior an mœstis lacryma fusa genis ?
Pestis adhuc desævit, inexorabilis, illi
Balsama ne tribuat nobiliora Deus.
Præcipitis sensus, pronique Astræa doloris ;
Multa, sed pura, prædita bile Dea est ;
Æternis odiis, invicta pungitur ira,
Nulla mollescunt pectora dura prece ;
Orari venias, et blanda piamina culpæ,
Hoc sua rideri numina torva vocat.
Exigit æquali reparari debita lance,
Non erit injusto mitis, iniqua sibi :
Criminis unius maculam non eluet ævum,
Derivat labem in secula mille suam.
Hos simul ac vidit, simul est miserata rigores,
Progenies cœli nobilis, æqua Deo ;
Faturque O duræ mortalia subdita legi !
O nimium juris pacta severa mei !
Sic jacet addictus miser immortalibus umbris,
Luctari debet e carcere nulla dies !

Gutta salutaris nostro de vulnere stillet,
Prosiliant venis pura fluenta meis.
Hos ubi gustavit vindex Astræa liquores,
Risit, et a crudo vanuit ore rubor;
Deposuit satiata sitim, votumque nocendi,
Prorsus ab immiti facta benigna Dea:
Hac commutavit mors haud invita seipsam
Morte, per hoc fatum vincere visa satis:
Post hac dediscens Nemesis sua verbera plagas
Commisit Veneris flagra cremanda viro.
Sponsorem tantum jus summum admisit, in illo
Grandis amor, locuples copia, certa fides.
Non impune Deus tulit ipse remittere culpam;
Inde vel hinc certo pondere pœna ruit.
Promissa huc patribus, prævisaque vatibus, umbris
Occultata, fide credita, vota prece;
Huc sua prætendunt veteres mysteria formæ,
Hoc caput antiquæ relligionis erat.
Exulis hic hirci cædes, hic simplicis agni,
Hic sociæ fidi turturis omen habet.
Sanguine quæ fuso populi delicta piavit,
Hujus sustinuit victima cæsa vices.
Nam nec nare Deus bibula nidoribus aræ
Incubuit, liquidæ nubila carnis amans,
Nec bruta magnas animas virtute redemit,
Nec vili veniam conditione dedit;
Respexit prisco devotam fœdere vitam,
Displicuit tantæ haud eminus umbra rei.
Quin istos etiam mores transmisit in orbem
Princeps Tartarei carceris, iste malus;
Qui quum ementiti simulator Numinis esset,
Instituit simili religione coli:
Hinc olim immanes Tyrii Saturnia placant
Numina, sacrilegi per fera pacta sacri.
Herculis hinc ritus, altaria Tauridis, et quæ
Cædibus infecit Graia puella suis.
Sic radiat verum magis, allucentibus umbris,
Expiat inferno teste piacla cruor.

O mage damnati Furiis incredule regni,
  Extorris Getico Sarmata digne gelu !
Desine, nam positas vindicta resuscitat iras,
  Reffluit in latices vestra medela suos.
Abnuis ut Christum tua crimina morte piâsse,
  Amplius hac Christi morte piantis eges.
Sic delicta luit sua per compendia mundus,
  Totque malis hominum subditur unus homo.

Obedientia Christi non tollit obedientiam Christianam.

ANNO 1652.

QUEIS gravis incumbit moles mundana columnis?
Quo nititur fundamine?
Quæ movet immoto, quæ continet ordine virtus
Cœlum, solum, salum, omnia?
Imperium, obsequium; leges pollentis honesti
Jus imperans, pietas sequens;
Hæccine qui statuit, serie convelleret ipse
Præpostera discors sibi?
Vincula seclorum laxaret Conditor arcte
Queis obligavit secula?
Quos fecit justos, justos non esse licere
Haud sancta præstat sanctitas.
Assidet invidiæ, legem sibi ferre merendi,
Peccandi aliis licentiam.
Justitiæ celebres titulos, insignia cœli,
Inscripta diptheræ Jovis,
Arripere impuros negat Optimus ille, recusat
Nomen dari, rem subtrahi:
Quod meruit dici, meruit quoque fortius esse,
Quod imputari, et effici.
An satis externa speciosus pelle nitescat
Maculosus intima cute?
Quid, qui se nobis descensu fecerat æquum,
Ferat is sibi nos dispares?
Fræna suo implicuit, nostrone extorsit ab ore?
Se jussit et nos non jubet?
Nec nostris urgenda tulit vestigia plantis
Dux invium calcans iter?
Discipulusne sui temnat dictata magistri,
Famulusve heri, miles ducis?

Quod sua colla jugo Deus ipse inclusit eodem,
Tu subjugari respuis?
Quod didicit Dominus servili lege teneri,
Dediscet assecla obsequi?
An minor obsequio laus est, tenuataque virtus,
Divina vis quod paruit?
Num Christi pietas, quasi Saturnina, voravit
Nostram piam ejus filiam?
Non exhausit adhuc fluvios mare, gratia nondum
Major minorem absorbuit.
Non nisi conducto radiari lumine præbet
Errantis omen stellulæ;
Quæ prope cœlestes aditus infigitur orbis
Augustioris limini
Pura mente bibit radios, et rejicit auctos
Operum bonorum fœnore.
Celsius officium qua niti debuit ala,
Hac deprimetur fortius?
Fax sacra quæ Domini accendit præcordia, nostram
Extinguet observantiam?
Quo stimulante jubet virtus intendere cursum
Calcar inhibebit impetum?
Debita quo graviore Deus cumulavit acervo,
Eo minus solvenda sunt?
Anne honor a superis cedet mortalibus æquus,
Corona par, et præmium?
Seu quis magnanimo flagret virtutis amore,
Colat Deos, homines juvet,
Seu Lerna scelerum stagnet fœtente, repugnet
Aliis, Diis, patriæ, sibi?
Hoc pedibus sanctis tritum est dispungere callem,
Virtutis ad astra lacteum:
Ut positi adversa regione petantur eadem
Olympus et Avernus via.
Exue fallaces laqueos, spes projice vanas,
Blandis inhærens somniis,
Qui pennis cera junctis ascendere cœlum,
Mollive vis ignavia:

Connubio stabili gaudent, plaudente Hymenæo,
Beatitudo et sanctitas.
Jugis amicitiæ fatali fœdere vita
Æterna nectitur bonæ.
Justos esse malos non ipsa Astrea, beatos
Non ipsa det felicitas.
Christus parendo sanctis non officit actis,
Ea sed docet, jubet, juvat.

Terram esse in mundi centro sitam nullis argumentis evincitur.

ANNO 1653.

O NIMIUM faciles prono cœlestia sensu
Metiri, radiisque oculi finire pusilli!
Nempe patent circa picti laquearea cœli
Syderibus stipata, cavi seu fornice vitri
Implantatæ agiles jaculentur lumina flammæ.
Scilicet hos tenuis visus describere fines
Jussit, et hac mundi campum sepire figura:
Iste æquas stellis designat in æthere sedes,
Seu cursu stabili dubiove errore ferantur;
Ille brevi solem facile constringeret arca;
Et paribus suadet spatiis distantia mundi
Mœnia tellurem patulo complectier orbe.
Haud aliter stetit in mediis erratica terris
Delos, et in medio rupes sedet alta profundo,
Cujus spumoso lustranti e vertice circa
Omnia pontus erunt, deerunt quoque littora ponto.
Sic quem fata sinent lunam conscendere pennis
Anseris innixum, vel dira mole gigantum,
Se putet in medio rerum consistere puncto,
Et circum æquali converti sydera gyro.
Sphæra brevis sensus, cœli diffusa; capessat
Judicium ratio, quæ cum sit nulla, valete.

Hypothesis Cartesiana de materia et motu h satisfacit præcipuis naturæ phænomenis.

ANNO 1653.

ALUMNE cœli; flos sophiæ; latex,
Libella, lumen, lima scientiæ;
  Dilecte vero vir; fidelis
  Artis et ingenii magister;
Prostrata cujus cuspide Martia
Ignava collum flexit opinio,
  Nitens arenæ, comprimensque
    Deciduas cubito columnas;
Retusa sub quo vindice tetrica
Præjudicandi cessit iniquitas,
  Sophistice contentiosa,
    Et temere ingeneratus error;
Ignosce sanctis, maxime Cartesi,
Si Musa vecors manibus obstrepit,
  Ignosce, nos te curiose,
    Dum tua deserimus, sequemur;
Quæque abrogata lege tyrannidis
Exegeris suffragia libera
  Dicemus, en te adversus ipsum
    Intrepido speculamur ore.
Timere noli: spiritus arduas
Nisu impotenti succutiens domus
  Radice figit destinata
    Excidio tabulata tristi.
Ingens pusillo machina brachio
Impulsa stabit: fortius impetum
  En admovemus; væ, tremendo
    Verbere personuere nubes!
Heu quale visum lumina præferunt

Invita turpis conjugii, sacer
  Quod nolit Hymen auspicatæ
    Ignibus irradiare tedæ.
Informis Hyle, lurida, vividæ
Immunis auræ prorsus et ingeni,
  Et quapiam vertiginosus
    Mobilior, leviorque pluma
Motus, perennis connubii jugum
Subiere, faustos accipit annulos
  Sponsus triumphans, sponsa sordens
    Pellibus induitur decoris.
Junctis nefanda lege parentibus,
Lucina præsens innumeros dedit
  Forma nitentes invidenda,
    Cartesio perhibente, fœtus.
Prægnantis Hyles filia prodiit
Pulchra universi machina, cœrulus
  Æther, ferax telluris almæ
    Campus, et oceani fluentis.
Huc nempe cœlestis recidit labos,
Fecisse quondam res numero duas,
  Donasse nobis versipellem
    Protea, pennigerumque motum.
Quas scena mundi visibus objicit
Lusus decentis perpetuas vices,
  Persona duplex sustinebit?
    Huic Deus invigilet theatro?
An mundi ocellos, ætheris incolas
Cæco fluentes volvier impetu
  Volubilis vis bruta molis
    Ordine perpetuo incitabit?
Non cura mentis, non manus artifex,
Sed prosper aptæ materiæ fluor,
  Quas torpidi miramur ædes
    Struxit equo, volucrique cervo?
Nec sempiterni turbinis æmulum
Cor sponte gyrat mille volumina,
  Reciprocas sed obsequendo
    Incipit atque perennat undas?

Quid jam cupressi funebris aut cedri
Ortus, vigores, semina cogitem?
Non illa rector spiritus, sed
Materies operosa prodit.
Cicuta tristis, salvia sospitans,
Conyza fœtens, flos Paphiæ rosæ,
Utræque surgunt ex iisdem
Seminibus, vel utræque nullis.
Crescens metalli venula pauperis
Centum moratur syderis ambitus,
Lasciva dum forte expetitas
Mechanice peragit choreas.
Propensa nusquam passio prenditur,
Infensa nusquam; cuncta potens amor,
Sævum odium, finesque rerum
Exilium subeunt acerbum;
Non appetitus viribus insiti,
Sed tela vibrans, ac atomos truces,
Lupus, monenti te Renate,
Exanimam procul arcet agnam.
Hoc mens acumen languidior ferat,
Et tam coruscæ vim sapientiæ,
Inscitiæ O felix asylum,
Pande fores animæ fugaci!
Quin ista nudæ lucidus arbiter
Naturæ ocellis falsa fatentibus
Juraret interpres Deorum,
Si recitare vacaret, Hermes.

Reverendissimo magistro, et dignissimis sociis collegii S. S. Trinitat. Cantabrigiæ.

ANNO 1655.

ITE preces blandæ, rutilum moderantis Olympum,
(Vati siqua fides,) cœlesti semine cretæ,
Ite, Patrem vestrum placido mulcete susurro,
Ut vestra virtute polo deducta sereno
(In nutu sedet illa Dei, precibusque vocata
Supplicibus terras niveis circumvolat alis)
Alma Salus, comitem non aspernata Camœnam
Languentem licet, et vestigia tarda trahentem,
Desertisque sui ripis Heliconis egentem,
A ripis gyro ludentibus, alveus intra
Quas clari Sequanæ Lydo fluit æmulus amni,
Ad doctos pontes, tumidis quos alluit acer
Camus aquis, Camus quo non dilectior alter
Rivulus Aönidas conspergit rore puellas,
(Nec veteres olim qui præterfluxit Athenas,
Nec qui Parisiis præbet modo balnea Musis)
Carpat iter matrique memor se impertiat almæ,
Sexque decemque uteris, millena prole beatæ;
Officiumque pii commendet nomine gnati:
Sed tibi præcipue, reliquas præclara sorores
Ut parvos inter Phœbi soror emicat ignes,
Ædes sacra Deo, cujus subsistere trinum
Colligat arcano simplex essentia nodo.
Vos, dulces animæ, cæcis quibus intima flammis
Pectora carpit amor sanctus candentis honesti,
Quosque docent sua sublimes mysteria Musæ,
Nostra salus petit et charis complexibus ambit.
Sed levis obsequii est facilem dixisse salutem,
Hæc manat prono cordis de fonte fluento;
Majus opus superest, humeris gravioribus aptum,

Officiis æquale meis, sed viribus impar,
Quæ vestro vidisse ferunt accepta favori
Debilis exigui custodes luminis orbes,
In tenui tabula vestris quoque tradere ocellis,
Quæque iter objecit spectacula debita vestris
Auribus, angustæ numeris includere Musæ.
Sed quoniam dedit hoc cœlum mutantibus usus,
Nonnunquam dubiis expandere carbasa ventis,
Difficilique viæ tremulas committere plantas,
Nitar, et objectum aggrediar superare laborem,
Annuat incœptis audacibus æquus Apollo.
Postquam Thesea puppis rugosior, Argus
Quæ numerare annos, Argique foramina posset,
Ignibus exponi quam sævis dignior undis,
Excepisse sinu lacero gavisa recentem
Fortunæ nautam non disparis, alta petisset
Æquora, seu naso Nereus ridebat adunco,
Seu miseratus erat formidinis indiga justæ
Corda suam dubiæque fidem tentasse carinæ,
Quicquid erat (nam causa latet) subsidere visum est—
Marmor iners ponti, nimioque æquale sereno:
Non ita compositum, tenui cum carcere ventos
Dulichius conclusit utris, nec quando sonorum
Agmen in Æolii claustris compescitur antri.
Non conspecta prius, nec corrugata profundi
Arridet facies, animum mentita faventem;
Vultus amicitiam spirat, sed viscera bellum;
E quibus eructans salsi violenta vaporis
Tela fodit stomachum, reseratque repagula, nostro
Quærens extorquere suo quod ventre recondat.
Has tempestates quocunque tridente resedat
Certius et medico sanat præcordia visu
Alma parens tellus, exhalans aëra dulcem
Antidotumque maris; cujus simul atque tuemur
Subdita Marte favente animosis littora Neusti,
Invadit nova vis animos, nova vita pererrat
Corpus, et excedit peregrini nausea cœli.
Sic patriis ejectus aquis maris incola languet
Squamiger, in dulces cum vi torrentis iniqui

Excidit alveolos, insulsaque pocula gustat.
Qui si forte suos, fluctu felice relatus
Aut clemente manu, Neptunia regna, penates
Reppetit, amissi renovans momenta vigoris,
In mediam sese pernix jaculatur abyssum;
Sic nos in nostras reduces transivimus auras,
Portumque appulimus; cui spem mandasse salutis,
Fortunæque suæ impulsam civilibus undis
Commisisse ratem fertur rex maximus, alba
Cujus in augusto florescunt lilia scuto,
Qui parvam titulis Diepam regalibus auxit.
Crediderim Henricum, quo non sincerius alter
Numen adorabat devota mente Diones,
(Gallia salva viris vix unquam debuit) armis
Fæmineis voluisse suam concredere sortem;
Scilicet ignari cunas reperire Deorum
E Paphia Venerem cupiunt deducere spuma;
Nam qui Diepenses mulierum turba platæas
Qualis adimpleat attonitis lustrarit ocellis,
Queis haud sufficeret gignendis terra, putavit
Justius hanc isti genituram cedere ponto:
Sed quum mille vides, non est spectabilis una,
Hoc tantum Venerem nostris abjudicat undis.
Nec tamen hisce magis genitrix dilexit amorum
Threicium lasciva Deum: correpta furore
Pectora sæpe movent durum certamen, iisdem
Hectora queis incessebat Telamonius armis.
Testis eram, lectis vicino in littore saxis
Agmen Amazonium (sævis suadentibus iris)
Fæmineos onerasse sinus, quæ grandine densa
Dirus in oppositam disploderet impetus arcem,
Quam colit invisis data præfectura tributis.
Nec tamen hoc animal solum dominatur ibidem
(Haud loquor ex animo, liceatque impune jocari)
Huic affine aliud, longuinquo Hyperionis ortu
Advectum, pollens etiam conamine linguæ,
Garrulum, et humani simulator strenuus oris,
Depictamque cutem jactans pellemque decoram,
(Et quæ dicta prius, ne rem repetamus eandem)

Affluit hic nomenque hujus disseminat oræ.
Sed magis artifices digiti, manuumque labores
Atque pedum, quorum junctæ solertia curæ
In rebus magnas operas exilibus edit.
Ecce levi pedis impulsu nodosa rotatur
Buxus, in extremis acies quos bina terebrat
Cerne polos, in quos immotus desinit axis,
Dum medium se chorda sequax circumplicat, instar
Lubrica per ramos sinuantis terga colubri.
Imminet ex alto proceræ surculus orni
Nondum ætate rigens, primisque avulsus in annis,
Qui chordam fidi lapsantem compede nodi
Continet, ipse recurvato deflectitur arcu;
Funiculi reliquum sed finem mobile lignum
Excipit, et variis vicibus surgensque cadensque
Incurvat teretem, detortamque erigit ornum,
Ut pedibus placuit, pedibus labor iste dicatur.
Dum manus intentans aciem revolubile buxum
Lævigat, et placitæ exsculpit simulachra figuræ:
Omnia præsertim studio, ceu Protea quendam,
Numidicum vertunt ebur in miracula rerum;
Nunc in subtiles tanquam Vulcania vincla
Diducunt telas, digitisque trementibus instant;
(Materia in tenui laus maxima ponitur artis)
Nunc denso thecarum inspergunt tegmina flore,
Ac dente ex uno fabricantur plurima membra.
Verum alio vocor, obstrepero quo vellicat aurem
Murmure, et his potiora dari miracula clamat,
Fama nota prius, non lumine visa fideli.
Relligio non una, sed uno nomine jactans,
Dissona consensu, dissensu consona miro.
Quam varii mores et vitæ regula dispar!
Temporibus diversus honos, adytisque, cibisque,
Diisque colunt quorum non æquo numina cultu;
Multiplicesque habitus, et vestis discolor usus,
Collata adversus Junonia cederet Iris,
Plures ostentat Thaumantias ista colores,
Francisci fœcunda domus, cui simplice trunco
Plurimus assurgit numeroso palmite ramus.

Ille recollectos mores, alium iste cucullum,
Hic circumjectos funes in nomine jactat.
Gens assueta pati quicquid reperire molesti
Ingenium, aut natura potest infligere duri,
Quam possent matrem, malunt sentire novercam:
Non illis nitet et tenera sub sindone gaudet,
At riget hirsutis pellis circundata setis:
Contiguis plantæ lignis nituntur, iisque
Duritie certare valent, dum tibia nuda,
Et quam sola tegit patientia, nobile velum,
Quos habet ardores æstas, quas bruma pruinas
Despicit, atque omnes cœlorum provocat iras.
Est infame malum, cujus perterrita vultum
Non secus ac diram lethalibus horret Erynnin
Armatam facibus, Stygiosque in crinibus angues
Gens hominum, et jugi sudans conamine vitat:
Pauperiem appellant, haud nomen tristius ullum est.
Hoc illi monstrum reliquis immane feroxque,
Mansuetum domitumque regunt; quo milite luxum
Pellunt, et curam, quemque inflat copia, fastum:
Mundi delicias, oculorum fascina, mentis
Illecebras, rerum dominos et numina nummos
Calcant, contactusque levi haud dignantnr honore.
Paupertas operosa gradus habet, illius horrent
Culmen et affectant imæ subsellia classis,
Ac inopes infra mendicorum ordine constant:
Non illis reditus, non prædia certa, rogando
Accipitur victus, trahiturque precaria vita.
Ter videt innixos genubus Phœbeïa lampas,
Cum minima superum vertigine circuit orbem;
Luna vices totidem spectat nocturna, molesto
Cum vigiles somnos Campana intercipit ictu,
Dum reliquum involvunt ignava silentia mundum.
Scilicet hisce putant meritis deberier astra.
Quam vellem tantos vera in virtute labores
Impendi, studiisque bonis et mente colenda,
Hoc breviore via Elysios pertingeret hortos.
Quid sectatores Benedicti, Dominicique,
Queisque suas leges fictus dedit Augustinus,

Totque alios memorem, Musamque impune fatigem?
Sistra sonant, licet infandæ mysteria missæ
Visere, difficilesque imitari carmine ritus.
Non ego quam pretiosa ornet delubra supellex,
Nec quam magnifico rutilent altaria fastu,
Neve sacerdotum velamina, murice tinctas
Intextasque auro chlamydes, et flore decoras,
Ac Phrygius quas pinxit acus, describere formas,
Languentis calami vano certamine nitar.
Blanda per hæc oculos intrat simulachra voluptas,
Dum ferit auditum grato modulamine lingua,
Harmonicisque aures demulcent organa ventis;
Nempe suum sensus cœlum hic invenerit omnis.
Quid mentem movet interea, quo corda calore
Accendunt, animi excutiunt qua luce tenebras,
Et quid delicias imo sub pectore veras
Concitat, ignorare licet, dubitare profanum est.
Arrexi quantas natura indulsit, et illas
Haud curtas credo auriculas, vix attigit una
E tot vocibus attentam sententia mentem;
Miror, si populus peregrinæ murmura linguæ
Percipiat melius, quum cæco percitus igni
Exiguos versat digitis pernicibus orbes,
Os moderante manu, qua plusquam mente precantur.
Quod nisi jam tantis reverentia debita rebus
Injiceret Musæ taciturni frœna pudoris,
Porrigit immensum justa indignatio campum,
Quo tumidum pectus conceptas explicet iras;
Quum reputat quali male sanus fronte sacerdos
Mirifico tribus evulgatis ore susurris
Se jactat fecisse deum, factumque vorasse.
Talia divendunt miseræ ludibria plebi,
Nec pudet hosce fidem sanctam corrumpere monstris.
Distribuunt siccum panem, cænæque recidunt
Plus toto; sitiuntque alienæ pabula vitæ,
Altoresque animæ succos; quo nectare mundus
Prorogat acceptam fuso de sanguine vitam.
Nec satis est partes benedictæ tollere cœnæ,
Arripiunt totum, dum publica munera, nodos

Dulcis amicitiæ, pacis cæmenta beatæ,
Communesque epulas privato ventre recondunt.
Ut mater pullis, sic area maxima templi
Eminet, exiguis circum stipata sacellis;
Hic cætu excluso celebrant convivia secum;
Nec gratis, merces convivis solvitur ipsis,
Et sacro panem communem pane merentur.
Juratis opus est, ne plures scilicet uno
Audiat una dies prolatas gutture missas,
Ne populis exhausta suis, et fomitis expers
Purgatoria flamma precum virtute jaceret,
Et nimio mystis loculus turgesceret auro.
Sed cum festa dies affulsit sydere magno,
Cum circumferri pacis sub cortice numen
Assolet, evectum celebri per compita pompa,
Ille potens dominusque sui est, contraria quisquis
Non intermiscet, nec risu temperat iram:
Nam qui non intra solum penetralia sacra,
Sed Jove sub nudo, sub aprico tegmine cœli
Omnibus in vicis positas conspexerit aras,
Et circumstet eas quam ludicra gaza putavit,
Absterrere viros, pueros mulcere paratas;
Quæ disponuntur pupæ, quo turba maniplo
Incedit, tum quæ templorum affixa leguntur
Postibus, et memorare piget, præstatque taceri;
Quæ bonus amoveat Deus, et meliora ministret.
Magnifice servire Deo, clarisque docere
Indiciis mundum, quanto Dominumque Patremque
Et cœli et terræ et nostri vereamur honore,
Augustasque ædes condi, ornatusque decoros
Attribui, dignoque aras splendescere cultu,
Altaque devoto retegi mysteria ritu,
Festaque conspicuis recoli solennia pompis,
Sacrificisque suum decus, et sua jura rependi,
Et quacunque potest nasci, vel nata foveri,
Aut valida ostendi reverentia numinis arte,
Non ego, nec cuicunque viget mens sana, negarim.
His modo præscribant veras sapientia leges,
Et dilecta Deo ratio, maturaque recti

Pondera consilii, et custos prudentia justi.
Imprudentia turpis, et ignorantia veri,
Dedecus impensis redimi, sordescere vanas
Lautitias, magno risum sudore parari,
Contemptum Superis facit, et convicia cœlo.
  Sed nostra in primo nimium stetit anchora fixa
Littore, Musa moras lascivaque traxit inanes.
In lætos carpamus agros iter, ecce benigna
Fruge struit Pomona vias, quas ordine stipant
Continuo, dulcique inflammant corda rubore,
Invitantque manus fugientes pendula mala:
Hæ sata præcingunt, hæ compita cuncta coronæ;
Non infrugiferum telluris sarcina lignum
Definit spatia, et campos dispescit hiantes,
Ast circumtextus confinia limitat hortus.
Prodiga nempe soli latis exterminat agris,
Fructusque angustis munit manus invida spinis,
Vilia defendens inopi solatia vulgo.
Nec certe immeritis conceditur aurea pomis
Libertas, et quæ Saturnia regna deceret;
Illis divinos latices, certantia Baccho
Pocula, sed Cerere imbutas vincentia lymphas,
Pergratos cordi debent stomachoque liquores.
Non alio furiosa sitis depellitur haustu,
Quaque arent Crasso fauces, quaque uritur Irus.
Exigui constant, et suavem vile saporem
Saltem ventriculis pretium commendat egenis:
Scilicet haud nobis vinum Cereale minoris,
Ebriaque epotis frumentis venditur unda.
Rura per hæc segetum flavis uberrima gazis,
Dum segnes urgemus equos, vacat acta subire
Tempora, sollicitaque retexere secula cura;
Debitaque his nostri generis primordia terris.
Scilicet his egressa locis Mavortia pubes,
Signa ducis sectata sui, quem semine nullo
Natum, jure suum Fortuna volebat alumnum,
Invasit vestris lætum natalibus orbem,
Ferroque edomuit, dubiique favore Gradivi,
Adjecit titulisque ducalibus Anglica sceptra,

Et cum Saxonico Nortmannos sanguine junxit.
Utque genus ducens atro de funere Trojæ,
Relliquiisque iræ Argolicæ, flammæque Pelasgæ,
Incola jactantis septena cacumina Romæ,
In Phrygios delatus agros circumspicit omnes
Sollicitis oculis, nec segni indagine quærit,
An formæ fatale forum, surgentia pinis
Umbrosis Idæ juga, num Simoëntis arenas
Et domino rerum Tibri cognata fluenta,
Xantheasque sagax poterit dignoscere lymphas;
Ac densas inter segetes si rudera forte
Emineant, Trojæ quas conjectura ruinas
Cogitet, hasce diu lachrymoso lumine figens
Prisca novo Priami renovat dispendia luctu:
Sic nostros recolebat avos pia cura: sed ejus
Abrupit stamen medium objice villa superbo
Illustris, quam tota vocat provincia matrem:
Magna satis, tectis pulchra, instructissima vitæ
Subsidiis, populi locuples, uberrima gazis,
Queis dives tellus, queis ditius affluit æquor;
Quas ibi per Sequanæ vicina volumina Nereus
Deponit, dulcisque tributa remunerat undæ;
Egregii Sequanæ! solum tamen hactenus; ultra
Vix capit angusto majores amne carinas:
Quarum exultantes in laxo flumine cursus
Obtundit moles sinuosis saxea gyris:
Pons erat, haud alium forma, cum fata ferebant,
Ostentare parem poterant, æquéve patentem
Undique ludentes per Celtica flumina Nymphæ;
Temporis expertus vires, fluctusque feroces
Oppugnantis aquæ et belli exitiabilis iras
(Tempore quod citius, sævis violentius undis
Omnia deturbat) nunc una parte superstes
Nequicquam claræ monstrat monumenta ruinæ.
At mirum magis inspirator acuminis usus
Substituit, quem non excisi cautibus orbes
Sustentant, curvis nec ligneus ordo columnis
Subjicitur stabili fundamine, puppibus omnis
Incumbit, variisque incertæ legibus undæ

Obsequitur, nunc elatus torrente superbo
Assurgit, mox deprimitur cum gurgite manco;
Aspice jam tumidis ut aquarum montibus alti
Insideant currus hominesque, ac vertice prono
Despiciant humili subjectas aggere terras;
Quos subsidentis confestim valle profunda
Libratæ superat facies contermina ripæ.
Sed cum non vacet hic vigiles intendere curas,
Prolixisque hærere moris, splendentia magni
Atria pontificis, præclara palatia legum,
Cælatas auro cameras, serpentia muris
Lilia, qua vario celebratur curia cœtu,
Lautitiasque fori grandes, luxusque macelli,
Nobiliumque domos nitidas, et lucida templa,
In quibus eximias ostentat Oventius aras,
Obducto condent ingrata silentia velo.
At nimio fulgore ferit fugientia turris
Lumina, nec de se sinit ambitiosa taceri,
Quæ sola ex tribus a trunco surgentibus uno
Eminet, atque impellit acuta cuspide nubes.
Hæc nos ad matris Domini, matrumque serenæ
Adducit dominæ titulis insignia templa,
Quæ reliquis intervallo prælustria longo,
Augusti splendore chori pretiosa, patenti
Exporrecta situ, et sublimi marmore clara,
Tantos ornatus debent authoribus Anglis,
Cum sua demissis animosa Britannia Celtis
Sub juga complevit generosis omnia palmis,
Virtutisque suæ passim monumenta reliquit.
Ossa cubant isthic arctis damnata tenebris,
Quæ cum vitali gaudentia luce regebat
Spiritus, indomitas expavit Gallia vires
Magnanimi ducis (haud oculis comperta renarro,
Sed fama fretus, quanquam ceu visa referre
Jure viatoris deberem et jure poëtæ)
Occubuit miseris quocum fortuna Britannis,
Gallica res animam penitus contrita resumpsit;
Heröis monumenta rapi, manesque lacessi
Tranquillos (magnis terrentur scilicet umbris

Degeneres animæ) vana exoptantibus ira,
Rex etiam fato oppressæ virtutis amicus
Abnuit, et, qui se potuit defendere vivus
Judice me, dixit, meruit post fata quietem.
An posthac fortes violavit iniquior umbras
Impetus haud scio, sed tumulum spes irrita quærit.
Qua merito minor Ambosius sub marmore clausus
Conspicuo perituri oblivia nominis arcet:
Marmora quid loquor? hunc resonabit buccina major,
Et spisso clamore per æthera differet altum
Immani vocis certamine Georgius ingens:
Cujus in eloquium si vastam impellere molem
Vis hominum posset, Gangetidis accola ripæ
Ultimus audiret perculsa mente sonantem,
Exaudiret totus, et obsurdesceret orbis;
Concussas nutare domos, fragilesque fenestras
Dissultare, feros flatus regnare videres.
Is posset clamor cunctas perrumpere sphæras,
Adque ipsos penetrare Deos, symphonia cœli
Debilior nostras nondum licet attigit aures.
Oris quale cavum! non æque grandis hiabat
Machina ventre suo Argolicam complexa juventam.
Quam spissus munit paries! haud crassior illo
Murus, quo Nini Babylonem cinxerat uxor.
(Ne mirare adeo, neć mendacem argue vatem;
At perpende animo glebis ea mœnia coctis
In laterem, hos solido muros constare metallo)
Quis furor insedit mortalia corda, stupendo
Intima pro strepitu prædari viscera terræ
Divitis, et totas simul exhaurire fodinas,
Ac se tam valide conari reddere surdos?
Quæ manus ad celsæ turris fastigia tanti
Pondera prodigii evexit, cœloque locavit?
Illi Gnosius Ætneusque loco decedet uterque
Dædalus, et quisquis priscæ miracula Memphis
In pontum sub ea deduxit mole gementem,
Unaque ingentes oneravit caute carinas.
Sed te materies hebeti gratissima Musæ,
Plumbi stridula massa, tuasque relinquere sedes

Sævus amor compellit, et insitus ardor ocellis
Lustrandi nova, nec tepido præcordia voto
Accendit regni caput inspectare cupido.
Sic dum pomiferis celeres excedimus arvis,
Persequimurque diem medium, fontesque calorum
Obrepit Bacchus sensim, parceque trementes
Exerit in limbos inimici frigoris ulnas,
Mox tepidi afflatu factus fidentior Austri
Densius objectat vineta feracia, tandem
Ebria continuo saturantur lumina Baccho;
Ast humili Baccho, nec qui conscensibus altis
Aërea tenues ramos circumplicat ulmo,
Contentus terræ affixis incumbere palis.
O quam te taceam, variis Momorantia vallis
Afflua deliciis, per quam domus inclyta, primos
Admissæ jactat quæ relligionis honores,
Sed fati rigidis insultibus obruta, Lethes
Nescia vivit adhuc et nomen vindicat ævo.
Nec mera vina crepas et munera sola Lyæi,
Calles haud invita tuos peragrantibus offers
Altera dona, tuis rubet altera purpura campis.
Ecce verecundis cerasis ut consita rura
Indefensa viis irritamenta rapinæ
Objiciunt, nullo munimine tecta, sed illo
Quod præstant probitas et rara modestia vallo.
Egressis hoc Elysio suprema laborum
Meta sub aspectum venit.
Pandite nunc Helicona Deæ.

PARISIIS,
Feb. 9. 1655.

Iter maritimum a portu Ligustico ad Constantinopolim.

NOV. 6, ANNO 1657.

LUXERAT illius soboles gratissima, cujus
Æterna fasti nobilitate rubent,
Quæ sceleri devota evasit sacra saluti;
Hæc prior, illa dies sexta Novembris erat,
Cum dulcis terræ placidis amplexibus acti,
Inque tuos lapsi, Doris amara, sinus,
Deserimus Ligures oras, arcesque Liburnas,
Subditaque Etrusco littora clara duci.
Ut tamen exilii patientia mitior esset,
Et foret intrati parca querela maris,
Fecit amica ratis, quæ dum felicibus auris
Spumanti æquoreas perruit ære vias,
Visa fuit medio turris discurrere ponto,
Visa rapi tumidis altera Delos aquis;
Tanta superstabat moles cedentibus undis,
Sub tali gemuit pondere pressa Thetis;
Haud illa major, nec pulchrior altera navis
Tradit in Æoliam vela superba fidem,
Per medios cœli ardentis quæcunque calores,
Et sævum pavidas per mare quærit opes,
Perque ea, quæ priscis ignota tonitrua nautis
Fulminei vincunt tela trisulca Jovis.
Hac nos Tyrrheni sulcavimus æquoris illas,
Quas adiit primum Lydia pinus, aquas,
Quasque errabunda tranavit Dardana pubes
Fatorum dubiam classe secuta fidem;
Lævum puppe alta spectantibus Itala tellus,
Occupat adversum Cyrnus iniqua latus:
Saxa tenent medium, trepidis quæ cognita nautis
In nostro nullum carmine nomen habent.

Tum regina deûm, veteris non immemor iræ,
Quam peperit formæ palma negata suæ :
Ventorum pater, angusto qui carcere ventos
Comprimis, arbitrii sub ditione tui,
Trojanum genus, et Brutum jactare parentem
Ausa secat Tuscos gens inimica sales,
Hos modo tu : verbis assibilat Æolus, Ultra
Non opus est, conjux imperiosa Jovis ;
Et simul emissus claustris resonantibus Eurus
Avolat, ac nostrum consonus Auster iter
Reprimit ; abripitur variis obnoxia ventis,
Subditaque incerto lassa carina salo ;
Undique vesano fluctu jactata volutat,
Et nunc has partes, nunc resupinat eas ;
Instabiles titubant mensæ cœnantibus, orbes
Desiliunt, patinas dira ruina trahit ;
Hunc aries, illum lascivo bubula cornu
Impetit, e patula deflua lance caro,
Jus ruit indomitum, polentaque nescia justi
Limitis humanos irrigat amne sinus ;
Quid fragili vitro speres, Bacchoque salaci ?
Edit mirificos ebrius iste choros.
Senserat injustæ ludibria sæva sororis,
Et fremuit moderans cœrula regna Deus :
Hæc patitur, qua non gens navigat altera, nec qua
Insultat dorso charior ulla meo ?
Composuitque fretum, reduces candentia pulsant
Vela leves Zephyri, proficimusque via.
Aspera Sardiniæ lustramus littora, belli
Infaustas Tyriis Trojugenisque faces.
Tum procul Ætneus speculantes campus ocellos
Detinet, hunc Mavors durus adire vetat.
Mox Siculos inter fluctus Libycosque renidens
Allicit incertam Malta superba ratem ;
Infelix scopulus, si Parca benignior illas,
Quas natura negat, non tribuisset opes :
Scilicet haud dulcis torrentia pocula Bacchi,
Nec flavæ Cereris munera læta crepat,

Grandibus insignem factis Mavortia tollit
  Fama, rudes clivos inclita palma colit.
Difficili turres saxo natura tuetur,
  Adjicit ars vires ingeniosa suas,
Plus pia virtutis species, fulgentia summis
  Aggeribus niveæ signa decora crucis.
Floreat æternum justæ prosperrima sedes
  Militiæ, heroüm prodigiosa domus:
Queis dedit haud animos, scelerata nec induit arma
  Fluxus opum, aut vani falsus honoris amor:
Nobilis obstrinxit sancti tutela sepulchri,
  Agaridasque sacro pellere cura solo:
Effecit numero pollens ignavia, tandem
  Desererent voti prima theatra sui:
Expulsis Phœbea Rhodos concessit asylum,
  Phœbeam gestis nobilitare Rhodon.
At novus exundans Rhodopeïs montibus imber
  Hac quoque belligeram depulit arce crucem;
Extremum tandem profugi munimen honoris
  Hesperii Meliten munere regis habent;
Inde suis vastant Saracenas classibus oras,
  Sanctaque adhuc gladio vindice bella gerunt.
Hanc adimit confestim auris abrepta secundis
  Pinus, et Ioniæ pervolat æquor aquæ.
Vix semel immensi gyrum percurrit Olympi
  Flammigeris peragrans æthera Phœbus equis,
Cum puer, aërei prospectans vertice mali,
  Provocat aspectum bellica prora meum,
Persequiturque eadem cupido vestigia cursu,
  Expandens nostris æmula vela, refert.
At si vera crucis Melitææ insignia præfert,
  Congressus faciles optat amica comes.
Hinc dubiam nobis tenuit sententia mentem,
  An foret hostili concipienda loco:
Cœptum urgemus iter, pavor haud ingloria pulsat
  Corda, nec indignæ sordida cura fugæ:
Senas impendunt quater horas, jam prope nostris
  Ut verbis possint verberibusque frui;

Jam non ambiguæ agnoscit præsagia pugnæ,
  Armaque tutelæ dux animosque parat.
Quis tamen, aut quanam de gente feroculus audet
  Aggressa tantam sollicitare ratem,
Transtra per et cellas votis dubitatur acerbis,
  Perque feros nautas pignora spissa volant:
Hic, præfert tantos Hispania sola furores,
  Pugnacesve edens Flandria dura viros:
Jurat cornigeras malis insistere lunas,
  Et vecordis Afri despicit ille minas,
Istaque luna meis, ait, offuscabitur umbris,
  Nullaque cras, quæ nunc dimidiatur, erit:
Quæ tamen accendit timidos audacia Mauros?
  Quarum dira fames extimulavit opum?
Quod vix ausuros integra classe putarem,
  Virtutem nostram provocat una ratis.
Vespera telluri tristes obduxerat umbras,
  Cum prope nos tacitum dirigit hostis iter,
Quique futurus erat certaminis arbiter, undis
  Sol caput Hesperii gurgitis abdiderat:
Is simul ac rosea rutilum jubar extulit Eo
  Clarus, et in supero reddidit orbe diem,
Tempora candentes ostentant fusca tiaras,
  Distinguitque hostes certior ira suos.
Hinc nostri erigitur signum fatale Georgi,
  Cruxque suas edit sanguinolenta minas,
Inde vacillantis præsagum insigne levatur
  Imperii, mutila Cynthia luce rubens;
Quam ferruginei jugulo displosa canalis
  Compellant raucis ignea tela sonis:
Hanc tibi, si nostro gaudes sermone, salutem
  Dicimus, hoc Anglis convenit alloquium;
Has tibi portamus merces, argentea frustra
  Exigis, a nobis ferrea dona refer;
Responde, si grata tuas vox impulit aures,
  Surdescis? sensus arriget illa tibi.
Languidior certe, at nostræ cognata loquelæ
  Mauri rhetorice subjicientis erat:

Continuo obstreperæ crescens discordia rixæ
  Verberat horribili garrulitate polum;
Inter utramque ratem conferto fulmina currunt
  Agmine, venturæ nuncia mœsta necis.
Hæc graviore sono, raroque per aera cursu
  Sulphurei patulo gurgite missa tubi
Impellunt solidam lethali vulnere quercum,
  Et tractus linquunt signa tremenda sui;
Exiguum corpus, tonus est argutior illis,
  At densa cœli lumina nube tegunt;
Et profugam extrudunt angusto limine vitam;
  Utraque funestum musica murmur habet.
Eminus his piget æternum colludere telis,
  Et vano strepitu dilacerare polum;
Lintea rimosis perfossa meatibus auras
  Transmisere leves, pervia mille locis,
Irrita sed longe ceciderunt fulmina, costas
  Nescia robustæ perterebrare ratis.
Gressibus interea tardis processimus, omni
  Immunes trepidæ suspicione fugæ:
Scilicet in spissos tenuantur maxima nodos,
  Sola suum retinent vela minora situm;
Quæ dum propellit nisu leviore, modesto
  Pugnantes defert mitior aura gradu;
Acrius insistunt illi, et furialibus acti
  Consiliis agiles in sua damna ruunt:
Nec sibi proficuas admiscent viribus artes,
  Quosque fovent semper Punica corda dolos.
Qua ferit obliquus cedentia carbasa ventus,
  Invadit dextrum vis simulata latus,
Ocyus inverti mortis funesta supellex,
  Et tristis scenæ vultus abire prior,
Ac nostris propiora relinquens flamina velis
  Barbaricam fallax flectit habena ratem;
Invenit ex omni fallacia parte paratos,
  Nec steriles æstus quod sibi plaudat habet.
Admotis propius crevit certaminis ardor
  Ultimus, et segnes non tulit ira moras;

Incitat hos numero rabies subnixa, repulsæ
  Dedecus, et prædæ barbarus urget amor;
Nos urit justum decus, indignatio pungit
  Nobilis, et patriæ gloria sancta rapit,
Almaque libertas vitali charior aura,
  Libertas! bullit cor, animusque tumet:
Ut tibi subjiciar, monstrum servile, coactus
  Ut subdam arbitrio libera colla tuo:
Ut tua perpetiar generoso verbera tergo
  Vinctus, simque tuus, bestia fœda, canis!
Me prius irato percellat Jupiter igni,
  Intrepidum ferient tela superna caput:
Aut mihi si tellus discluso ventre dehiscat,
  Ingrediar terræ lætus ovansque sinus.
Vexet acerba lues, paupertas durior illa,
  Quam fero, squalenti comprimat arcta jugo;
Sanguine perfundar totus, per vulnera mille
  Exultans luteo carcere vita ruet;
Fluctibus exagiter, quos aut fortuna ciere
  Aut fatum valet, aut mitior ira deûm,
Sim liber modo, nec mea mens obtemperet ulli,
  Dum mea, præsertim, barbare Turca, tibi.
En modo concurrunt, nostram contraria puppim
  Dura sed invalido verbere prora ferit.
Suavia dispensant extremæ basia caudæ,
  Quam fragrans memores diffluit inde vapor;
Mox latus exæquant lateri, mensuraque nostris
  Congrua limitibus barbara navis erat.
Ne tamen amplexus divelleret ullus amicos
  Impetus, astringunt ferrea vincla rates.
Taliter accipitri conjungitur ardea præpes,
  Præsidium vitæ ferre coacta suæ:
Sic depascentis viridantia pascua tauri
  Involvunt avidum cornua flexa lupum.
Prorepunt portis serie tormenta minaci,
  Tartareisque edunt claustra referta focis:
Æstuat inclusus latebris fumantibus ignis,
  Prægnantes satagens exonerare sinus.

Æmula discludunt raucis mugitibus ora,
Et rixæ gaudent tempus adesse suæ:
Non ita terribilis latratu nigra trifauci
Cerberus inferni personat antra Jovis:
Nec sic Trinacrii monstrum ferale profundi
Dulichios vario terruit ore senes.
Nos primæ dubias vires tentare procellæ
Juvit, eis potior cura præire fuit.
Quos penes arbitrium nostras displodere flammas,
Acclinant imo corpora strata solo:
E quibus indomiti subridens pectoris unus,
Et stolidos temnens jam moriturus Afros,
Accipiamus, ait, quæ nobis munera præstant,
In prompto nos quod retribuamus erit.
Dixerat; extrusæ ferali fulgure glandes
Bis per nos cursum corripuere decem:
Bis denis duram quercum terebrare fenestris,
His aër, illis excipiuntur aquæ:
Obvia discerpunt fragilis tabulata carinæ,
Inque neces nostras altera tela creant:
Undique distracti vibrantur fragmina ligni,
In dominos sævit navis adacta suos.
Tres nobis socios tempestas abstulit illa,
Excipit hos Stygiis altera cymba vadis.
Sphærula quæ reliquis Parca retinente volabat
Tardior incautos conficit una duos:
Certius ut caderent arrecto corpore temnunt
Fata, rati instantes præteriisse minas.
Purpurea alterius dispersis area membris
Sternitur; innumeris mortibus unus obit.
Qualis erat falsis indutus tempora ramis
Venator, canibus præda nefanda suis:
Aut qualis fugiens incestæ jussa novercæ
Hippolytus, pavidis dilaceratus equis.
Huic pila prædatrix humerum detruncat acerbo
Vulnere, nec lacero e corpore vita fugit;
Ille manu præfert, et turpi stigmata fronte,
Alterius signant lignea tela genu.

His stimulis accensa ferocior emicat ira,
Mortiferas Nemesis præparat æqua faces;
Hostibus ultrices videas impendere Parcas,
Inde suas transfert mors inopina vices;
Qua seges uberior, potioraque pabula letho,
Qua cupidam satiet justa caterva necem.
Barbara tum stipat Lethæas turba paludes,
Et vexat querulis infera stagna sonis.
Is debellavit perculsos impetus hostes,
Corda repentino diriguere gelu,
Dum fœdæ contemplantur monumenta ruinæ,
Tincta cruentatis strata cadaveribus,
Pertusa immanes rimas in puppe patentes,
Ac irrumpentis lubrica stagna sali.
Deterrent Britonis studiosa silentia nautæ,
Constrictæque fores, tectaque nuda viris,
Nec audent inferre pedem, licet imperet atrox,
Et stricto ductor barbarus ense micet:
Hic patulas lethum fauces intrantibus offert,
Parca dolos nobis insidiosa struit;
Anglicus e loculis globulos hiscentibus ignis
Spirat, in expositos plumbea grando cadet:
Ingressus facilis, nec quem ferus obstruit hostis,
Præclusus callis ne redeamus erit;
Nos subducamus præsentis clade procellæ,
Alter præcipites in mare turbo feret.
Vocibus his, tremulo præbent alimenta timori,
Maturique abitus corda cupido subit.
Quæque injecerat imprudens fiducia nobis,
Cautior abrupit ferrea vincla metus.
Barbarici redit huc integra recensio quæstûs,
Quod nostræ tulerint mutua dona rati;
Legitimo funes cumulatos fœnore tempus
Reddere cum rursus congrediemur erit.
Nos penes interea verax harpago trophæum
Servatur, memoris pignus amicitiæ.
Scilicet experti sapiunt quod tutius illis,
Quam junxisse, rates dissociasse fuit.

Ridemus quali fugiens conamine Maurus
In fluctu ducat gesticulante choros;
Ut procera ruens alternis nutibus arbor
His modo, nunc illis oscula figat aquis.
Illis, dum læto profugos comitamur ocello,
Nec gibbæ visum præpedit æquor aquæ,
Certamen dubium rapidis indicitur undis,
Atque insultanti lucta secunda salo.
Vovimus absorptos inhianti gurgite, pinguis
Prædo pisciculis nobilis esca foret.
Nec deerant animis furiisque ultricibus acti,
Hos quibus inflavit sævior ira modos:
Quin sequimur timidos verso temone latrones,
Non elabetur debita pœna reis.
Quæritur exilis nobis vindicta, fugatis
Hostibus, a mersis gloria major erit.
Sed potior vincens miseros sententia fures
Tradidit in sortis jura manusque suæ;
Prosequimur tardis alacres incessibus illam,
Quam primum cœpit navis inire, viam;
Nec tamen erigimus ventis afflanda secundis
Carbasa suspensæ pallida signa fugæ.
Procinctum pugnæ reducis præmonstrat eodem
Belli procedens ordine pompa minax,
Donec victores oculos non pertulit ultra
Barbarus, et jam non conspiciendus erat;
At prius excelsa subducunt puppe sinistræ
Vexillum sortis quod modo testis erat;
Sive verecundam pravo certamine lunam
Subter horizontem jussit abire pudor;
Seu ducis occisi, nos ut speravimus, inde
Descendit versus Tartara nigra comes.
Quicquid erat, faustum pronis amplectimur ulnis
Omen, ovans cœptum plausus adurget iter.
Nunc quibus auspiciis tanti discriminis æstum
Fugeris, unde salus venerit ista, refer.
Debita justarum celebra præconia laudum,
Præsidii causas grata camæna tui.

Præcipuas sibi flammantis moderator Olympi,
Frugiferique soli, cæruleique maris
Asserit, afflicti vindex æternus honesti,
Proque fera pœnas improbitate creans;
Cui Nemesis pia vulnificis accincta flagellis
Paret, quæque bonis excubat alma salus,
Lubrica cui digitis victoria flectitur æquis,
Et fluxas debet bellica libra vices;
Legibus astringens servilia fata, necesque
Vitasque excusso dividit ille sinu.
Is mala deflexit Saraceni pondera plumbi,
Direxit certa spicula nostra manu,
Densa per hostiles immisit fata catervas,
Distribuit nostris vulnera rara viris;
Illi obstringimur, ætherea quod vescimur aura,
Nec sit in umbrosam vita redacta domum:
Et nostri juris quod libera colla feramus,
Terga nec excrucient verbera, vincla pedes:
Quod navi portum subeamus sospite, justas
Diripuit prædo nec violentus opes;
Quod bene pugnatum est, reliquos quod laudibus æquis
Decantamus, eum gloria sola manet,
Auspice quo, nullum Mervine tacenda per ævum,
Si mea quid possent carmina, bella geris;
Sit licet is nimium tenui pro carmine magnus,
Nec belle Atlantem pumila Musa canat.
Vecturæ est pars magna suæ, vix continet illum
Ampla, foret lembi grande minoris onus.
Vix sua sublimem dominum supereminet arbos,
Æthereo nubes vertice percutiens.
Calcanti depressa tremunt tabulata, minatur
Decussam in fundum præcipitare ratem.
Nec minor est tanto residens in corpore virtus,
Par mensura animo, moribus æquus honor;
Cor bene compositum, frons exporrecta, benignum
Ingenium, sermo comis, aperta manus:
Proh miras aqueis dotes animantibus, errant
Rara per incultum talia monstra mare.

Nec vigil admittit suaves in lumina somnos,
Fluctuat instabili dum sua cura salo;
Instruit officiis nautas, hortatibus acres
Accendit, resides increpat ore minax;
Nunc diducere vela jubet, modo pandere, rursus
Flectere quo venti pronior aura vocat.
Designat puppi vestigia, voce gubernat
Indice, morigera quam regat ille manu.
Navis iter numero confert labentibus horis,
Quid juvet, et currens quid remoretur aqua,
Disserit; æquoream plumbo rimatur abyssum,
Explorat scopulos, littora fida notat;
Inspicit attentus dubii præsagia cœli,
Noscere quid nubes vaticinentur avet;
Qua venti faciles spirent regione requirit,
Unde procellosus turbo pericla vehat:
Vix natas tempestates dijudicat, ortas
Distinet, arte sua fallitur ira poli.
Errantis nunc objurgat mendacia chartæ,
Nunc directricis vim meditatus acûs,
Qua gelidos spectat vultu directa Triones,
Et quibus intorquet lumina straba locis:
Sydera scrutatur tacito labentia cursu,
Digerit astrorum tempora, jura, situs;
Directo quibus impendet sol vertice terris,
Quas ferit obliquo verbere molle jubar,
Definit radio; quam sero sydere cœlum
Scandat, quasque obeat Delia fluxa vices.
Anxia perpetuus præcordia concitat æstus,
Quæque ratem, dominum jactitat unda ratis.
Haud dulci curas mordaces solvere Baccho
Sustinet, aut justas accipit ore dapes.
Sed noster, postquam portus intravit amicos,
Tiphys ab hoc quantum discrepat ecce viro.
Ceu navim mentemque suam simul omnibus illam
Mercibus, hanc curis omnibus exoneret,
Lætus amicorum cunctas circumvolat ædes,
Alternisque illos in sua regna rapit.

Colloquio, cantu, vino conviva benignus
Tædia fert lucis, tædia nocte tulit.
Integra ventre giganteo vineta recondit,
Nec dubitat plenos evacuare cados.
Haud epota queror prandenti flumina Medo,
Nec me quod mendax Græcia fallat erit;
Unus qui poterit fluvios haurire Lyæi,
Lymphæ millia tot cur potuisse negem?
Nec vino cerebrum gerit expugnabile, spernit
Pampinei vires insidiasque Dei,
Quamvis extremos is debellaverit Indos
Thyrsiger, haud valet hoc exuperare caput.
Ah quoties festo cum stridere mensa tumultu,
Convivasque inter serpere multa salus
Cœperat, ille tui dixit mihi Cynthia cordis
Nulla nec imperium Delia mollis habet,
Collegium tibi pro domina est; age pocula plena,
Pocula dilectæ sume dicata tuæ;
Sic pateram accipiens ut nunquam lætius ullam,
Plurima pro vestra vota salute fero.
Denique cum talis rector, convivaque talis
Sit, dubito pugnet fortius, anne bibat.
Scilicet invasit cum nos Saracenus, in illo
Gnavi virtutes emicuere ducis:
Providus expectat discrimen, idonea pugnæ
Omnia prudenti dexteritate parat;
Instruit excubias, obstacula submovet, arma
Præbet, distribuit munia, navis iter
Dirigit, exemplis animat precibusque, procellis
Objicit intrepidum fulminibusque caput.
Justa manent reliquos nautas encomia; mitto
Nomina, dum memoro fortia facta virum.
Cum nos infenso studio sequeretur, in illis
Hostis contemptus, non metus ullus erat;
Miscebant fremitumque jocumque, his risus ocellis,
Illis atroces incubuere minæ.
Nec strepitu belli crescente refriguit ardor
Martius, accendit fortior ira viros.

Surdas terrificus clamor circumsonat aures,
Cæcis luminibus lethifer ignis adest.
Hinc obversantur sociorum funera, sparsi
Artus, restagnans per sua strata cruor;
Mors volat undique flammigeris invecta quadrigis,
Nullus adhuc pulsat pectora firma tremor:
Digni quos palmis fortuna remuneret æqua,
Deliciis, opibus, nomine perpetuo.
Quis non interea duri discrimina secli
Ploret, quæque miser damna viator adit;
Et quibus objectat mercator chara periclis
Pignora, spem vitæ præsidiumque suæ?
Vis nova prædonum nunc omnibus incubat undis,
Et diris portant organa facta malis.
Antiquis facies horrori lurida cœli,
Emissusque cavis nubibus ignis erat;
Aut siqua ambiguo cautis demersa profundo
Occupat incautas insidiosa rates;
Fundaque damnosum torquens balearica plumbum,
Vel balista gravis saxea tela vibrans;
Aut quæ stridenti nervo decussa fugacis
Evolat Arsacidæ recta sagitta manu:
Jam nihil ista movent tormenta, potentia cœli
Ridetur, sævi temnitur ira maris,
Imbelles ludunt Neptunia sceptra tridentes,
Cumque suis telis fulminibusque Jovem:
Deteriora suis tellus dispendia natis
Edidit e gremio dira noverca suo,
Improba sanguineis prædonibus arma ministrans,
Flammivomum sulphur, Tartareumque nitrum:
Impetus his major, scopus est longinquior, ictus
Certior, horridior vox, citiorque via:
Saxea non illis obstant, non mœnia ferri,
Perrumpent solidas ex adamante fores;
Lignea ne speres obsistere valla, nec ullum
Contra compages ossea robur habet.
Auxilium cœli dedit hinc emergere, et inde
Vela per Ionios accelerare sales;

Ocyus attigimusque tuos Cytherea recessus,
Ægei portas introitusque maris:
Quæ juga famosis coluit Venus aurea templis,
Nunc Mavors Veneta possidet arce suus.
His adversa jacent Pani sacra Mænala, quæque
Tantalidæ Pelopis littora nomen habent,
Heroum nutrix tellus, celeberrima magnis
Urbibus, ingenio militiaque potens.
Magnanimam Sparten, Agamemnoniasque Mycenas,
Nestoris antiquam regia tecta Pylon,
Elida palmiferam, Tegeam, bimaremque Corinthum,
Junonisque Argos, et Sicyona crepans;
Nunc inculta jacet rigidi sub jure tyranni;
Tantarum rerum nil nisi fama manet.
Dictæos subito colles transimus, alebat
In quibus infantem parva capella Jovem;
Terribilis belli scenam; perfundit agellos
Undantes Venetus Threiciusque cruor.
Hanc prætergressos nos opportuna receptat
Melos, habens tutos insula parva sinus:
Hic conquassatæ reparamus damna carinæ,
Vulnera Dædalea reficimusque manu:
Jam post bis denos terrena revisere soles
Littora, deque cava scandere puppe datur:
Imbibimus cupido nativos ore vapores,
Queis putris æquorei displicet aura salis;
Ingressos nova corripiunt ostenta, videntur
Fœminei vultus, oraque nuda comis;
Ast inclusa tegens corpuscula lanea vestis
Haud valet exertum tangere curta genu:
Quæ tamen immenso spatium circumfluit orbe,
Quale premens Tityus jugera mole novem,
Diductis sinuata plicis; extensa patenti
Congruerent stadio finibus æqua suis:
Et quo quæque suis fortunis amplior, illo
Uberior gravius stragula præstat onus:
Hæc sibi circumdant proprii monumenta laboris,
Quæque suo ducunt pollice, fila gerunt.

Forsitan hæc risum poterant movisse tuenti,
Excutient fletus altera visa tibi:
Deformis rerum species, neglectus agrorum,
Irriguis manans lachryma crebra genis,
Et querulæ voces: Quid duro vertis aratro
Providus et pinguem semine spargis humum?
Quid teneris sponsos adjungis vitibus ulmos?
Mitia cur dura germina falce putas?
Cur armenta boum subigis, mollesque capellas,
Vim bellantis equi, lanigerosque greges?
Mox aliena tuæ complebunt horrea messes,
Abductos comedet barbara turba boves;
Te sitiente tuo spumantia pocula Baccho
Hauriet indomito gutture miles atrox:
Squalenti lanas pectis tegumenta latroni,
Teque tuumque ferox Turca domabit equum;
Aut Antenoria dominus de classe superbus,
Mercedis sitiens Dalmata, Russus inops.
Hæc miseros fortuna manet, cervicibus aptans
Pressuram gemini duritiemque jugi;
Quicunque Ægeis circundata fluctibus arva,
Ambigui Martis centra polosque colunt:
Tutelam neutri debent, utrique tributum,
Præsidium nemo commodat, ambo volunt
Præsidii quod eget: nec mitius illud, ab agris
Quos ipsi fructus diripuere petunt.
Cumque suis domini populantur classibus oras
Ancipites Venetus Thrëiciusque latro,
Matronalis honos incestæ damna rapinæ
Deflet, virgineus tristia probra pudor.
Annua frondescunt ramosa fronte maritis
Cornua, vix cervis certior illa seges.
Linquentes Tyriam Melon scopulosa repente
Circuit amplexu densa corona suo.
Delon Apollineam, (quæ quondam erratica divæ
Obtinuit stabilem munere fixa situm,)
Andron conspicuam, Bromiique palatia Naxon,
Frugiferam Tenon, marmoreamque Paron;

Et turpes Scyron latebras quæ cessit Achilli,
Ventremque implevit, Deidamia, tuum;
Excelsam Myconem, Gyarosque, brevemque Seriphon
Queisque minor fama est nobilitasque locos
Vidimus: his parcas sequiof natura ministrat,
Quas aliis nimias accumulavit opes;
Fœcundæ spicas Cereris, pinguesque Minervæ
Succos, quæque fluens dona Lyæus habet.
Irrita Gradivus naturæ munera præstat
Improbus, hæc miseris quæ dedit, ille rapit.
His eluctatos anfractibus amplius æquor
Concessit cursu liberiore frui,
Donec progressos intercipit, aspera curvæ
Subtendens Asiæ littora, clara Chios,
Ubertate soli reliquas cultuque sorores,
Ædibus, ingenio, moribus exsuperans.
Quæ licet Osmanidæ tenera cervice tyranni
Perferat enervans libera corda jugum,
Jactat adhuc Latii vestigia prisca leporis,
Et generis retinens signa notasque sui,
Altricem Genuam tectorum mole, loquela,
Deliciis, habitu, relligione refert;
Hinc pellucentes succos, stomachoque benignas
Incisæ lacrymas arboris orbis habet;
Quæque pöetarum validis collata Falernis
Festiva attollit pagina, vina bibunt.
Prominet ecce caput sancti cœleste Jacobi,
Ostentatque tuos, inclyta Smyrna, sinus;
Florentis famæ, cum res Romana Deorum
Consiliis felix auspiciisque stetit;
Nunc quoque magnificæ jactas monumenta ruinæ,
Splendoris testes relliquiasque tui;
Saxorum cumulos, inscriptaque marmora claris
Priscorum titulis, nominibusque ducum,
Rudera castelli, tremulo circundata vallo,
Nunc quoque post ipsos ambitiosa rogos,
Multiplicesque arcus, numerosisque antra columnis
Fulta, cavernosos permeat unda tubos.

Temporis anteferenda aliis præclara trophæis
Acclivi surgunt amphitheatra jugo;
Antra notes licet, et caveas aditusque ferarum,
Et spectatores quos tenuere gradus:
Quid Polycleteas forsan vel Mentoris artes,
Hæret longa quibus fabula, signa loquar?
Vel Polycarpei nugas sordesque sepulchri
Ridicula memorem credulitate miser?
Audebat vero qui vitam impendere, nullo
Aut tumulo dignus nobiliore fuit.
Nec speciem rapuit tantum, vultusque prioris
Attrivit nitidum fœda senecta decus,
Sed translata situ, et clivo deducta salubri
Urbs modo depressos occupat ima locos;
Solibus objectam, vacuamque patentibus auris
Morborum invadit sæpius atra cohors;
Floret adhuc tamen et cultu sub paupere celat
Vespera quas et quas advehit ortus opes;
Hic cupidi nodus mundi, quo confluit agmen,
Queis sacer argenti pectora torret amor;
Armenia huc molles longinquaque Persia setas,
Gazas Nile tuas mittis, et Inde tuas;
Avulsosque capris tenues Ancyra capillos,
Cuncta suique oriens dona superba soli.
Ipsa dat arboreas gossypia tenuia lanas,
Nulla quibus tellus æquiparanda, sibi.
Gallus ab occasu lati vagus incola mundi,
Et solers Italus, Belgaque gnarus aquæ,
Merces quisque suas; potiores impiger affert
Anglus, lanigeræ nobile vellus ovis,
Pallentis stanni, segnisque gravamina plumbi,
Utraque Mavorti sacra metalla novo;
Omnes argentum, natura futile pondus,
Sed nimiam ex usu vim pretiumque ferens.
Scilicet adversa Phœbo vertigine mundum
Circuit, et fontes Indica gaza suos,
Peruviis effossa jugis petit (ultimus illuc
Terminus occidui solis, origo novi);

Hesperii simul est titulos insculpta tyranni,
Protinus hac penetrat Persica regna via:
Tum loca monstrosus quæ dissita lambit Hydaspes,
Queisque Mogul magnus prædominatur adit;
Et varias peragit dum massa volubilis orbem,
Sceptrigeros vultus effigiesque refert.
Quas onerat multas Hispanica gaza carinas,
Vicinis semper Smyrna tuetur aquis,
Quaque nec emittit, nec portibus excipit ullam,
Affulget miro lumine rara dies:
Nec plures nec majores gens ulla ministrat,
Quam præses salsis Anglia nostra viis;
Nulla tot et tales fortunæ præstat alumnos,
Quos bene partarum palma coronet opum;
Dignos sorte sua, quibus arte instructa fruendi
Divitiis addit mens generosa decus.
Comiter excipimur cunctis, intrantibus ædes
Prostant, ingressis libera mensa patet.
Detinet invitum mansuetis viribus hospes,
Difficilis cupidum evadere pugna manet;
Distrahit incertos adversa copia lucta,
Qui jubet ut maneas suadet abire pudor.
Quo te præsertim, consul dignissime, versu,
Quæve canat dotes digna Camæna tuas?
Inclyta majestas proceri corporis, oris
Par decus, urbano nectare lingua fluens;
Nobilitas animo, cultis elegantia comis
Moribus, ingenio gratia dulcis inest.
Eminet in rebus peragendis plurima virtus,
Prudentem, fortem fama, bonumque vocat;
Cumque suos placido moderamine dirigat Anglos,
Terribilem adversis indomitumque ferunt.
Nec te illaudatum sileam, suavissime pastor,
Alter Smyrnæi tu Polycarpe gregis;
Communis soboles ornamentumque parentis,
Et matrem redamans officiose tuam;
Vestris me fultum meritis, et nomine, citra
Quod fuit in voti credulitate mei,

Ingenua bonitate excepit, fovit amicis
Consiliis, juvit consiliisque rudem.
Integritas vitæ siquid, facundia linguæ,
Et facilis morum candor honoris habent,
Siquid pacificæ mentis prudentia felix,
Et sibi cura suum conciliare gregem,
Hunc merito vestrum jactare potestis alumnum,
Certus ab hoc vobis germine crescet honos.
Me sibi devinxit certe, nec debita tanta
Excutient animo secula mille meo.
Nec regit imbelles agilis dum spiritus artus,
Excidet immemori gratia vestra mihi;
Hospite qui mensa cepistis et hospite tecto
Ignotum vobis immeritumque virum.
Dum peragit septem lampas Titania gyros,
Hic sumus, octava carpere luce fugam
Cœpimus, in liquidos iterum descendere campos,
Et magni portam Thracis adire juvat.
Errantes pelago scopulorum cingit acervus
Alter, in his palmam Sapphica Lesbos habet;
Quæ cunas Theophraste tuas divine, tuasque
Psittace, præclaris terra superba viris,
Alcæique chelyn, et jactat Arionis illam,
Quæ pisces valuit sollicitare, lyram.
Exerit hinc sublime caput Vulcania Lemnos,
Gleba sigillatum præbet opima solum.
Imbros detegit et canos Samothracia montes
Ardua, mystarum relligiosa parens.
Implicat invitos tandem statione maligna,
Nostræ equidem Tenedos non bene fida rati;
Quæque decem Danai classes Agamemnonis annos,
Nos totidem plagæ detinuere dies:
Hinc Veneti rerum, depulso Thrace, tyranni,
Inde viæ cupidos sæva moratur hyems;
Interea faciem belli spectare nefandam,
Et rigidi Martis tristia signa licet,
Ambustas ædes, direptaque prædia, passim
Quæque per incultos ossa seruntur agros.

Qua sunt aggressi terram regione, quibusque
Victrices scopulis applicuere rates;
Quo tormenta jugo Saracenæ obnoxia turri,
Queisque alacres turmas disposuere locis,
Demonstrant, vacat attentis admittere dicta
Auribus, invisæ dum tenuere moræ:
Rumpimus has tandem, cursumque iterantibus olim
Inclyta Dardanii littoris ora patet.
Florida planicies, placitis delecta Deorum
Artificum, sua qua Pergama sede forent;
Nobilis heroum circus, fatale theatrum
Virtutis, prisci Martius orbis ager.
Europen Asiæ commisit, Troas Achivis,
Diisque adversantes bellica scena Deos;
Hectoris eximii volucrisque effusus Achillis,
At magis ingenii campus, Homere, tui:
Condita divina ceciderunt mœnia dextra,
Ast æterna tuo carmine Troja viget.
Nec procul umbrosæ vertex ostenditur Idæ,
Quo funesta fuit lis agitata foro;
In mare contracto Simois ubi defluit amne,
Cum Trojæ allueret mœnia, major erat.
Dum vix elapsa est oculis Sigëia tellus,
Et sua adhuc memori funera mente sedent,
Altera suppeditant tragicos spectacula luctus,
Et cedunt aliis Troica fata malis.
Angustas fauces Athamantia deteget Helle,
Quas fallax toties nobilitavit amor.
Diffusos Asiæ tractus, plagasque patentes
Europæ tenuis distrahit unda freti,
Quam tumidus vanis vexavit Persa flagellis,
Et fluxam stulta compede vinxit aquam.
Quis Seston nescit, priscæ quis nomen Abydi,
Adversas arces, claustra gemella maris?
Cui non dicta est noctivagi jactura Leandri,
Parque Herus pulchræ flamma, sepulta salo?
Non licet his curas impendere, tendimus ultra
Ignave, contra vim venientis aquæ;

Donec liberior Propontidis alveus ipsam
  Explicat; effuso deficit amne vigor.
Rursus aberrantes angusto limite fluctus
  Congregat, et stricto continet ore salum
Bosphorus: attollunt septem fastigia turres,
  Et patet urbs longæ meta statuta viæ.

DE RELIGIONE TURCICA.

ΑΚΕΦΑΛΟΝ.

ANNO 1658.

MENTIBUS his residere metum studiumque Deorum
Quis putet, aut animos divinum tangere cultum
Humani expertes? Jovis ut Cyclopica corda
Cura premat, Cœli fateantur regna gigantes?
Sic habet: inseruit sensum nascentibus altum
Authoris natura sui, rerumque parentem
Ignorare vetat rerum fatalis origo;
Numinis immunes non vivitur; occupat omnes
Relligio, plus falsa juvat, quam nulla; docemur
Hanc facile, cupidaque stupentibus aure sacerdos
Imbibitur nugas, et inania verba susurrans.
Hinc simul ac patriis bellatrix turba latebris
Emersit, Scythicisque opulentam Persida sceptris
Supposuit, servos domini accepere magistros,
Succubuit victor domitis accessio sacris.
Sæva superstitio, bellisque creata ciendis,
Indulgens iræ, pronæque effusa remittens
Lora voluptati, martis simul improba fautrix
Et veneris, votis ac moribus apta ferinis,
Barbara corripuit subita præcordia flamma:
Quam faveas modo, Musa, nec indignere lacunis
Stercoris impuri te immergere, protinus omnem
Excutiam, quo fonte, quibus defluxerit olim
Alveolis, arcana rudi mysteria versu,
Absurdos ritus, commentaque vana retexam.
Primus Arabs, humili deductus stirpe, sed alta
Ambitione tumens, pravi molimine fretus
Ingenii, cum rem Christi marcescere fœdis
Corruptam vitiis, lacerique labascere vires
Imperii, populum luxu grassante solutum,

Immemorem priscæ fidei, fallique capacem
Cerneret, e Stygiis immissa luce tenebris;
Proditione prius satagit grandescere, cives
Sollicitare, jugum veteris convellere regni,
Allicere incertum studiisque accendere vulgus,
Se diro præbere ducem stimulumque furori:
Judiciis superum mox inclarescere; labem
Obscuri generis detergere, desuper ortum
Illustrare, potestatemque ascribere cœlo:
Mira per humanas mendacia spargere mentes,
Se libertatem sublatam vindice terris
Restitui, morum se correctore reduci
Justitiam, præcepta novæ veneranda salutis
Se præferre, sua reparari secula lege;
Quam non terrena cretam ratione, suique
Pallada jactaret cerebri, sed ab æthere summo
Divinoque sinu rapidis deduceret alis
Dux superûm Gabriel, Cœli fidissimus Hermes:
Aut inspiraret solitæ sub imagine formæ
Nobilis aura Dei, mites imitata columbas,
Et docili arcanos stillaret in aure susurros.
Sic e spernendo venerabilis, eque latrone
Vates, nil infra commercia numinis audax,
Ense simul stricto, falsoque feroculus ore,
Marte Jovem, sævis oracula miscuit armis.
Hinc præclara fides Mahometis; filia turpis
Perfidiæ, quam viperea detrusit ab alvo
Seditio, Lucina manus scelerata ministras
Præbuit impostura, tumentiaque ubera lacte
Sacrilego admovit, nutrix Bellona replevit
Cædibus, et crudo crescentem sanguine pavit,
Credulus effudit per conscia pectora terror.
Emanavit ab hoc fidei cynosura recentis
Angelico doctore liber, densissima monstris
Pagina, nugarum locuples, fœcunda Chimæris;
Colluvies tetra errorum, sentina, lacusque
In quem sectarum detrita volumina sordes
Deposuere suas, quas aut Judæa creavit
Aut pagana superstitio, vel pejor utraque

Hæresis, obscœnos Christi velamine mores
Pestiferumque tegens specioso nomine virus:
Omnis in hanc fluxit scelerum contagio Lernam.
Quale chaos rerum, tenebræ, confusio, bellum!
Vox derilanti similis, mens (siqua) furenti;
Et methodus, qualis connectit somnia; miror
Si sanus, vigilem certe scripsisse negarim.
Proponit, nec persequitur; per mille vagatur
Lubricus ambages, nec se extricare laborat.
Mille licet vicibus repetat sua, nausea donec
Ingruat et patulæ arescant raucedine fauces,
Nec meminisse sui valet, aut consistere secum,
In cantu sibi perpetuo discordat eodem.
Undique dicta rapit, compilat scrinia prædo
Callidus, immutat fallax sua furta character,
Deformat vultum larva celante priorem.
Polluit historias, veteris dictamina famæ;
Transponit loca, secernit vicina, remota,
Germanis Indos, Rheno conjungit Hydaspem:
Conturbat seriem fatorum, tempora rerum
Invertit, seros proavis præferre nepotes
Ausus, Alexandrum Cyro, Cyrumque Sesostri:
Attexit nova, quæ nullus firmaverit author,
Seria ridiculis, fucatis vera remiscet:
Confundit brutis humana, et sacra profanis.
Iste tamen liber, ut miracula vana, libido
Lascivus, novitatis amor, metus, improbus error,
Persuasere fidem falli proclivibus, alas
Explicuit, variasque absurdo dogmate gentes
Afflavit, comes armorum, quibus obruit orbem
Turbinis instar atrox Nabathææ cultor arenæ.
Vis illata duplex mundo; cervicibus arma
Aptarunt juga, sed juga mentibus Alcoranus;
Quem velut æthereæ scintillam lucis Olympo
Delapsam, veri canonem justique supremum
Et solum, sub quo decidunt judice lites,
Pensant facta, regunt mores, vitæque tenorem
Componunt, miro Turcæ dignantur, honore;
Descriptum pulchre limbo radiante coronant;

Solertes immensa reportant præmia scribæ:
Mille coronatis totidem mendacia constant.
Ast animo quisquis memori, cerebrique tabellis
Mollibus insculpens defuncti verba prophetæ
Respirare dedit, reverentia lautior illum
Prosequitur, meruit suffimina, numinis instar
Exigui colitur, decorat convivia præsens.
Objectum non ablutis accedere plantis,
Immunda tractare manu, contingere spurco
Corpore, luminibusque sacrum inspectare volumen
Haud bene purgatis, fuerit deflebile crimen.
Lustralis tibi lympha deest, cum tollere librum
Usus et officii ratio imperiosa requirit?
Armatos adhibe digitos, et forcipe puro
Suscipe, vel medii defensum tegmine panni.
Væ tibi, ni caveas contra lustrare profano
Podice, sacrificove opponere terga legenti.
O curas secus impensas, a cortice sordes
Externo prohibere, latentia stercora sensus
Turpis, et impuri maculas celare recessus;
Ac faciem dictis, sed non advertere mentem.
Hujus amor scripti non in se terminat, ultra
Promovet affectus, et chartas consecrat omnes;
Nosque reos peragunt infandi criminis ausos
Natibus infestis sacram temerare papyrum,
Religione sua inscribi (tum denique) dignam:
Nec Venetis se perpendunt debere cloacis,
Mirificum quæ nunc involvunt lintea vatem.
Dotatur miris virtutibus illita libro
Exceptis membrana notis; comitatur habentem
Certa salus, fugiunt depulsa pericula; tutum
Quis dubitet, tereti quicunque monilia collo
Appendat sapiens chartacea, brachia sanctis
Muniet armillis? quis tam temerarius illum
Ut violet morbus, damnum manus inferat audax,
Aut prope non nimium præceps accedat alastor?
Pugnatur? quoties inimicos obtudit enses
Affixum signis carmen fatale, caducas
Restituitque acies, dubiamque arcessere palmam

Attractu valuit? panduntur vela, procella
Ingruit, antennis circundata, chartula pontum
Compescit, nubes abigit ventosque, serenum
Allicit, in magico tanta est fiducia versu.
Stylus Arabs libri, sensus sublimis, ut illis
Esse solet nullus quibus est; evolvere cuncti
Non intellecto quamvis sermone tenentur,
Et legere ignari: studium persolvit ocellus,
Mens vacat officio: quid enim, nescire profanam
Excusare manum meruit, digitique recidet
Ignavi curas? quo scilicet indice voces
Enumerant, literas, accentus, commata, versus;
Qualia, quæve legant cæci, quota nosse laborant;
Mole fidem, non vi; numero, non pondere censent.
Ne tamen ignoret penitus miserabile vulgus
Quæ melius nescire foret, mysteria fidus
Explicat interpres textumque enodat acerba
Pensatus trutina, duroque examine notus.
Nunc quæ depromunt ex illo dogmata fonte,
Quos cudunt fidei articulos, exponere Musa
Aspirante juvat. Seni numerantur in ore
Communi celebres, primaque in classe locandi.
Esse Deum, angelicas mentes, sacra biblia, vates,
Judicium extremum, decreta bonique malique.
De quibus uberior quæ sit sententia Turcis
Dicam, nec posito deflectar ab ordine. Primo
Est Deus, æternus, naturæ simplicis, unus
Persona; similis, consortis, comparis expers;
A nullo genitus, genitor nullius; origo
Ipse sui; factor, custos, moderator eorum,
Omnia quæ patulo mundus complectitur orbe.
Transcendit sensum ipsius proportio, membri,
Partis, divisionis inops, non competit illi
Forma, nec effigies vivo simulanda colore.
Ante, simul, post res fuit, est, erit; haud manet usquam
Ille loci, nec abest; fixusqne per omnia currit.
Nec minor esse potest, nec major; commoda nulla,
Affectus, curas patitur: desciscere mundum
Finge, fides cesset, reverentia numinis omnis

Exulet, involvat sacrorum oblivio terras;
Nec deserta suis fument altaria flammis;
In cineres abeat cœlestis machina, priscum
Terra chaos repetat, nihili redigantur in alvum
Omnia, funestaque cadant absorpta ruina;
Nec dives minus aut felix erit, haud premet illum
Cura, vel afficiet dolor, aut urgebit egestas,
Intra se plenum consummatumque, suisque
Contentum saturumque bonis. Perlustrat aprico
Lumine cuncta; cavernosis quæ clausa latebris,
Quæ defuncta sua fugere evanida vita,
Illaque, quæ nondum mundanæ conscia lucis,
Imperfecta jacent dubiæ sub semine causæ;
Quo manifesta magis, præsentia, facta tuetur?
Cognovit pater Oceanus quot lambit arenas,
Quot numerat Ceres, ignavum quot grana papaver,
Qui foliis census debetur, quique capillis.
Hærentem scopulo polypum dijudicat, atræ
Formicæque super nigrum vestigia saxum,
Obscuros gressus sub opaca nocte tegentis:
Percipit elisos submissa voce susurros,
Atque verecundæ pressissima murmura linguæ.
Quoque nihil fecit natura abstrusius, ille
Intima rimatur taciti penetralia cordis.
Nec tamen aspiciens oculos habet, aut quibus audit
Possidet auriculas, est totus lumen, et auris
Totus: ab humano penitus perceptio sensu
Abludit divina. Illi mortalia subsunt
Omnia, prævalidisque obsistere nescia parent
Imperiis: ejus contra nihil accidit usquam
Aut præter decreta, manus, moderamina: nutu
Absque Dei nec musca suas levis explicat alas.
Non illum neglectus iners, non perfida Lethe,
Non præsumptio vana trahit, nec devius error.
Lucis inaccessæ longinquas incolit arces,
Quo penetrare nefas, etsi sublimibus esset
Ingeniis: ea mortalem mysteria captum
Excedunt, illuc spectare superbia nobis
Stulta, stupor sceleratus erit; pia suscipit illum

Credulitas, qualem descripsimus. Esse, secundo,
Angelicos confide choros, cœlestis alumnos
Aulæ, syderei comites proceresque tyranni,
Participes regni, mandatorumque ministros,
Ignaros peccare suique excurrere fines
Obsequii, quod nec flagrans remoratur edendi
Cura, nec importuna sitis, nec prolis habendæ
Impatiens studium distractos occupat; illis
Non gula, non venter, non est distinctio sexus;
Non Ceres est, non bis genitus, non filia spumæ
Cordi, indigna suo contemnunt numina cultu.
Quilibet officio vigil excubat; atria servant
Flammantis stellata poli; subsellia cingunt
Augusto substrata throno, despectibus alti
Verticis intenti, quo designante parati
Cæruleas pennis findunt velocibus auras,
Et peragunt opera sublimia jussa fideli.
Non situs est idem cunctis, non omnibus unum
Officium; perstant erecto corpore quidam
(Corpus enim si credis habent) discumbitur illis
Mollius, inflexis genubus reverenter adorant,
Et figunt alii cœlestibus oscula stratis.
Hic laudes celebrans placidi concentibus oris,
Aut agili volucres pertentans pollice chordas
Carmine mirifico totum demulcet Olympum,
Et superas grato modulamine personat aures.
Ille polo non invitus delabitur exul,
Nube coruscantes humeros indutus opaca,
Præfectus custosque datus mortalibus; oras
Perlustrat sibi commissas; bona, prava recenset
Facta, fovet donis meritos, pœnisque cöercet;
Sustinet auxilio labentes, erigit ipso
Prolapsos, levat oppressos, succurrit egenis;
Eludit technas exquisitique labores
Consilii, minimo digiti conamina flexu
Subruit immodicas vires jactantia; cursus
Humanos tenui sufflaminat objice; forma
Conspicuus nulli, et radians caput obrutus umbra
Apparet liquidis effectibus. Omnibus ingens

Robur, sed gradibus distant ac ordine certo.
Viribus excellent aliqui, immanique gigantes
Membrorum referunt habitu; de culmine cœli
Vix intervallum labentibus effluit horæ
In terras; Scythicas tractu pernice sagittas
Vincunt, sulphureoque emissum fulmine plumbum;
Impellunt quicquid properantibus officit; una
Immensos penna montes subvertere, terræ
Radices aperire, ostendere tartara possunt.
Inter eos Gabriel forma ac virtute supremus
Eminet: Esrahil, lethi niger angelus, Orco
Addicit tristes animas, Ereboque reducit
Palantes: mirum si non talaria plantis
Aptet, somniferamque manu virgam quatit alter
Mercurius. Summus postremi examinis index
Insertam tenet ore tubam, jussumque moratur
Numinis, inflabit monitus pulmonibus acer
Israfil, et mundum ferali perstrepet ære.
Perculsum clangore genus mortale peribit,
Corporibusque animas fatum commune sequetur;
Ut tener occumbit violenti flatibus Euri
Flosculus, aut fragiles Borea incursante fenestræ
Dissiliunt; non ipse suæ vim perferet auræ
Obstreperus tubicen, vitamque efflabit ab ore.
Per denas quater orbis erit desertus aristas,
Extabitque nihil vasti per inania mundi.
Post hæc Israfili vitam, ventumque, tubamque
Restituet Deus, et cantum renovare jubebit.
Ingruet angelicos manes, animasque jacentes
Eriget, immittens reduces in pectora motus
Spiritus, horrendum quo possint ante tribunal
Comparere, suæ rationemque edere vitæ.
Nec licet indignus fama reticebere, lucis
Transfuga, tartareæque hospes caliginis Iblis;
Non superum populos inter postreme beatos,
Ni dederat summo malesana superbia cœlo
Præcipitem, placitisque Dei parere negaras:
Nuper cum luteum Pater immortalis Adamum
Fingeret, æthereis animans præcordia flammis,

Et propriæ pulchra gavisus imagine formæ
Cœlicolas operi cultum præstare juberet
Applausumque suo; tumidus natalibus altis,
Nec memor Authoris, sua cui deberet origo
Se quoque, temnebas rigidum livore maligno
Incurvare genu: quid enim, clarissima lucis
Progenies vilem cœni veneretur alumnum?
Ut rerum confundatur justissimus ordo,
Naturæ pereat meritum, sublimia cedant
Depressis, terras axis stellatus adoret,
Serviat obscœna lampas Phœbea paludi?
At quid vana loqui, lingua velitare procace,
Adversusque Deum tumidas obtendere nugas
Profuit? obsequium non detrectavit inultus,
Fulmine pallentes decessit adactus ad umbras,
Lucifugamque colit cœlo detrusus abyssum.
Hinc miser invidia turget, stirpemque perosus
Immanis causam lapsus, flagrantibus iris,
Hortator scelerum, patratorumque severus
Persequitur vindex homines; nec simplice pollet
Nequitia, similes immundo semine natos
Progenuit (mœstis nec abest Venus improba regnis,
Est sua Plutoni Proserpina; sexus abesset,
Non foret infernus, nec dæmon posset haberi
Infelix, expers consortis; credite Turcas
Dicere, non ego sic teneros aversor amores),
Infensum nobis agmen, rabieque paterna
Accensum; macie tenues in corpora nostra
Insinuant sua, perversos in sanguine motus,
In nervis, in carne cient, rationis amico
Discordes regno; sensus a mente rebelles
Abducunt; laqueos, inimicaque retia tendunt
Virtuti; pravos affectus indere, vanas
Spes, stolidosque metus, cæcosque cupidinis ignes,
Curasque ancipites, querulasque superstitiones;
Omnigenisque student animos corrumpere monstris.
Successu scelerum gaudent, sannisque subactos
Excipiunt, hilares nostris cruciatibus hærent,
Deformes edunt subducta nare cachinnos,

Et sua solantur nostris dispendia damnis.
In mala non cogunt, nec apertis viribus instant,
Astuto tantum possunt impellere suasu:
Qui cavet insidias, est quod non horreat illos,
Victor erit quisquis venientibus obstruit aures.
Sed quid furciferos lemures moror? an furor illis
Possessum rapit? articulus se tertius infert
Quatuor obtendens effusa volumina sacro
Afflatu, non ambiguo munita sigillo
Æterni Regis, totidem inspirata prophetis:
Biblia primævus Moses, David edidit hymnos,
Christus Evangelium, Mahumetes Alcoranum.
Tres persenserunt hostilia fata priores,
Annosæ rugas, corruptelasque senectæ,
Omnia mutantis. Calamus peraravit iniquus,
Errores irrepserunt, turpesque lituræ;
Nil primi retinent illibatique decoris,
Nec priscam meruere fidem liber: ultimus, ævo
Ultimus, anterior (de se si creditur ipsi)
Et princeps pretio; purus, sincerus, abundans,
Nil falsi admistum, nil veri jactat omissum;
Quæ reliquis desunt supplet, decisa resarcit,
Confirmat genuina suo, fucataque truncat
Arbitrio; quem non fraus invida læserit unquam,
Deceptæque manus scelus, aut injuria mordax
Temporis, antiquum tenet incorruptus honorem;
Defectus nullos, contagia nulla veretur.
Hac perdurabit signata coronide veri
Regula, defuncto dum conclamabitur orbi,
Magnaque funereo flagrabit machina busto.
Quarta fides sanctos vates creditque facitque
Credendo, radiis perfusos pectora lucis
Insolitæ, superoque intinctos nectare linguas;
Mentis et eloquii promptos comprendere sensum,
Comprensum proferre Dei, præconia veri
Accinere, errorum nebulas dispellere, mores
Dirigere, et certæ callem signare salutis.
Fatidicæ gentis numeroso palmite stirpem
Diffusam, gemino conclusit limite magnum

Par, caput Adamus, Mahometes cauda prophetis.
Fictilis is cœni exucca compage, favillas
Ætherei rapiente foci, genitalia vitæ
Semina, naturæ prægnans virtute recentis,
Nuper prognati cecinit primordia mundi,
Authoremque suum teneram cognoscere prolem
Imbuit: ut piceis facies informis abyssi
Obsita squaleret tenebris; ut cærula nullis
Picta coruscaret stellis, nec luce serena
Rideret regio, varios nec ludicra gyros
Ederet; ut sterili tellus obducta palude,
Nocte rigens et morte, nec usquam surgeret alto
Ornatu nemorum, viridi nec serperet herba.
Ut pax nulla foret rebus, non pulcher inesset
Ordo, nec arbitrium legis, temeraria molem
Confusam instabili premeret discordia regno.
Ut tum divini nitidissima filia verbi
Turpibus emersit cunis, et præpete cursu
Qua patet immensum subito perfulsit Olympum,
Mobilibus collecta globis. Subsedit aquarum
In pontum digesta palus; tumefacta vigore
Prolifico tellus fœcunda protulit alvo
Omnigenas segetes, sylvas, animalia, tandem
Se caput et finem perfecti a Numine mundi.
Talia vaticinans reliquis prælusit Adamus
Rusticus et simplex. Mahumetem immanior olim
Corripuit furor; haud quamvis lymphatica Musam
Exagitet rabies, totusque invadat Apollo,
Ille magos inter quantum præfulserit omnes,
Nobiliter demens, insano carmine promat;
Quantos inflato superarit pectore montes,
Quam rigido arrecti steterint horrore capilli,
Quot rabido spumæ modios excreverit ore,
Incumbente Deo domitus; si vis tamen illam
Ulla domare potest animam, quæ condita seclis
Omnibus anterior rutilæ in fervente camino
Lampadis, æternæ duraverit hospita flammæ;
Sulphureis donec delapsa penatibus, aura
Frigidiore fruens, mortales induit artus,

Ut spem dæmoniis faceret, generique salutis
Humano, fidei reserans oracula miræ
Perpetuo mansura, feri nec dentibus ævi
Subdita, nec sævo fatorum obnoxia juri.
Hæc qui suscipiunt devota mente, favore
Numinis eximio summoque beantur honore,
Præcipue chari, neu quis dubitaret amicam
Doctori præstare fidem, permulta superstes
Ostendit, non ambiguæ concredita famæ,
Plura per Elysios edet miracula campos,
Postumaque attonitos mulcebunt fascina manes.
E digitis vivi latices manare reclusis
Prosilientis aquæ: celsi manus æmula montis
Sudavit gelidos rapido torrente liquores,
Et siccas Arabum fluctu irroravit arenas.
Vanus Athon fictor juvenis sub imagine fusam
Pellæi latum dextra profundere flumen
Pollicitus narratur; habebit fabula robur,
Et transibit in historiam; nec pagina vatum
Ulla laborabit dubii formidine veri.
Vocalis Dodona fuit, reor; Orphea circum
Cantantem auritæ salices duxere choreas;
Thebanas sola testudine condidit arces
Amphion; lunam Circe deduxit Olympo
Carmine; cur prisci sacris sermonibus ævi
Suspicione negem assensum detentus iniqua?
Quando poëtarum nuper transcenderit omnem
Materiam, torquere fidem majoribus audens
Prodigiis fugitivus Arabs: Æsopica vatem
Ore salutarunt animantia; sæpe prophetam
Asseruere Dei linguis arbusta canoris,
Nec conjuratæ tenuere silentia rupes.
Intendens digitum flexu pollente Dianam
Discerpsit, plenamque duos divisit in arcus;
Quos simul affecit cupido devotio cultu,
Deseruere suæ rutilantia culmina sphæræ,
Ingressique sinum vatis fovere beati;
Intumuit magna gravis hospite læna; subinde
Officio perfuncta brevi, satiataque charo

Amplexu, patulo manicarum emissa meatu,
Orbe recollecto risit, dictaque salute
In superas alacris remeavit Cynthia sedes;
Non ita Dictæi stimulo pastoris acuto
Inflammavit amor Phœben, cum languida cœlo
Decideret, placitæque infigeret oscula formæ.
Interea vos æthereas qui scanditis arces,
Ambitiosa mente; poli qui regna patentis
Dissita, flammigerosque orbes indagine freti
Audacis radii spatiis includitis, astris
Cancellos, finesque suos præscribitis ipsi
Astrorum Regi; queis stat sententia concors
Integros Arabum saltus excedere lunam,
Ægyptum licet et Libycas adjungere syrtes;
Dicite, quo contracta modo sibi tecta Sabææ
Induerit chlamydis, loculique foramine parvo
Immensum rutili vultus demerserit aurum:
Dicite, quis mendax fuerit, Ptolemæus an ille
Sortilegus, gracili vestras qui stringere pugno
Auderet stellas, Epicyclos clauderet arca,
Nummorumve instar sacco confunderet omnes:
Væ vestris, illi si creditur, esto trigonis,
Quadrisque, et refugo ductis in pulvere gyris;
Prospicite astrologi, et vestras defendite curas.
Interea, quintus musæ conamen anhelæ
Provocat articulus, summique ferociter instat
Judicii terrore minax: nisi credis, acerbas
Promittit tibi vindicias, præsagaque monstra,
Divino sapiens Mahomet quæ prodidit ore
Summum præcessura diem. Seductor Averno
Impius emerget, polluto semine, Christo
Oppositus nebulo, Graiis cluet Antichristus,
Deggiali Turcis; cœcas innectere fraudes,
Et pravo sataget pervertere dogmate mundum,
Se caput ostentans, præceptoremque salutis.
Quem simul aspiciet fulgenti desuper axe
Terris grassantem et virus lethale serentem,
Indomita pectus generosum percitus ira,
Non impune meum numen contemnet alastor

Tartareus, populosque meos abducet inultus,
Dicet, et illustri solio delapsus Iësus
Cominus aggressu furiosum proteret hostem,
Inficiet piceo rorantes sanguine terras;
Invectusque triumphali per subdita curru
Regna ferus victor spoliisque ornatus opimis
Incedet, plausu comitum stipatus ovante.
Interea viridi Saracenus origine Muhdi
Nascetur (sic lingua virum cognomine signat
Barbara, Director Latiis sonat auribus), illum
Conveniens Christus, fida solennia dextra
Fœdera conjunget, pulchræque cupidine gnatæ
Accensus dicet socerum; felice jugales
Protinus ardebunt tedæ fulgore, vocatus
Faustus Hymen aderit, thalamisque recepta superbis
Nympha decens magno peraget solatia sponso.
Dum denos quater evolvet Titania lampas
Tramitis obliqui reditus, regnare videbit
Per terras omnes quam nunc describimus unam
Assertore fidem Christo, Christoque probatam
Judice; sic levis antiquæ dictamina legis
Deseret, eque suis desciscet transfuga castris,
Doctior effectus: credat Saracenus Apella
Non ego; pulchra licet prono commenta favore
Credulus arripiam, quibus illustrissima clarum
Dant argumentum Gog Magog nomina: mures
Rugosæ sileat galeatos casside crustæ,
Et bellatrices ranas nugator Homerus;
Pygmeosque truces inter quos tristibus iris
Sanguineosque grues exarsit nobile bellum:
Corpore debilius, sed stragi fortius agmen
Finibus extremis Scythiæ, solisque cubili
Nascentis, cæcis in apricum reptile claustris
Prodibit Gog, et Magog; gens nana minorque
Formicis, gravis est minimum queis sarcina granum,
Millia Galfridi comprendit quinque patenti
Calceus hospitio, populisque palatia cedet
Ampla giganteis, vastamque colentibus urbem.
Qui simul innumeris dorsum terrestre catervis

Oppressere, avido cunctasque voragine fontes
Absorpsere lacusque; et maxima dulcibus undis
Flumina detexere cavos exhausta canales;
Enecuitque homines tristi sitis arida flamma,
Hæredes vacui traducent secula mundi:
Ingens parva stupor percellat pectora, prisci
Sydereas arces monumenta tuentibus ævi.
Tunc oblita sui cursus natura, soluto
Ordine, primævæ violabit fœdera legis;
Errabunt omnes stellæ; sibi dispar Apollo
Ducet in ëois nocturna silentia plagis,
Hesperiisque diem revehet præposterus oris:
Impatiens salsæ putrebit squamiger undæ;
Infecto volucres languentibus aëre pennis
Præcipiti lapsu devolventur: fera saltus
Nulla venenatos, nec inhospita lustra subibit.
Strata cadaveribus mœstissima scena ruinæ
Continuo tellus celebrabit funera luctu;
Cuncta repentino occumbent animalia fato.
Sedibus avulsos montes violentus avitis
Impetus æthereos adiget conscendere campos.
Sublimi dubium carpent iter astra volatu
Inter, et occursu committent prælia duro;
Sphærarum moles subitis adamantia flammis
Corripietur, et in fluidum diffusa liquorem
Migrabit; cum feralis desæviet ardor
Sopitaque refrigescet cœleste metallum
Sulphuris ignivomi cholera vehemente, recentes
Cudentur cœli; renovatis purior axis
Fulgebit radiis; redivivi candida Phœbi
Frons arridebit, macularum sordida nulla
Fæce, nec umbrosæ disparens objice nubis.
Nos quoque morte resurgemus, Lethesque sopore
Discusso, nudi, quales emersimus alvi
Maternæ latebris peregrina luce recepti.
Sed præclara pios, doctores atque prophetas
Involvet vestis, demissaque purpura cœlo
Nobilis, Hulet habet nomen: jumentaque Burak
Inflammata jubas radiis labentur ab alto;

Ignibus aurigam qualis circundata Phœbum,
Et Phaëtonteos post se rapit ungula currus.
Has induta togas, atque hos conscensa caballos,
Gens proba migrabit superi sub tegmen opacum
Lætificasque umbras solii, placidaque fruentur
Tranquillæ mentis requie: pars altera nudis
Expositi membris Boream frigusque severum,
Torrentisque feros cruciatus sentiet æstus;
Affligent inopes stomachos jejunia macra,
Parcaque pallentes tenuabunt pabula vultus;
Visceribus vacuis insanus sæviet ardor,
Non gelido prohibendus aquæ non aëris haustu.
Innixi pedibus stabunt; sedilia nulla
Restituent artus jugi languore solutos;
Palpanti tremulæ salient formidine venæ,
Emissusque pavor stupefacti fonte gelato
Cordis sudores rigida cute, stercus ab alvo
Excutiet, laxisque invitas renibus undas.
Mox versus superos ignes, solisque caminum
Ardentem plantis gradientur inermibus auras
Calcantes; Nemesis flagris crepitantibus instans
Urgebit tardos, lapidis distantia donec
Discretos tenet unius, præcordia Phœbi
Ne subeant, liquidæque natent in gurgite flammæ.
Bulliet in venis insueta febre laborans
Sanguis; fusus adeps; caro colliquefacta; medullæ
In rorem undosum maceratæ; durior ossis
Compages domita in viscum lentumque madorem
Rara pelle colabuntur; circumfluus humor
Proluet innantes sibimet, pinguedine coctos
Nativa, inque sui demersos balnea succi.
Hos vada sudoris tenui manantia lambunt
Alveolo, talis genubusque coërcita summis;
Illos ad renes evectior amnis inundat;
Sunt quibus ad collum turget liquor, et caput extans
Gurgite contiguum despectat; sunt quibus ora
Insugunt salsos latices; sors ultima genti
Contingit miseræ, capitis cui vertice summo
Pendulus alluitur fluctu insultante capillus.

Hoc angore fatigati, dum secula centum
Quinque teret vicibus fatali pollice textrix
Clotho, spe tremula summi decreta manebunt
Judicii, meritis exactæ congrua vitæ.
Momentis librata bilanx aptabitur æquis,
Qua bona cum pravis collato pondere facta
Certabunt nisu adverso; queis prægravis ansam
Alliciet virtus libræ in devexa sequacis,
Elysii virides lucos sedesque beatas
Intrabunt; quibus evincent sequiora, subibunt
Inferni tristes umbras Stygiamque paludem:
Ni facilis Deus eximiæ bonitatis amico
Impulsu, sancti vel præpellente subactus
Supplicis oratu parcat, duræque remittat
Arbitrium legis; tum ferrea vincula collo
Captivo resoluta cadent; suffusa pudore
Ultrix pœna retro cedet, victrixque triumphos
Solennes toto ducet clementia cœlo.
Ast cui vera fides morienti defuit, extra
Ritum sincerum, et puri commercia cœtus,
Nulla precum misero vehementia proderit iræ
Devoto, nec flectet inexorabile fatum.
Cui fortuna favens genuino lumine mentem
Perfundi donavit, et expirare fidelis
Intra septa gregis, licet indulgentia nulla,
Intercessio nulla fuit, quæ pondere pressum
Peccati gravis immodico defendat acerbis
Suppliciis, animamque addictam subtrahat Orco;
Post exacta suis delictis debita justi
Tempora tormenti, laxato carcere liber
Prorepet, passuque alacri conscendet Olympum:
Postera præteritæ geminabunt gaudia curæ.
Consulet oppressis vindex Deus; arbiter omnis
Abscedet, peraget propriis examen ocellis:
Exiget a sævis rigidissima justa tyrannis;
Si quicquam fecere boni mercede rependi
Deposcens, si doctrinam coluisse prophetæ,
Cultum promovisse sacrum, donaria templis
Impendisse, scholas studiis struxisse fovendis,

Hospitia ægrotis, quosque ardua cogit egestas,
Ostentare queant, Deus hæc, erepta tyrannis,
Afflictis dabit et passis enormia probra,
Compensans læsi damnum virtute nocentis.
Sic perdet Nero florentis benefacta juventæ,
Et magno cedet Senecæ Thraseæque probato
Imperii quinquennis honos; Callisthenis amplum
Segmen Alexandri decerpet fortibus actis
Nex indigna, nec abfuerit sua portio Clyto.
Qui meruere nihil, nec habent quo Numinis iras
Imminuant, humeros alieno fasce gravatos
Illorum peccata prement, quos cæde peremptos
Immerita quondam, vel iniquo carcere clausos,
Aut aliis affecit atrox injuria damnis.
O quot Romanos proceres civesque levabis,
Caie furens, scelerum pœnis, tuque ultime Flavi,
Commode degener, et solis vesane sacerdos,
Dedecora humani generis, pestesque malignæ.
Pons Sirath pilo telaque exilior illa,
Quam de nativa contexit aranea lana,
Lamina subtilis, mucronis acutior ore
Terribili, stagnis super extendetur Avernis.
Trajicient omnes, Parca instigante coacti;
Hi velut excussum pugnacia nubila fulmen
Transilit, ad morem ventosi turbinis illi;
Ut sonipes quidam, Pisæo in pulvere, palmæ
Emicat impatiens, laxis effrænis habenis;
Incedent alii passu graviore, velut qui
Succussator equus quatit alterno pede terram;
Sollicito lentoque gradu procedet onustus
Peccatis, cursumque subinde abrumpet anhelus;
Ulterioris amor ripæ flagrantibus omnes
Alliciet votis cupidos transmittere: felix,
Ancipitem quisquis librato corpore lapsum
Effugit, et placita victor consistit arena;
Ille levis culpæ, vitamque innoxius egit.
Quem vero in seram dilata piacula mortem,
Multiplicisque gravat damnatum sarcina noxæ,
Nunc partes propensus in has modo pronus in illas

Deverget, tandem subita vertigine raptus
In præceps immane ruet, vanusque labantem
Sustentare labor, certamen inane sequetur;
Subjectam longo casu pertinget abyssum.
Ante polum quam conscendunt, stellataque summæ
Aulæ porta patet, Jano reserante, vireta
Irriguis vicina colent manantia rivis:
Nectareis stagnabit aquis piscina prophetæ
Cuilibet, unde sua potet cum plebe; videres
Ludere perspicuo cœlestes gurgite truttas.
Sed quæ restinguat Saraceni lympha palati
Ardores, teneramque gulam Mahometis abunde
Exaturet, clarisque oculos pellucida gemmis,
Major erit reliquis, suavique placentior unda;
Lac purum candore suo, dulcedine mella,
Assyriam nardum fragranti vincet odore,
Pæstanasque rosas; qui degustaverit illi
Viscera non æstus, nec hiulcas torserit unquam
Ærumnosa sitis fauces, non attrahet urgens
Ventriculus, sed deliciæ gustusque bibendi.
Nascentis celerem Lunæ comes incipe cursum,
Progressuque pari dum lucida cornua crescant,
Dum totum radiis fraternis compleat orbem,
Dum sensim curva declinans luce senescat,
Et vultum tandem radiosum evanida celet,
Carpe viam, tanto protenditur intervallo
Oppositas quæ disjungit distantia ripas,
Lata quibus platanus, pinus procera, cupressus
Densa dat, et placidas Tirynthia populus umbras.
Inficit admisti viridantia littora floris
Discolor ornatus; sincero purpura lacti
Decernit, neutrique viror decedit amœnus;
Lilia contendunt violis, rosa suavis utrique,
Omnibus intendit costus certamen odora.
Pocula neu desint, et sors constringat egena
E manibus ritu Cynico potare cavatis,
Aut prono latices subjectos lambere labro,
Festivi devexa lacus numerosa coronat
Amphora, non totidem Phœbo subeunte cubile

Hesperium sudo numerabis in aëre stellas.
Nunc age Musa refer Saraceni gaudia cœli,
Quo semel ingressi peragent æterna quieti
Secula, nec lasciva retro vestigia flectent;
Nemo tranquillis abigetur sedibus exul,
Nec stolido cupiet transferre habitacula voto.
Non ibi mors unquam funesto pallida vultu,
Nec simili quicquam referat quod imagine mortem,
Apparet, minuens vires mutansque colorem
Præcursor lethi morbus, lethique satelles
Luctus, deductusque agnato sanguine somnus;
Non interrupto perfecte vivitur ævo;
Nec labor exercet corpus, nec passio mentem;
Languida nec pravi pariunt fastidia mores;
Nec querulæ lites; discordia nulla lacessit
Conjunctos animos placidæ ferrumine pacis.
Cum bellis odium, comedens præcordia livor,
Credula suspicio, timor anxius, improba fugit
Ambitio, sincerus amor moderatur habenas,
Regnaque perpetuis torquet cœlestia sceptris;
Non rugas ærumna vocat, nec cura seniles;
Non ætatis hyems illic furibunda, nec anni
Adspergunt canis homines sylvasque; fruuntur
Vere novo semper, semper florente juventa;
Ipsæ perdurant illæsæ a tempore vestes,
Nec telas rumpet, neque conteret Atropos istas.
Terra placens musco molli setaque virenti
Vestitur; celsis pallatia splendida surgunt
Turribus; e solida fundamen iaspide constat,
Cuditur in lateres argentea massa struendis
Mœnibus, et fulvi series intexitur auri
Alterne; paribus decorantur tecta metallis;
Sunt eboris tabulata, micant laquearia gemmis:
Area magnificis insternitur ima tapetis,
Cervicalia queis Phrygii monumenta laboris
Incumbunt, auro pulchrisque superba lapillis;
Omnia regales longe superantia luxus,
Innixi quibus exercent convivia festa.
Sufficiet quascunque dapes optare, subibunt

Sponte fores patulas, nullo sudore paratæ
Arte coqui nulla, cupientibus omnia pleno
Prodiga cœlicolis effundet copia cornu.
Gemmea scintillant infuso pocula Baccho,
Eximio qui cor recreat stomachumque sapore
Permulcet; calices forma præstante ministri
Distribuunt, roseo convivas ore beatos
Torquentes; qualem Nymphæ rapuere procaces
Ploranti Alcidæ, vel quem sua vina Tonanti
Misturum Phrygia evexit Jovis armiger Ida.
Post dulces epulas divini nulla supersunt
Excrementa cibi, nullo vesica liquore
Turget, nec spurca sturcus stabulatur in alvo;
Crapula desudat blando resoluta vapore.
At quid delicias prosit sentire minores,
Ambrosia satiare gulam, distendere venas
Nectare? cur placeat cœlum, Venus aurea cœlo
Si desit? pulchras igitur Saracena puellas
Inseruit superis prudentia, menstrua nulla,
Nulla puerperii passas incommoda; lata
Grandes fronte micant oculi; pinguedine carnes
Assurgunt tenera; formæ complura recensent
Signa, verecundæ injiciunt quæ frœna camœnæ.
Nativa egregio species augetur amictu.
Recta periscelides auratæ crura, decoris
Collectæ nodis, armillæ brachia, torques
Lactea colla, comas undantes vitta coërcens,
Purpureisque genis illudens pendulus aures
Annulus exornat; irritat quicquid amores,
Sopitosque valet sufflare cupidinis ignes.
Virginibus titulus brevis Hur, sed gaudia longi
Præstant concubitus, coëant in secla licebit
Quousque placet, rivo decurret sperma perenni.
Nec satis est illam cui non natura repugnat
Invexisse polo venerem: cœleste cinœdi,
Oh pudor! ascendere solum, vultuque probatos
In pueros elegante furit perversa libido.
At satis indultum est, capiunt fastidia cœli
Pertœsum, saturos invadit nausea sensus;

Assuetam meliora juvant solatia mentem.
Jane fores aperi; valeat paradisus, agatur
Quid rerum miseris furva Plutonis in aula
Manibus inspiciam: per mœsta crepuscula primum
Provocat obtutum species horrenda Draconum.
Colla camelorum paribus crassissima gyris
Exæquant, magnisque neget qui cedere mulis
Circuitu vasto tumefacti ventris abundat
Scorpio; percutiunt immania monstra malignam
Dente venenato, et furialis verbere caudæ
Dæmonis infausti sobolem, populumque rebellem.
Heu quales edunt gemitus, cum pestifer anguis
Insultat! resonant tenebrosa ululatibus antra;
Semineces artus, nimiumque tenacia vitæ
Membra parum optandæ, populatur vindice flamma
Humectus, piceaque aspergine fortior ignis,
Qualis pervehitur paganica Tartara rivis
Sulphureis Phlegethon, atraque voragine torrens.
Morsibus attritæ carni flammaque vorace
Depastæ nova succrescit, reparata dolori
Esca, recens semper tormenti pullulat hæres;
Quilibet est instar Tityi damnatus, habetque
Immortale jecur, fœcundaque viscera pœnis.
Ah refugæ quoties inclamant nomina mortis,
Surdaque sollicitis obtundunt fata querelis!
Quippe perire datur miseris, periisse negatur.
Non fuga, non venia est, non spes ibi lumine dulci,
Optima vexatæ mentis medicina, refulget.
Nullus ille objecta sopitur janitor offa,
Nec ferus aurati placatur palmite rami
Portitor. Eurydicen nullam revocaverit illinc,
Nec vanis fidibus Ditem incantaverit Orpheus.
Assidue multos in amœno carcer opacus
Detinet hospitio; sed quod dimiserit ullum,
Quem dabis authorem, quo digrediente sonoro
Unquam tartareæ crepuerunt cardine portæ?
Hæc nobis strictæ patefecit rima fenestræ,
Quæ muris umbras pertusa revelat Avernis;
Non ita fugissem tenebrosa in claustra receptus,

Consultum est revocare gradum, ne conscius Orcus
Explorata sui doleat secreta profundi.
Pergendum est quo fata vocant, quibus ultima sedes
Competit, in fidei, nam sic voluere, caterva.
Quæ fuerant, quamvis fusca nunc obruta Lethe,
Quæ sunt, præsentesque lacessunt obvia sensus,
Quicquid habent olim volventia sêcla futurum,
Quod nec ab annexis intenta scientia causis
Eliciat, levibus nec conjectura prehendat
Auguriis, nullisque sagax prudentia signis
Colligat, abstrusumque latet radice profunda;
Quæ bona, quæ mala, quæ media sunt classe locanda,
Omnia perpetuis extant insculpta tabellis,
Quæ penna manus omnipotens adamantis aravit.
At bona, ceu sincera fides, devotio fervens,
Justum, forte, tenax veri, compescere ventrem,
Munificum, prudens, miseris succurrere, pulchra
Virtutum series, non tantum scita, statuta,
Definita, sed æterno munita sigillo,
Consensuque probata Dei, cognataque juxta
Præmia consistunt; nitidissima pagina fulget
Auratis depicta notis. Capit altera pellis
Cum pœnis delicta suis; decreta Tonantis
Cum jussu citra placitum; meruere superni
Notitiam, sed non suffragia Numinis; atris
Signantur literis, atro damnata lapillo.
Omnis in hoc doctrina volumine, regula morum
Figitur, est legum codex uberrimus, artis
Omnigenæ secreta patent; thesaurus habetur
Historiæ locuples; varias ut pendula rerum
Scena vices mutet; quoties astuta malignos
Ediderit fortuna jocos; qui magna volutent,
Et subitis casus evertant regna ruinis:
Bella legas licet, et spumantes sanguine campos,
Fœdera mox pacesque, legas licet acta virorum,
Dictaque currentis linguæ, mentisque recessæ
Nocte magis tacitos, citiores fulmine motus.
Ære quoque in solida naturæ viva latentis
Ducitur effigies; videas effecta licebit

Principiis connexa suis; quid suscitat æstus
Æquoreos; Pharium flumen quo fonte canales
Explicat æstivos; quo magnes percitus œstro
Immotum certa vertigine respicit axem;
Ambiguas quæ distorquent miracula mentes.
Quæ nobis incerta fluunt, dubiique videntur
Eventus, cæcoque rapi temeraria cursu,
Et sic ut possint aliter contingere sortis
Arbitrio, fluxis hominum nitentia curis
Consiliisque vagis, nec sunt obnoxia legis
Præscripto, nisi quam nullis astricta catenis
Imposuit, jurisque sui regina voluntas;
Quæ levis ad motus, celerique solutior aura
Sponte sua ferri, nullo cogente, videtur.
Æternæ chartis mandarunt omnia Parcæ.
Sic cecidit casus, sortisque accisa potestas;
Nec cœli tantum depulsa cacumine, cultu
Excidit, eximio divæque potentis honore;
Nusquam extorris agit mundi, nec repperit usquam
In terris fortuna locum, venerandaque tantis
Gentibus, in nudum contabuit irrita nomen.
Hinc alacris projecta subire pericula miles,
Vix declinato frustrari corpore tela,
Nec cautus vitare feræ contagia pestis,
Lethique instantis patulas incurrere fauces.
Si præfixus enim quicquid luctemur habetur
Exitus, a nostris qui non dependeat actis;
Si libertatis fictæ nos decipit umbra
Influxu cæco abreptos; æstuque voluntas
Fertur prona, suo nec se temone gubernat,
Quo vani spectent certamina cassa laboris?
Neve audire licet, tumido quæ suggerit auso
Nequicquam magnis ratio pugnantia fatis,
Ausaque fusilibus ceris tentare calores
Sydereos nostræ fragilis sapientia mentis.
Quid frustra juvat æternis lassare minorem
Consiliis animum? quis enim conscendat Olympum,
Altaque cœlestis mysteria conscius aulæ
Perspiciat, lingua promat perspecta fideli?

In obitum dignissimi Domini Spenceri Bretto illustrissimi Consulis Anglorum Smyrnæ, anno 1659, *Elegia.*

SIGNA triumphantis quisquis feralia lethi,
Et sævi luctûs regna superba vides;
Quam justis regnet titulis dolor, atra triumphet
Parca, potes paucis discere, consul obit.
Qui, rogitas, consul? tristem circumspice scenam,
Materiam loquitur dramatis illa sui.
Quem deploraret populari Smyrna tumultu?
In quo tam celebris funere pompa foret?
Armaret quis communes in fata querelas,
Efficeret cunctis displicuisse Deos;
Assereret moriens suspiria publica; vulgi
Immitis fletu spargeret ora pio;
Discordes mundi sensus sociaret, ut unus
Tam variis constet gentibus esse dolor?
Agaridæ Christi venerantem nomen, Eöi
Hesperium Perses Armeniusque virum,
Galli, Germani, cultores Ausonis oræ
Conformi doleant pectore, voce gemant?
Quis diri exprimeret miracula tanta doloris?
Quem tales gemitus promeruisse putes?
Præsertim miseris ut acerbior incubet Anglis
Luctus, liventes planctibus ecce manus:
Demissos vultus, stillantia lumina, spissos
Singultus, laceras ungue furente comas;
Pullatas vestes, nigræque simillima nocti
Corpora, mente tamen lucidiora sua.
Orbatosne suum dubites deflere parentem,
Dulce decus gentis præsidiumque suæ?
Mœrorem modo jactura metire, fidemque
Mœstis at veris laudibus æquus habe.

Ornavit fortuna virum, licet invida dignis
Distribuit parca munera rara manu:
Stemma quidem clarum, generosum nomen, honestus
Sanguis, sed tantis dotibus imparia.
Dedecet heröem non summæ stirpis origo,
Nasci Cæsarea debuit ille domo.
Quos non æquavit meritorum pondere reges,
Quam multos animi nobilitate Deos?
Consuluit lucro, voluit dum numen avarum
Plus ornamenti quam daret accipere.
Sed melior natura magis cui favit alumno?
Plura dedit nulli dona benigna parens.
Hic exhausit opes, huc cunctas contulit artes,
Ut consummatum perficeretur opus.
Membrorum specie pulchra, compage decora,
Æqua temperie, viribus eximiis
Emicuit; forma insignis mensuraque magni
Corporis egregium prætulit alta ducem;
Incessit mediis Agamemnonis instar Achivis,
Insedit, qualis Dardanus Hector, equo.
Inclyta majestas divino sedit in ore;
In gemino fulsit lumine dulce jubar.
Quos non aspectu motus radiante cieret,
Seu terrere animus, seu recreare foret?
Exporrecta quidem facies, nec conscia rugæ,
Et placida semper luce serena fuit,
Arderet justo nisi mens accensa dolore,
Calfaceretque suum nobilis ira jecur;
Tunc corrugantis frontem, torvumque tuentis,
Quis flammas posset sustinuisse truces?
Flexanimæ torrens inerat facundia linguæ,
Affectus omnes sub juga certa trahens.
Orantis suadela gravis, nervosaque; victrix
In dictis ratio, sed bene culta fuit.
Intentare minas placuit modo, firma tremore
Pectora fulmineo perculit ore tonans.
Cum gratos hospes facilis tractaret amicos,
Lusit in eloquio gratia mira suo.

Quam bene nectareo condivit verba lepore,
Confudit salibus mella, severa jocis!
Respueret quis non epulas ut pasceret aures,
Eque hoc negligeret pendulus ore famem!
Vendicet hoc forsan fatum sibi, faustaque dotes
Nativæ reputent indolis astra suas;
Virtutis saltem laudes sibi debuit ipsi,
Eripient illud sydera nulla decus.
Quam solide prudens, in rebus promptus agendis,
Mirifica pollens dexteritate fuit!
Subtili causas discrevit acumine, summo
Expendit rerum pondera judicio!
Quanta jura fide fixit, moderamine lites
Decidit, facili præmia mente dedit!
Consilio scelus oppressit, promovit honestum,
Effecit raro viribus esset opus.
Officio vigil incubuit; providit acute,
Perfecit valide sortis agenda suæ!
Cura sagax, constans industria, mista labori
Ars, ut in hoc omnes emicuere viro!
Obstrinxit meritis homines; pietate fideli
Et pura coluit relligione Deum.
Ingenio mitis, comis sermone, benignus
Moribus, in factis acer at æquus erat.
Quum jus et res exigerent, quis fortior illo,
Quis magis indomitus, terribilisque fuit?
Ut bene, dixerunt, terror miscetur amori,
Et qui tam bonus est, quam ferus esse potest!
Agnum nempe sui, Turcæ sensere leonem,
Ut ratio varias est moderata vices.
Hinc secura sua latuit sua cura sub umbra,
Libera vel sola suspicione mali.
Hinc illi tribuere omnes encomia; nemo
Odit, amare boni, pertimuere mali.
His debebatur meritis provincia major,
Pro tanto fuit hæc sydere sphæra brevis.
Quam melior Romæ consul, mundique fuisset,
Ausoniis poterat fascibus esse decus:

Non illum erubuisset ebur Latiale sedentem,
Non humeros trabeæ purpura sacra suos;
Cum Fabiis et Fabriciis meruisset haberi,
Inter Scipiadas Æmiliosque legi.
Proh dolor, hæc virtus terras evanida fugit,
Luridus illustri pallor in ore sedet!
Spiritus in cæcas magnus disparuit auras,
Deficit ingenium, lingua diserta silet!
Prostratum est columen, cecidit fiducia nostra,
Lux extincta perit, vita superstes hebet!
Consulis ipsa sui videatur Smyrna cadaver,
Et velut in tenebris exanimata jacet.
Non illi nocuere tamen, quem sede beata
Inque sinu summi fata locare poli;
Quem sua traxerunt Superi in consortia, claris
Immistum heroum semideûmque choris;
Interea celebris per secula gloria vivet,
Famaque perpetuo non moritura manet.
Plura dolor prohibet, lacrymæque in verba ruentes,
Has quoque fœdavit guttula crebra notas.
Tu modo, si nostros aspectans desuper actus
Mittis ab Elysio lumina prona tuo,
Ne tenues luctus spernas, solitoque favore
Laudibus ignoscas, nobilis umbra, tuis.

Augustiss. regi suo reditum gratulatur Britannia.

Anno 1660.

QUIN luctuosas, Carole, post moras
Ovantis almos in patriæ sinus
Dignaris accessum, mearum
Vita, salus, medicina rerum.
An vota pro te sæpius irrita
Flexere tandem difficiles Deos,
Aut ira cœli sponte nostris
Detumuit satiata pœnis?
Sive ista fati mens placidi fuit
Mundum regentis lumine provido,
Quid debeant monstrare vestro
Nostra salus requiesque regno,
Ut corruentis præcipitem manu
Vim sustineres imperii tua,
Vestramque dextram postulantes
Charior acciperes habenas?
Quisquis revexit seu bonus ad preces,
Seu justus ille est, seu sapiens Deus,
Cujus proinde amplum favorem
Gratifico celebramus ore;
Quam ut lingua dignis vocibus exprimat,
Depingat aptis penna coloribus,
Mens assequatur sentiendo,
Littora gratior hæc revisis;
Ceu post furentis squalida Sirii
Fœcundus imber regna, salubribus
Perfusus auris; seu benigni
Post hyemes Zephyri severas;
Ceu navitæ nox horrida quem vago,
Aut nocte nubes horridior, fera
Prægnans piceca, sustulerunt,
Aurea stella polum revelans;

Ceu delicato qui sopor impetu
In membra blandus languida defluit,
  Quæ dira febris vis acutæ,
    Vel vigiles domuere curæ.
Diu quod ægro reddita sanitas,
Incarcerato liberior locus,
  Aut lumen orbo restitutum,
    Vita vel ipsa redux sepulto:
Seu sub molesta sorte gementibus
Mortalibus quid gratius accidit,
  Nostræ levem pro te recepto
    Lætitiæ simulabit umbram.
Nec ficta mæsto pectore gaudia
Tyrannicæ delata potentiæ
  Effundimus, queis imbecilla
    Signa pudor pavidus ministrat;
Sed quum per imas vivida jubila
Serpunt medullas, risibus obtegunt
  Vultus serenos, ora solvunt
    Garrula lætificis susurris,
Exuberanti mox super alveos
Sublata cursu, ac agmine confluo
  Densata, festos in triumphos
    Prosiliunt alacresque plausus;
Queis nulla gens persensit adhuc pares,
Seclis nec unquam nostra prioribus,
  Olimque nobis contigisse
    Posteritas memor invidebit.
Ex quo revertentem tuba publicat
Clamosa famæ, quod pius ordinum
  Consensus agnoscit tuum jus,
    Officium proprium fatetur,
Rex vivat ultro personat omnia;
Vox illa totam sola per Angliam
  Auditur; ut sola audiatur,
    Continua replicatur echo.
Qui flagrat ardor pectore civium,
Testantur altæ perspicuo strues,

Regnare non passæ tenebras,
Te profugam referente lucem.
Campanulæ non immemores sui
Quod imminebat martyrii, sonis
Nos æmulantur: ne liquentur
Motibus immodicis, veremur.
Clangore non jam mortifero minax
Accendit iras buccina Martias,
Subinde semper provocabit
Pacifico strepitu quietem.
Quin et trisulci fulminis æmula
Ministra lethi machina, fulgura
Jucunda spirans, ore blandam
Detonat innocuo salutem.
Incedit agmen purpureum, senes,
Queis plurimos gratissimus hic dies
Annos reduxit; queis fugata
Canitie revirescit ætas.
Et membra priscus pigra calor rapit,
Ducunt vietis poplitibus choros,
Sub rege tanto quisque vitæ
Nestoreum sibi sperat ævum:
Vidisse vobis tempora sufficit
Tam læta, patres; tradite posteris
Fruenda, quos funesta duri
Secula progenuere ferri.
Queis flos juventæ corporis integras
Vires ministrat, queis animi pares,
Plenam voluptatem beati
Percipiant sapiantque regni.
Sed quo catervas virgineas trahit
Vis immodestæ lætitiæ? reor
Amore regem deperire,
Ulla nec abnueret maritum.
At splendidæ miracula maxima
Pompæ superbos conspice milites,
Victos agentes se in triumphum,
Quod fuerint superati, ovantes.

Conspirat omnis plausibus impigris
Ac certat ordo; mentis et indices
  Expertus omnes exprimendæ
    Organa plura deesse mæret.
Nec vana gentem brutaque gaudia
Jactant furenti sydere percitam,
  Mercede summa gratulantur,
    Eximia ratione ducti.
Pungit recurrens præteriti mali
Sensus, futuri spes acuit boni,
  Ac fortior vis præpotenti
    Dulcis amor stimulo lacessit,
Cui mille flammas conciliant faces:
Præclara stirpis nobilitas, genus
  Illustrium quo prisca regum
    Stemmata consociata fulgent:
Quo neminem regnante pudet regi,
Ut nec gubernanti Jovi cœlites
  Servire, dum prolem gigantes
    Terrigenam dominos recusant.
Quæ celsior natalibus eminet
Virtus, faventis progenies poli,
  Alumna dedignantis, astris
    Mitibus orta, probata sævis:
Fortuna quam non terruit aspera,
Nec dura fati fregit iniquitas,
  Adversa constanter ferendo,
    Prospera quæ meruit refertque.
Quis nescit insignem sapientiam,
Benignitatem, justitiam, fidem,
  Quas grata lingua consonanti
    Fama minor merito celebrat?
Sis quanta Divûm cura, periculis
Tantis superstes, cædibus ac fugis,
  Ostendis, armis impetitus
    Hostium et insidiis tuorum.
Tam stirpe clarum, sanguine regium,
Virtutibus tam conspicuum, Deo

Te sic amicum, Carole, ulnis
Suscipit Anglia vestra pronis.
Vult sceptra magni terna vibres patris,
Virtute sed non sorte pari, suas
Injurias in te futuris
Obsequiis reparare gestit.
Tuam obsoletis vulneribus manum
Vult admoveri; te petit unicum
Pœana, pluris pendet illam,
Quam tibi debuerit salutem.
Tridente fluctus non alio suos
Quam Carolino compositos cupit,
Te sola dispensante pax est
Belligeræ placitura genti.
Concussa monstris hæresium fides
Defensionem sollicitat tuam,
Qui jure possis solus illam, et
Inde tuum titulum tueri.
Exposcit a te ecclesia vindice
Vulgi profanis læsa furoribus,
Exuta, conculcata, fracta
Jura, decus, reditus, quietem.
Tecum reverti participes tui
Leges requirunt exilii, fera ut
Necessitas exterminetur,
Unica lex, sine lege, nuper.
Festiviori Pierius chorus
Excipiet suum
Regem, parentem, spem, patronum,
Delicium columenque suum:
Cui tot per annos vita precario
Traducta, jugi objecta periculo,
Evasit usque ægre superstes
Præda lupos facilis rapaces.
Jam cor refectum spiritus ingruit,
Effert in auras intrepidum caput,
E mortuo dudum recentem
Concipit ingenio vigorem:

Tutus sub umbra præsidii tui
Secura musis dulcibus otia
  Impendit, haud curans malignæ
    Invidiam rabiemque plebis.
En plectra docta pollice temperat,
Et voce fausta encomia personat,
  Lætumque certatim canoris
    Indiciis animum fatetur.
Non qualis olim carmine languido
Turpes tyrannos exciperet, metu
  Cogente, fucatisque veros
    Lætitiis gemitus recondens.
Quos inter ima classe sedens, rudi
Fretus camæna, non humili tamen
  Accensus affectu, Tonanti
    Sospite te pia vota fundo;
Quod te reduxit spe citius tua
Nostraque, contra non superabiles,
  Humana si spectamus, ullis
    Consiliis operisque causas.
Adversus œstrum immane potentiæ
Armis et iris ac odiis feræ,
  Firmaverant quæ pertinaces
    Ambitio simul et cupido,
Post spes retusas, deciduas opes,
Fractasque tot successibus asperis
  Vires tuorum, quum nec ultra
    Sufficerent animi fideles;
Sudore nullo aut pulvere sordidum,
Nullo madentem sanguine civium,
  Nec clade funesta auspicati
    Inficiente decus triumphi;
Solos per hostes de spoliis tuis
Tumultuantes, æstibus ut ratem
  Contrariis aurisque tractam
    Regna tuos in avita portus.
Conservet idem, dirigat, augeat
Virtute Numen, consiliis, ope

Vitam tuam, mentem, coronam
Incolumem, stabilem, perennem;
Distracta per te regna redintegret,
Concussa firmo robore fulciat,
Collapsa restauret potente,
Sustineat ruitura, dextra;
Exhausta per te divitè copia
Perfundat, apto digerat ordine
Confusa, corruptis nitorem
Restituat, dubiis quietem:
Exulceratas corrigat, asperas
Leni medela mitiget, æmulas
Mentes reponat, sedet iras,
Concilietque odiis amores;
Tollat querelas justitia; fidem
Et veritatem promoveat piam,
Sanctosque mores, quos crearit
Relligione subacta virtus.
Et quicquid amplo nomine continet
Felicitas, tecum redeat, tuis
Jussis et exemplis sacratum,
Consiliis opibusque tutum.
Hæc vexet hostes ultio regia
Injuriarum, reddere si volunt
Ipsi, beatos, pœnitentes
Ex animo, egregie fideles.
Sic uberes quam pertulimus licet
Fructus reportemus patientiæ
Utrique; tu regno diu, nos
Rege diutius indigentes.
Sic serus, ut nunc, semper habebere
Ad nos reductus, sic reditum tuum
Vincente præsentem profunda
Posteritas recolet triumpho.
Qui plausus intrantem præiit, comes
Sit possidenti semper, acerbior
Sed exeuntem prosequatur,
Post celeberrima regna, luctus.

In Psalmos a reverendo D. decano Petroburgensi Homerico versu donatos, anno 1674.

DIVINUS, sapiens! sic acclamavit Homero
Vox seculorum consona,
Ore tamen non usa suo, dictaverat illam
Fatum futuri conscium.
Non olim nisi per tenebrosam vera prolepsin,
Sit vera sensu ut limpido
Nunc habet, ætati nostræ sapientia vatis
Debetur, ac divinitas.
Grandia Mæonides, cultæque capacia mentis,
At parca mentis verba dat;
Duportus verbis dignam sublimibus indit
Mentem, petitam cœlitus:
(Duportus, nomen clarum, sapientia quantum
Omnigena, vel virtus valent;
Cuique suas merito tot linguas fama rependit,
Quot ipse famæ credidit:)
Exanimis procedit ab illo littera, vivax
Ab hoc Homero spiritus.
Quid Trojæ fumos igitur, quid inania regum
Insanientûm jurgia,
Annorumve decem errores, turbamve deorum,
(Fictamne dicam an fictilem?)
Infantis mundi specioso carmine nugas
Stulte decoras respicis?
Quin magis Jonii recutitam suspice musam
Et sorde purgatam senis;
Cœli magnifice pandentem oracula, tanto
Res unice stylo pares.
Incedit primo per Jobi fata cothurno
Adversa, cincta prosperis;
Utraque, majestas ut rerum tanta poëtam
Despicere non possit suum;

Tum canit effusas Solymæi Nestoris ore
E melleo sententias;
Ipsa sibi plaudens ut se prudentia tali
Miretur auctam gratia;
Ulteriore gradu præconia Numinis aptat
Jam regiæ chordis lyræ;
Restituens amissa Davidi carmine, damno
Ut pene proficiant suo;
Cœlesti modulanda choro, tam digna beatis
Quam grata, opinor, angelis;
Queis opus et vita est hymnos cantare, nec hymnos
Cur præferant alios scio:
Te saltem decuit, sacri celeberrime Phœbi
Antistes, huc assurgere:
Non aliam melius cœptis illustribus ullam
Imponeres coronidem:
Hanc sibi præscribit metam divina poësis,
Suum huc adurget Pegasum,
Quo vitæ scopus et musæ sit terminus idem,
Celebrare gloriam Dei.

Illustrissimo domino Georgio Monk, regis restitutori, regni liberatori, anno 1660.

NEC meritis ingrata tuis, quo vindice spirat,
Et canit, et reducem Carolum, sua gaudia, spectat,
Musa tuum nomen reticebit, magne Georgi;
Quanquam argumenti nimio sub pondere tanti
Succumbat, vestrisque accedat victa triumphis,
Inque tuas laudes vano conamine surgat,
Cui triplicis frontem decorant insignia lauri,
Non uno decerpta solo. Te perfida belli
Victorem, pacisque auctorem, sensit Ierne,
Inclyta nascenti tribuens præludia famæ.
Indocilis parere, feros agitare tumultus,
Vix reges tolerare suos, justisque reniti
Pridem sueta, jugum didicit perferre Caledon,
Consiliis edocta tuis et fortibus armis.
Nec rigidus dominos ut purgat carduus Anglos,
Exemit spinas virtus tua. Mollibus inde
Imperiis quoque corda domas, conjungis amorem
Cum terrore tui, et cogis servire volentes.
Tum fines arctos, inclusas æquore terras,
Imperiumque unum temnens, unumque elementum,
Vela dat, et liquidos peragrat tua gloria campos,
Et fluxis infigit aquis non fluxa trophæa.
Terrestres lauros navalis serta coronæ
Excipiunt; Batavis præfulgent tempora rostris.
Indomitam gentem, salsæque paludis alumnam
Linquere natales undas, subitamque precari
Vestra coëgerunt invitos fulmina pacem;
Vestra decus regnumque maris victoria nobis
Reddidit, indulsit victis orata secundum
Pax, te dante, locum. Quæ te nunc altera, Monke,
Laus manet, aut cumulo perfecti accedat honoris?
Post terras undasque manu victrice subactas,

Quod superest quo decertet tua fama theatrum?
En delubra Deûm pecus incolit, hymnus equini
Personat hinnitus, galeatus sacra ministrat
Mystes, stercoreo redolent altaria thure.
Ecce forum claudunt armatæ triste cohortes:
Vocem efferre tubæ, legesque silere jubentur;
Curia deseritur sensim nudata; supremum
Nunc caput abscindunt, tum nobiliora recidunt
Membra, statim expurgant palpantia viscera, tandem
Vix insecta manet mutilati cauda senatus:
Denique ne tanto quicquam de corpore restet,
Cogitur hæc reptare foras: novet omnis honesti
Ficta licet species, vacuum Bellona fugatæ
Justitiæ captat solium; jus dicitur ense,
Vel juris rapiens scelerata licentia nomen.
Proscribunt, spoliant, mactant impune nocentes.
Quilibet est sine lege reus, pro lege rebellis.
Te pietas aris, Astræa focis, violata
Majestas sceptris, libertas pulsa patronum
Omnibus implorat; clamantibus ore benigno
Annuis, ac opera præstas felice salutem.
Catholico varias coëuntes agmine sectas,
Queis delere sacerdotes, evertere templa,
Exhaurire sacros reditus, et tollere leges
Unica discordes animos sententia vinxit,
Distrahis; en profugi divellitur unio fallax
Schismatis, in partes rupta compage feruntur.
Hos ut sint vere tremuli, præcordia solo
Inspirante metu, facis; illos altera regna
Spectantes summo jamjam labentia cœlo,
E terris videant pro quinto rege secundum:
Baptistasque novos quo se demergere possint,
Insula, carcer aquæ, liquido munimine sepit.
Quos non contendens acie, nec sanguine fuso
Debellas, nimis est illis impendere cladem.
Sufficit ostentare minas, quod diceris hostis.
Non opus est armis, ubi pugnat fama tremendi
Nominis, accipiensque vicem prudentia ferri;
Nectere docta moras, temeraria cœpta recusans,

Opportuna sequens, miscens virtutibus artes,
Intima non proferre suo nisi tempore sensa,
Adversosque perita suis constringere nodis.
Sic velut exanimes umbras aut ludicra spectra,
Immensas acies gladii fulgore corusci,
Non ictu sternis; larvas probitatis iniquæ
Detegis; immodica mentes pietate scelestas
Corrigis, illustras nimio præ lumine cæcas,
Cumque suis tergis animos versos dare cogis.
Militiæ justæ te primum bella magistrum
Agnoscunt; parere togæ, pacemque tueri
Arma doces, sævos submittis fascibus enses,
Ut tremat armatus sub judice miles inermi.
Ostendis quam non generosum pectus inani
Ambitione tumet, quam magna potentia magno
Est animo minor, inflantem dum turgida vela
Fortunam probitate regis, vim jure coërces;
Nec quantus potes es; quodque es non dicier optas,
Protector patriæ; tibi debita gloria cedat,
Assumant titulum qui non meruere tyranni.
Non te furtivis plumis attollis in altum
Degener, aut falsis humeris aliena coruscat
Purpura, quæ mentem rubeat gestantis iniquam.
Quam non dedeceant, aptas diademata fronti;
Das justis manibus sceptrum, queis jura dederunt,
Nascendi sors, et series illustris avorum,
Nec minus excellens generoso sanguine virtus;
Et cui te nunquam domino servire pudebit.
Hoc unum querimur, quem das simul abripis illum,
Ut vix sit noster rex, totus vester, et ipsi
Quod tribuis regnum meritis ingentibus aufers.
Tu nisi nutantem validis cervicibus axem
Anglicus Alcides, cum se subduxerat Atlas,
Fulcisses, nostri cecidisset regia cœli,
Pressissetque gravi terras delapsa ruina.
Tu deturbasti per vim fraudesque nefandas
Terrigenas aulæ regimen cœlestis adeptos,
Sacrilegisque diu vibrantes fulmina dextris
Non sua, restituens Superis extorribus arces

Sydereas, pulsoque Jovi regalia sceptra.
Multorum capitum fœcundam vestra subegit
Dextra renascentem toties a mortibus hydram
Supremo interitu, ne lingua terreat anguis
Multifida posthac, nec sibila pestifer edat.
Incubuit miseris nova portentosa chimæra,
Publica res, privans libertatem, bona, nummos,
Cui torvi facies arsit truculenta leonis,
Plebiscita vomens rugitibus ignea sævis;
Lascivam tumido referens abdomine capram,
Ambitione salax, tetrique libidine lucri;
Immanisque feri suberat cui cauda draconis,
Iris ac odiis ac viro decolor atro.
Bellerophon noster, nosterque Georgius, illum
Sanctior invictæ domuisti viribus hastæ.
Historiæ committatur si fabula vestræ,
Plura sub aspectus nostros se monstra tulerunt
Victa tibi, quam dicta illi; nec fingitur ullus
Quo tu non major fueris, ut verior, heros.
Immortale decus secli, fortissime vindex
Justitiæ; simul imperii fidissima norma
Obsequiique; stator regni divine ruentis,
Vive diu patriæ charus, patriæque parenti:
Sit tibi promeriti diuturnus fructus honoris;
Vitam virtuti prolixam, laudibus annos
Exæqua; tumulo scribatur MILES HONESTUS.

In obitum Henrici ducis Glocestrensis et Mariæ principis Arausionensis, 1660.

ΚΑΡΟΛΙΔΑΙ δῖοι, ἱερῆς βλαστήματα ῥίζης
Κεδνὰ, κλυτὸς κοῦρος καὶ χαρίεσσα κόρη·
Κοῦρος, ἐῆς ἐλπὶς πένθημά τε πατρίδος αἴης,
Τῆς φάος ἠμερόεν, τῆς πόθος ἀλγινόεις·
Μᾶλλον ὅλου κόσμοιο τέρας καὶ θαῦμα πέλωρον,
Τόσσον ὑπεκπροθέων ἤθεσιν ἡλικίην·
Ἦβῃ μὲν νέος ὤν, ἀρεταῖς δ' ἀκμαῖος ἁπάσαις,
Καὶ τέλεος πινυταῖς ἐν πραπίδεσσι γέρων·
Βέλτιστος φρονέειν τὰ δέοντα, δέοντα τε φράζειν,
Νοῦν μὲν ἔχων θεῖον καὶ στόμα μειλίχιον·
Θεῖον ἀπ' οὐρανίης φύσιος νόον, αὐτοδίδακτον,
Πρός τ' ἄλλοις τεχνῶν φέγγεσι λαμπόμενον·
Καὶ στόμα μειλίχιον, τόσσαις γλωσσῶν ῥέον αὐδαῖς,
Ὅσσαις φθέγγονται νῦν βροτοὶ, οἵ τε πάλαι·
Γενναῖος δὲ φυὴν, πρᾶος, καὶ κάρτερος ἦρας,
Εἰν ἀγορῇ πρᾶος, κάρτερος ἐν πολέμῳ,
Ἀμφοτέρας ἰδίοις ἀρετὰς καιροῖσιν ἀρηρὼς,
Τοῖς τ' ἐχθροῖς φοβερὸς, τοῖς τε φίλοις γλυκερός·
Εἶδος ἄριστον ἔχων, σθένος ἄλκιμον· ἦ μὲν ἐκείνου
Σώματος ἐν θαλάμῳ Κυπρίδι μίσγετ' Ἄρης.
Καὶ σὺ γυναικείης, νύμφη βασιλήϊον ἔρνος
Καλλίστη, ἀρετῆς δεῖγμα φαεινότατον·
Εὐγενίῃ πασῶν μὲν ὑπείροχος οὖσα γυναικῶν,
Μορφῆς ἀγλαΐῃ, καὶ φρενὸς εὐπρεπίῃ·
Ἀμφοτέρων εἰδόστε φυήν τε λαχοῦσα τοκήων,
Μητρῶων κάλλος, σωφροσύνην πατέρος·
Ἀκτῖσι χρυσῇσι καλοῦ στίλβουσα προσώπου,
Ψυχῆς λαμπρότερον δ' ἔμφρονι μαρμαρυγῇ·
Ὄμματα ταῖς ἕλκουσα βροτῶν τέρπουσάτε, τῇδε
Σπωμένη ἀνθρώπων ἡδομένας κραδίας·
Πότνια Αὐριακοῦ γυνὴ ἡγεμονῆος ἀγαυοῦ,
Αὐριακοῦ μήτηρ δῖα καλοῦ θάλεος·

Πίστη ξεινοδόκος βασιλῆος ὁμαίμονος, ἀνδρῶν
Φεύγοντος χεῖρας γηγενέων ἀνόμους·
Ἄλλη Ἠλέκτρη, θυγάτηρ Ἀγαμέμνονος ἄλλου,
Καὶ μέτοχος κοινῆς ἐκδίκου εὐσεβίης·
Φεῦ, ποίους θάνατος κλέπτης κακομήχανος ἡμῶν
Θησαυροὺς ἀρετῆς ἥρπασε καὶ σοφίης!
Ἠΐθεον μὲν ἄριστον, ἀδελφὸν ὑπήκοον, υἱὸν,
Βελτίστηντε κάσιν, μητέρα, θυγατέρα.
Ἄμησεν διττὸν πολυανθέα θαλλὸν ἀώρου
Μοῖρα, σιδηρείῳ μαινομένη δρεπάνῳ.
Βρεττανικοῖο δύω περικαλλέα δῦνον ὀλύμπου
Ἄστρα, τὰ νὺξ στυγερὴ, λυγρὸς ἔκρυψε ζόφος.
Πῶς ἄμμιν διπλῆν φθάρεν ἐλπίδα νοῦσος ἀποφρὰς,
Νώνυμος γλώσσῃ νοῦσος ἐν Ἑλλαδικῇ;
Ἄγνωστος Φοίβῳ νοῦσος καὶ παισὶ παλαιῶν
Ἰητρῶν ἱεροῖς, εἴθε καὶ ἡμετέροις·
Φῦμα κακὸν κόσμοιο γέροντος, νοῦσος ἄνουσος,
Μᾶλλον λευγαλέη νουσιδίων ἀγέλη·
Νουσιδίων ὁλοῶν στρατὸς ἄσπετος, εἰς ἕνα ταχθεὶς
Καὶ βίον ἐσσυμένως εἰς ἕνα μαρνάμενος.
Ὦ δεινὲ κροκόδειλε τύχη, κλάιουσα διώκεις,
Δυστήνους κτείνεις ὡς ἐλεοῦσα βροτούς·
Φείδεαι ἀθλούντων, φθείρεις νικῶντας ἄνακτας,
Δόντας τ' εὐμενέσιν σῶστρα πρέποντα θεοῖς.
Εἰς ἀΐδην πέμπεις στεφανούμενα κρᾶτα, θριάμβοις
Ἐμμίξασα ταφὰς, ἄλγεα χαρμοσύναις·
Εἰναλίοις σώζεις ἐνὶ κύμασι ποντοποροῦντας,
Ἐν μέσσῳ κλύζεις σωζομένους λιμένι.
Αἰεὶ τέκνα φυγεῖν βασιλῆια κέρδιον εἴη,
Εἰς φθονερὴν γαῖαν μήποτε νενσομένους·
Μοῦνον τύμβον ἔδωκε φίλην εἰς πατρίδα νόστος·
Οὐ τοῦ ζῆν οἵκοι τὸν τόπον, ἀλλὰ θανεῖν.

J.B. G.L.]

ELEGIÆ.

ANNO 1660.

I.

UNDE novi gemitus, tragicæ suspiria scenæ,
Quam modo festivi perstrepuere chori?
Quod vultus repetit nubes infausta serenos,
Quod redit in siccas lachryma pulsa genas?
Dura quod urgemus renovatis fata querelis,
Damnamus, nuper qui placuere, Deos?
O miras, miserasque vices! quam fluxa voluptas
Est hominum, fallax gloria, vita fugax!
Quam subito fortuna ferox torrentia luctu
Gaudia, spes tumidas, vota superba premit!
Vi facili nobis declinant prospera nutu,
Ut nimia proprii ponderis alta ruunt!
Languescunt fugitiva brevi solatia, tentat
Nostra recrudescens vulnera prisca dolor!
Augustos umbris feralibus ecce cupressus
Atra tegit victrix quos modo palma lares;
Funera succedunt lætis invisa triumphis,
Proque alacri plausu nænia dira sonat.
Protinus inficitur piceo nova purpura fuco;
Regia fit, posito nomine, nigra domus:
Nigra nec immerito, lugubri tincta colore
Bis, radiis gemini syderis orba domus;
Quorum splendorem Parcæ spectare malignæ,
Nec rutilum poterant Dii tolerare jubar.
Vix adversarum spissa caligine rerum
In nitidum juvenes emicuere diem,
Auroram reducem primæque crepuscula lucis
Mors importuna lurida nocte premit.
Exilii post longa molesti tædia, dulcis
In patriæ charum cum rediere sinum,

Excipit amplexu redeuntes Anglia sævo:
Dicta quidem multa est, sed data nulla salus.
Gallia quos salvos dimisit inhospita, quamvis
In consanguineos non satis æqua suos;
Nobisque incolumes Hispanus reddidit, etsi
Antiquus nostri nominis hostis erat;
Nec bellum læsit, nec sors adversa, nec aër
Belgicus, æquorei fæx malesana salis;
Durior Hispanis, Gallis immitior, ense
Sævior, adversa sorte severa magis,
Batavicoque vapore malignior Anglia mater,
Nec mater tamen, at sæva noverca necat.
Vix eluctatas iratis fluctibus ipso
In portu fallax devorat unda rates:
Vixque novæ degustata dulcedine sortis,
Lubrica de cupidis faucibus esca cadit.
Pro reditu fausto solennia vota ferentes,
Proque sua placidis vota salute Deis,
Ipsis e templis, ipsis avellit ab aris,
Et rapit ad Stygios mors inopina lacus.
In mediis detrudit ad infera regna triumphis;
Ultima vox illis, dum moriuntur, ovat.
Scilicet ostendit, non dat fortuna secundas
Res, donisque suis non sinit ipsa frui.

II.

At tu, chare puer, sic te tua nominat ætas,
Quem possit virtus jure vocare senem;
Quo subitos gressus, ac in quas dirigis oras,
Contentus patrium vix tetigisse solum?
Cur hac de causa tantum rediisse videris,
Ut tumuli posses hic reperire locum?
Nunquid apud Gallos et Belgas ducere vitam,
Sub nostro tantum convenit axe mori?
An piget ingratis ultra te credere terris,
Nec tibi vel ridens Anglia nostra placet?
Quid reduces abigis plausus, reprimisque triumphos,
Nostraque funestas gaudia, sæve puer?
Respice divini pro te suspiria regis,
Quam te mœroris plenus abire videt!

Novit enim quanto regni consorte carebit,
Resque manu valida, mente sagace suæ.
Illius sit summa licet sapientia, vestri
Consilii certam sæpe requiret opem;
Nec tanti regnare putat, nisi sospite charo
Fratre: tui pretium reddere regna velit.
Te sine, se credit fatis melioribus usum,
Quando tui compos exulis exul erat:
Teque suis socium bellis, sociumque triumphis
Fortis Jacobi vis animosa petit.
Ecce etiam in nostras oras modo regia mater
Advenit, officiis excipienda tuis.
Nec tecum nobis pulchras avelle sorores,
Neutra volet sine te nympha manere domi:
Altera te subito vel ad infera regna sequetur,
Altera se Gallis te moriente dabit.
Nec desolatæ patriæ solennia vota,
Proque tua calidas sperne salute preces;
Illa tui dotes animi miratur amatque;
Indolis eximiam spem fovet illa tuæ;
En languet, tantique nequit perferre dolorem
Vulneris, en tecum ceu moritura jacet!

III.

Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello
Dextera, mens summis, formaque, digna deis!
In tenero pietas non expugnabilis ævo,
Hostili quamvis sæpe petita manu.
Gratia cui supplex, et torva potentia regum,
Et rigidæ martis succubuere minæ;
Quando tuos humeros Latialis purpura nuper,
Et caput ambivit rubra tiara tuum.
Sed tenuem hæc tristemque fugit victoria Musam,
Non hanc Melpomene dicere nostra potest.
Gesta pio puero miranda volumine justo,
Sanctaque bella canet Calliopeia chelys.
Cum vita pietas increbuit, alma venustas,
Et probitas morum, nec temerata fides;
In dubiis rebus toties spectata, periclis
Augusto fratri mille probata fides;

Cui comes indomitæ fortis constantia mentis,
Et virtus animi Martia jugis erat.
Testis erit, vidit nuper qui bella gerentem,
Scaldis, et attonitis protinus hæsit aquis:
Martis ut intrepidus subiit discrimina, qualis
Exarsit pectus per juvenile calor!
Æmulus ut pugnacis erat fidusque Jacobi
Omnia per belli dura pericla comes!
Scilicet ingenii placidi suavissima tanta
Conjungi bonitas cum feritate potest,
Quæque venit canis prudentia rara capillis,
Contigit imberbi prodigiosa genæ;
Ardua quæ caperet sinuosi ænigmata regni,
Sciret quid credi debuit, et quid agi.
Dicentis stupuit quoties ad verba senatus?
Vixque pares illi se rubuere patres.
Accessit quoque naturæ doctrina benignæ,
Artibus ingenii divitis auxit opes.
Calluit innumeras linguas, licet omnia dulci
Unius suada flectere corda potens.
Quid decus egregiæ frontis, vultusque sereni
Lumina, purpureo tincta pudore, canam,
Sistere quæ rigidam sortem fatumque morari,
Et triplices possent conciliare Deas?
Nil horum digne calamus depingere possit,
Nec lugere satis (conticet ergo) dolor.

IV.

Qualis terrigenûm post impia prælia fratrum,
Et cœli profugis reddita jura deis,
Fraterni comes incessit festiva triumphi,
Natalemque adiit cum Jove Juno polum:
Talis, post domitos exangui marte rebelles,
Regiaque in rectam sceptra remissa manum,
Fratris ut aspectu placido frueretur ovantis,
Ad patrios rediit regia nympha lares:
Nympha decus nostrum, nostræ laus unica terræ,
Et matronalis gloria summa chori;
Virgo pudens simul ac prudens mulier, pia nata,
Uxor sancta, soror chara, benigna parens.

Gratia cui nivei roseique modestia vultus,
Majestas morum comis, et alma fides,
Nobilitas generis plusquam Junonia, mentis
Palladius vigor, et frontis amœna Venus.
Trans mare quæ vexit nostrum cum sanguine nomen,
Quæ famam Anglorum protulit atque genus;
Quæque dedit nostræ specimen venerabile gentis,
Fecit, quam fertur jure beata, fidem;
Ostenditque orbi virtus, sapientia, forma
Anglica quantillo sit minor angelica.
Auspice qua viget et longum transmittit in ævum
Belligeram stirpem Nassoviana domus;
Quæ neque tam veteres aquilas, ac inclyta regni
Cæsarei sacra sceptra vibrata manu;
Nec libertatis vindex acerrima, regis
Hesperii durum deposuisse jugum;
Nec quas ipsa dedit Belgis quod tractat habenas,
Nec quod tot terris, tot moderatur aquis;
Quam generi tandem se conjunxisse Britanno
Jactat, et a nostra nobilitate tumet.
Scilicet antiquos vincet nunc illa triumphos,
Plus aliquid virtus stemmatis aucta dabit.
Quantus erit puer Auriaco modo stemmate fulgens,
Quam magnis belli fulmine major avis,
Belgica cui nostras patientia concipit iras,
Nostro Teutonicum sanguine phlegma calet?
Natales oras cum tanta reviseret hospes,
Nostræ se sociam lætitiæque daret,
Complexu charo, multa longaque salute,
Lætis auguriis excipienda fuit;
Abnuit infelix funestoque Anglia vultu,
Funesto fudit talia verba sono.

V.

Huccine bis denos Belgis impendere soles,
Et Batavûm pingues irradiare nurus,
Inque paludosis dignata senescere terris,
Ad nos vix tandem mox reditura venis?
Anne iterum Rhenus Thamesi prælatus ovabit,
Teque fruens lætis Mosa tumebit aquis?

Aut alio optatam longinquis regibus alti
Consortem thalami deferet alter Hymen?
Inque aliis terris alioque sub axe jacebis,
Atque tuo tumulo nostra carebit humus?
Non ita: tam pulchram, tanta virtute decoram,
Est quia spes vivam nulla tenere mihi;
Ne fugias, nobisque alio procul orbe vageris,
Compede secura detineare placet.
Me penes extabit venerandi fama sepulchri;
Hic jacet, in sera posteritate legam.
Nostra nec in solidum culpa est; te vindicat æther,
Ille suis te vult addere numinibus.
Hæ merito dotes soli debentur Olympo;
Sollicitat Superos æmula forma suæ;
Quoque sibi partem repetunt consortia divûm
Ætheream, pars est altera jure mea.
Nec tibi contigerit lethi felicius unquam
Tempus, ut a fatis optio vestra foret;
Nil majus sperare daret tibi Nestoris ævum,
Nil spectare tibi gratius ulla dies.
Vidisti reditum fratris, Nemesimque paternam,
Est tibi salva parens, est tibi sponsa soror:
Fraternos inter moriere tuosque triumphos,
Desinet in plausus ultima scena tibi.
Non licet hæc ullo fœdari prospera luctu,
Nil post hæc debet vita videre malum.
Quin tua Lucina Christi Libitina sacratur,
Non vitæ, non est sanctior hora necis.
Discedit tecum, sociaque in morte triumphat,
Teque ferens secum lætior annus abit.
Ac esses ne sola, paravit utrique beato
Sedem precedens frater in Elysio.
Denique de nobis semper fatale mereri,
Dignaque quæ nimium vivere, digna mori est.

VI.

At te, quæ nostris restas nunc unica votis
De Caroli augusta stirpe, serena trias;
In qua colligitur miseris spes strictior Anglis,
Sospitet æterno numine sancta Trias!

Te sexûs muliebris apex, pulcherrima rerum,
Quam vix æquali Cynthia luce videt:
Cui similem forma peperit cum Gallia nullam,
Nec pariet, merito flagrat amore tui:
(Annue supplicibus votis, regesque petenti
Indulge, et vestris lilia pinge rosis.)
Te quoque magnanimi virtus invicta Jacobi,
Incolumem semper mitia fata velint;
Cui bellatorum surgit chorus omnis, et ore
Uno dat summum martia turba locum.
Sic dextra defensa tua sit tuta, trophæis
Personet in terras Anglia clara tuis;
Pro vestra sed præcipue, rex optime, vita,
In cujus posita est nostra salute salus;
In quo libertas nobis, pax, copia vivunt,
Fundimus assiduas solicitasque preces;
Ut fratri demptos annos demptosque sorori
Annis adjiciat Parca benigna tuis;
Ut nunquam cesses, vel post nos ultimus omnes
Vivere, sit vestra nostraque morte prior!

Epitaphium in Henricum Hammond, 1660.

Ne te prætergressum pœniteat, siste pedem
Hic, et animum, viator: etenim,

HIC jacet H. HAMMOND, S. T. D. theologorum sui seculi coryphæus. Literatorum princeps. Anglicæ gentis decus. Ecclesiæ columen. Veritatis assertor peritissimus. Pacis cultor devotissimus. Ordinis fautor studiosissimus. Antiquitatis genuinæ fidissimus interpres, et propugnator acerrimus. Sanctitatis magister præstantissimus. Omnibus ornamentis instructissimus. Philosophus solide acutus, dilucide subtilis. Orator inaffectate politus, nervose copiosus. Disputator vehemens extra acerbitatem. Egregius criticus, absque superbia tamen aut supercilio. Lectionis infinitæ, sed exquisite digestæ. Maximi ingenii, majoris judicii, consummatæ eruditionis cum pari modestia; tantis dotibus usus præclarissime. De ecclesia, principe, patria optime meritus. Utriusque tabulæ legum præco, observator, vindex. Ecclesiæ Anglicanæ ensis et clypeus: quem a falsi schismatis labe purgavit, a veri contagio munivit, Romanis hostibus, et perfugis sectariis fusis, fugatis. Sinceræ doctrinæ radio veteres tenebras pseudo-catholicas dispulit, nova lumina anti-catholica extinxit. Presbyteranam paritatem prostravit. Fanaticam licentiam coercuit. Temporum iniquitatem expugnavit scriptis victricibus, patientia triumphali. Ecclesiastici ordinis jurisque vindex fortissimus, ac felicissimus. Liturgiæ patronus consultissimus. Theologicorum dogmatum scrutator sedulus. Difficultatum enodator accuratus. Veritatum explorator sagax. Novum Testamentum et Psalterium Davidicum luculenta Paraphrasi, eximio Commentario, sancto exemplo illustravit. Calamo scripsit, vita edidit, practicum Catechismum. Christianæ fortitudinis, patientiæ, mansuetudinis illustre exemplar. Mentis insigni prudentia, invicta constantia, candore illibato, solertia indefessa mirabilis. Morum integritate spectabilis, gravitate ve-

nerabilis, comitate amabilis. Summa pietate in Deum; extrema fide in principem; propensa charitate in omnes conspicuus. Vir, scholasticus, theologus plane incomparabilis, omni epitheto major, quolibet elogio potior. Meruit haberi martyr assiduis pro ecclesia curis et vigiliis confectus. Occidit diei nostri Lucifer anno 1660 salutis partæ, primo regis restituti, patriæ liberatæ, ecclesiæ instauratæ; quæ a se strenue promota, et ardenter concupita præsagiit animo, sed oculo non adspectavit, in hoc felicissime infelix.

Vade, cogita, imitare.

Nec magnum tamen Hamnondum satis ulla loquuntur
Saxa, nec a morsu temporis ulla tegant:
Clarius ostendit scriptis se illustribus, illo
Digna sui tantum sunt monumenta libri.

EPIGRAMMATA.

ANNO 1661.

TRES modo Carolidæ; numero gaudet Deus isto,
Lætitiam minui ne sinat ille suam.

Concurrit nato Christo denata Maria,
Disparet Phœbo sic oriente Venus.

Morbillis princeps indigna morte perempta est,
Ex morbis saltem debuit illa mori.

Digna bono nimium cœlo, summumque favorem
Numinis exæquans, victima nulla fuit:
Sensit, et ingratæ titulum aversata benigno
Sese devovit gens Carolina Deo.

Viderat ignito fratrem soror optima curru
Scandentem rutili splendida tecta poli:
Ostendis, dux chare, viam mihi, dixit; eadem,
Strata licet multo candeat igne, sequar.

Non sine consilio sapienti regia proles
Maluit in lætis rebus obire diem.
Sic solet accepto pretio quis tradere mercem,
Sunt vitæ pretium prospera fata bonæ.
Sic consummato victor certamine campum,
Decisaque solet linquere lite forum.
Vivere cur pergat, cum respondentia votis
Cepit, et internis otia vana terat?

Oxonium pridem deflevit, flet modo Granta,
Fortius hæc semper, sed prius illa dolet.

Dividit Oxonium, jungit quos Granta dolores,
Granta suum factum quo tueatur habet;
Sanguis, amor, morbus quos conjunxere, fuisset
Nobis in luctu dissociare nefas.

Esse solet major luctus qui tardior ire,
Et plures lugens fortior esse solet.
Promptior Oxonii luctus, vehementior ergo
Grantæ; sed pietas par utriusque fuit.

Quas (mira res) haud potuit asperum gelu,
Nec crassus aër Belgicus, nec exteræ
Sterilis eremi solitudo occidere,
Occidit horti patrii calor rosas.

Cum morbus unus, vulnus unum principes
Vincendo non esset, phalangem febrium
Armavit, instruxitque justum exercitum,
Ac interemit mille confossos locis,
Numeroque non virtute mors victrix fuit.

Ne regiæ soboli molesta sis, precor:
Lacessis alieno loco jam et tempore.
In rebus adversis, foras, in Belgio
Nuper fuisses hospes opportunior.
Jam prosperæ res sunt, in Anglia, domi,
Aliud agunt, discede mors, mori haud vacat.
Negas? et obstrepis? quid ergo optem tibi
Pro scelere tanto? Carolus rex, optimus
Regum, sit immortalis, hoc te maceret.

Materiam decuit carmen miserabile, lusum est
Versu materiæ conveniente suæ.

Epithalamium R. Caroli et R. Catharinæ, 1662.

ΔΕΥΡ' Ὑμέναιε, θεῶν πολύευκτον χάρμα καὶ ἀνδρῶν,
Ζηνὸς ἀπ' ὑψορόφου δώματος ὧδε πάρει,
Οἵμας θελξινόους ἅμ', ἐϋτροχάλους τε χορείας,
Παντοίας χάριτας, χαρμοσύνας τε φέρων·
Οἷος, ὅτ' εἰς θαλάμους Μενελάου κυδαλίμοιο,
Εἶς τε γάμους δίου Πηλέος ἦλθες ἐκών·
Μᾶλλον δ' οἷος, ὅλος γ' ὅθ' ὑπ' ἔτρεμε ποσσὶν Ὄλυμπος,
Μολπαῖς ἀντήχει, δασὶν ἔλαμπε τεαῖς,
Ὁππόθ' ἑοὺς εἰσῆγε δόμους χρυσόθρονον Ἥρην,
Τῶν τε θεῶν ὁ πατὴρ μητέρ' ἔδωκε θεοῖς.
Ἄλλος Πηλεὺς, ἄλλος Ἀτρείδης ὧδε, καὶ ἄλλη
Ἀργυρόπεζα Θέτις τ', ἠΰκομος θ' Ἑλένη.
Ἄλλος Ζεὺς σκήπτρῳ κρατέων καὶ κύδεϊ γαίων,
Γηγενέων δαμάτωρ φαίδιμος, ὑψιμέδων.
Ἄλλη πότνια, πρέσβα θεὰ, λευκώλενος, εἶδος
Φερτάτη, ἠμετέρου παμβασίλεια πόλου·
Οὐχ' ὁ μὲν ἐκ Φθίης ἐριβώλακος, οὐδ' ἀπὸ Σπάρτης
Ψευδῶς εὐρυχόρου, οὐδ' ἑκατομπόλιδος
Κρήτης ἐν μύθοισι διονύμου αἰσυμνήτης·
Τῆς δ' ὄντως μεγάλης Βρεττανίης βασιλεύς.
Κόσμου παμμεδέων ἑνὸς, ἄλλου νόσφιν ἐόντος,
Αὐτάρκους κόλποις πατρὸς ἐν Ὠκεανοῦ·
Πόντου εὐρυπόρου, καὶ γαίης εὐρυοδείης,
Τῆς σκῆπτρον, τοῦ δ' ἐν χερσὶ τρίαιναν ἔχων.
Ἡ δ' οὐ θρηνώδης θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντος,
Οὐ μιαροῦ κύκνου παιδίον ὠότοκον,
Ἔκφρονος οὐδὲ Ῥέης καὶ ἀμειλίκτοιο Κρόνοιο·
Ἀλλ' ὅσιον ῥίζης ἔρνος ἀπ' ἀντιθέου,
Ἔκγονος ἡρώων ἀρεταῖς τ' ἀρχαῖς τ' ἐπισήμων,
Οἷς κόσμου στεφάνους πᾶσα παρεῖχε μερίς.
Ὧν σκήπτροισιν ἐπείθετ' ἀγακλειτοῖσιν ὅμως τε
Ἀντέλλων, καταδύς τ' ἀμφότερος Φαέθων·
Στήλης Ἑσπερίης ἀπό γ' εἰς Γαγγήτιδα δόντων
Εὐρώπῃ, Ἀσίῃ, τῇτε νόμους Λιβύῃ·

Ἄμφω ἀριπρεπὲ ἠνορέῃ, δόξῃ περιπύστω,
Καὶ θαλέθοντ' ἐρατῆς ἄνθεσιν ἡλικίης.
Καὶ Σολομῶν ἄρκτοιο ὁ μὲν, βασίλισσα νότοιο
Ἠδὲ, σοφὸς Κάρολος, καὶ Καθαρίνα καλή.
Τούτους εἰς φίλα λέκτρα συνελθόντας μελίγηρυ
Τέρπ' ἀγανοῖς μέλεσιν, τέρφ' Ὑμέναιε χοροῖς·
Χερσί τ' εὐστρεφέεσσι κροτῶν φόρμιγγα λιγεῖαν
Ὄλβον ἄειδ', ἀρετὰς, καὶ κλέος ἀμφοτέρων.
Τοῦ γένος, Ὠγυγίαν ἐριθηλέα βλαστὸν ἀνάκτων,
Τήντε τύχην, θείης θαῦμα μέγ' εὐνοΐης.
Καὶ σοφίην πολύιδριν ἐπ' ἄγριον οἶδμα θαλάσσης
Ἧς πλόον ἰθύνειν νηὸς ἀελλομάχου·
Εὐσεβίηνθ', ἥτις βωμοὺς ἵδρυσε πεσόντας,
Δῶκε θεοῖς ἱερεῖς, δῶχ' ἱερεῦσι θεούς·
Ἠνορέην τ' ἐχθροὺς δυνατὴν αὐτόντε δαμάσσαι,
Μάρνασθαι κρατερῶς, δρᾷν καλὰ, δεινὰ φέρειν·
Εὐδοκίηντ' ὀρθαῖς σταθμὸν χείρεσσιν ἔχουσαν,
Τοῖς τε φίλοις, καὶ τοῖς δυσμενέεσσιν ἴσην·
Πράον ἀμαρτινόοις τε καὶ ἤπιον ἦτορ ἀλιτροῖς,
Δοῦναι συγγνώμην, μὴ τίσιν ὀξὺ λαβεῖν·
Τῆς δ' ἀπὸ διογενῶν πατέρων μοιρηγενὲς ᾰδε
Μαρμαρυγαῖς ἰδίαις φέγγος ἀεξόμενον,
Οὐράνιον κάλλος γλυκεραῖς ἐνὶ λάμπον ὀπωπαῖς,
Καὶ μέλι θεσπεσίου στάζον ἀπὸ στόματος·
Τοῦ τ' ἦθους εὔκηλον ἀμωμήτοιο γαλήνην,
Καὶ πινυτὰς ψυχῆς ἔμφρονος ἐννεσίας·
Ἄλλους τ' ἀμφοτέρων αἴνους πλήθει ἀναρίθμους,
Ὅσσας πόντος ἔχει θῖνας, ἰδ' ἄστρα πόλος·
Ὕμνει ταῦθ', ὕμνοις, δ' εὐχὰς ἐπίβαλλε κραταιὰς,
Καὶ φιλίοις ἀγνὰς σπένδε θεοῖσι λιτάς·
Πολλάτε νειογάμοις ἥρωσι καὶ ἐσθλὰ νέμεσθαι
Ἄξια τῶν δ' ἀρετῆς, ἄξια δῶρα τύχης·
Ἀκμῆτας Καρόλῳ πολέμους, ἀπόνους τε θριάμβους,
Αὐτομάτας νίκας, αὐτοφυεῖς στεφάνους,
Ἄλλους ἀρχομένους, καὶ τούς δ' εὐπειθέας εἶναι,
Πλείονα σκῆπτρα φέρειν, ταῦτα βέβαια μένειν·
Τῇ τε νέας αἰεὶ χάριτας πότνῃ Καθαρίνῃ,
Ἰμερτὸν κάλλους τ' εἶαρ ἀειθαλέος·

Μητέρ' ἔμεν τόσσων δ' εὔτεκνον ὄπισθεν ἀνάκτων,
Ὄσσων πρόσθεν ἔην εὐπατέρεια κόρη.
Ἀμφοτέροις ὁμόνοιαν, ἀτέρμονος ἔσχατα ζωῆς
Εἰς πέρατ' ἀρρήκτοις δέσμασι σφιγγομένην,
Κῦδος ἀείμνηστον, μακρὸν βιὸν, ἄφθονον ὄλβον,
Εὔραστον τε δέμας, γηθόσυνον τε νόον.

In victoriam navalem, anno 1665.

QUANQUAM ejuravi Musas et inutile carmen,
Deque malo nullus fio poëta, lubens;
Et nimis est fractos calamos reparare molestum,
Ac dudum rivos arida vena negat,
Propositum invicte quatiunt animumque, per undas
Ceu Batavam pulsant fulmina vestra ratem;
Vestra, heros, imo numerosam e pectore vocem,
Nequicquam invita Pallade, fama ciet;
Illa novos ignes effœtis mentibus afflat,
E ligno vatem quolibet illa facit;
Invaditque omnes animos epidemica Musa,
Gentis et humanæ corda furore rapit;
Vel crassam Belgarum imprægnans arte Minervam,
Et domitis versus hostibus eliciens;
Vix se Leyda tenet, grato quin accinat hymno, et
Se nostris comitem præbeat officiis.
Scilicet e victore trahunt solatia, quali
Gloria certasse est, succubuisse decus;
Ambitio fecit, non spes pugnare; Jacobo
Non pudet omnino cedere, vixque dolet:
Exornata ducis jactant sua funera lauris,
In lucris illi debita damna putant.
Sed nos parta salus, et gloria reddita belli
In laudes causa nobiliore trahunt,
Quod priscum cœpit dominum dignoscere pontus,
Oppressusque diu vi modo jure subest:
Juris facta sui lætis nos circuit ulnis
Anglorum regno nata satelles aqua,
Regi sponsa Thetis, teda connexa jugali,
Cuique olim zonam tradidit ipsa suam;
Nec se plebeias sinet incestare carinas,
Perfidia fœtas, et levitate graves.
Nobile pontus amat regnum felixque, nec illam
Publica res, hoc est publica turba, reget;

Fluctus ipsa suos componere nescia turba,
Perpetuoque domi fæx agitata salo.
Truditur in proprias merito gens improba terras,
Quanquam illi nunquam propria terra fuit;
Quicquid ei colitur maris est injuria, demptum
Obsidet oceano non nisi fraude solum.
Ergo vices Neptune refers, pœnasque rependis,
Eque mari terris pulse repellis eam.
Sufficiat patrias Mosæ quod oberrat arenas,
Ac sub natali rana palude crepat.
Interea justo tutus sub vindice degit
Squamiger, et portus libera gaza petit:
Detumet abdomen Batavis, horrendaque cessat
Immensum e nostro surgere pisce caro.
Non proba merx jam prædones ditare scelestos,
Et turpe in spolium degenerare timet.
Tuto mercator cum fida transigit unda
A bello, a sæva liber amicitia:
Nil fœdus larva exutum fallace nocebit,
Subque mala latitans pace latrocinium.
Offuscata veternosæ rubigine pacis,
Ac intestina sub face pressa diu,
Emicuit tandem, priscæque refulget honore
Anglia virtutis, par similisque sibi,
Suspicienda iterum dubio metuendaque mundo,
Certa suum quamvis sera tenere decus.
En cunctæ inclinant summisso vertice puppes,
Et quercus nostras nautica sylva colit!
Ipse tuas cristas nutantes fronte superba,
Ore ferox, humilis pectore, Galle, premis,
Henrici memor, at Caroli metuentior, arma
Dirigit invicta qui potiora manu;
Cujus ab auspiciis prodire renata Britannis
Gloria gestit, eo gloria facta magis;
Commendat duros clementia nota triumphos,
Gratius in placida laurea fronte viret.
Nemo suos virtute domat feliciter hostes,
Qui non et cives subdit amore suos.

Ergo tuos geminum, magne et bone Carole, festos
Ambigua signat nobilitate decus;
Æmula pacificæ decertat bellica virtus,
Utra tuam exornet pulchrius historiam;
Cedere neutra potest, summus debetur utrique,
Quam tua promeruit cura suprema, locus.
Hinc tamen in partes frater, sed nil tibi laudis
Decerpturus, at huic appositurus, adest.
Ille tuæ pars multa animæ, pars sanguinis æqua,
Alter tu, sola nominis alter ope;
Respueres quo desertam non sospite vitam,
Cujus præ regnis est tibi chara salus:
Nec tamen hunc dubitas exponere mille periclis;
Tanti nostra salus, gloria nostra tibi est;
Ah nimiam querimur pietatem! tradere fluxam
In maris, in martis pignora tanta fidem;
Delicias et spes nostras committere sortis
Incertæ, cæci fulguris arbitrio!
Hunc obscura manus Batavi dementis iniqua
Et nulli gnara parcere glande petat?
Belgia cui non est redimendo, ditior ut sit
Quam jactans se fert esse, vel esse cupit.
Nos ita qui sapimus vulgari corde, quibusque
Nil procul e nostra cernere valle licet;
Longius elato reges a monte tuentur,
Clarius ingenti pectore fata notant;
Nil inconsulte statuit rex, nil temere audet
Dux cum sit fati certus uterque sui;
Non aliter certus quam si virtute Jacobus
Fortunam bello promeriturus adest;
Expertemque metus facit immunemque pericli
Tam sancto capiti debita cura Dei:
Se commendavit cœlo, non credidit undæ,
Depositum servant Numina fida suum;
Accinctum lauris caput, addictumque triumphis,
Nequicquam bruto fulmine Belga petit, &c.

Ratio secundi Præcepti in Decalogo est immutabilis.

ANNO 1668.

QUI cœli vastos ac terræ continet orbes
In dexteræ vola suæ,
Et quocum collata amplissima machina rerum
Vanescit in merum nihil,
Ut constringatur brevis inter septa tabellæ
Mortalis impulsu manus?
Cujus nec sol ipse (ut valde pulchrior esset)
Meretur umbra dicier;
Talis adumbretur, qualem pictoris inepti
Libido finxerit arrogans?
Qui conceptum animi longe supereminet omnem,
Et solus ipse se capit,
Brutali tantus quantus subdatur ocello,
Subdatur omni sensui?
Cui scelus et furor est quicquam componere, fallax,
Stolidum, profanum, injurium;
Ejus fucatus stipes prostet vice, cultum,
Vim, nomen adsciscat sibi?
Æterno Patri reverentia debita vilem,
Virtutis ac vitæ indigum,
(Virtutem aut vitam sed nec simulare capacem,
Nec ore spirantem tenus,)
Transeat humanæ, flammis ultricibus aptum,
In surculum dementiæ?
Summæ mentis opus summum veneretur opellam
Suæ pusillam industriæ?
Ille datus terræ dominus, superæque verendus
Potentiæ vicarius;
Ipso quo patulus nil quod complectitur orbis
Expressius Deum refert;

Terrigenæ fungo, vix rerum e fæce creato
Incurvet augustum caput;
Excordemque excors surda prece tundat, iniqui
Vane laboris prodigus?
Cœlesti solio consortes ingerat imæ
Homuncio repens humi?
Ambitione pari flagrans sub imagine verum
Falsumque numen fingere?
Non ita compressus justa Deus æstuet ira,
Non vindicet se liberum?
Sic deformatus non totus abhorreat istas
Mendacis artis simias?
Non fœdos zelo depellat percitus acri
Honoris æmulos sui?
Nos ita degeneres animo persentiat æquo,
Nostri stuporis particeps?
Scilicet opprobrii patiens, nec crimine nostro
Commotus, aut damno indolens?
Tanquam pectus iners, aut dextram gestet inermem,
Nil valeat aut nil sentiat?
Hæc vetuit ratio semper, semperque vetabit,
Lex lege quavis sanctior;
Cui se sponte uni demittit summa potestas,
Ac dulce sentit obsequi;
Nec Deus hanc potius quam se variaverit ipsum,
Adversus ac dispar sibi.
Quin sempiterni decerptam e codice recti,
Et mentis autographo suæ,
Præcipue chari in sanctissima jura popelli,
Scriba scipso transtulit;
Ipse suis digitis eradere scripta recuset,
Id alter ausit aggredi?
Audeat Ausonius saltem, sapientior ille
Ac altior cœtus Deo;
Cui licet invito mentes astringere cœlo,
Mentesque vinclis solvere,
Cum sua res animusve suus deposcet, eritque
(Hoc serio aiunt) commodum.

Desine nugarum tandem, audax desine secta:
An semper illudes Deo?
Anne impune feres rationis scita pudendis
Inferre ceris Ceritum?
Proque lucro turpi, nimiaque cupidine regni,
Cœleste jus rescindere?
Sin formare Deum tantus te possidet ardor,
Hac lege depingas licet:
Majestate sua radiantem pinge, supremi
Qualem obstupescunt angeli;
Monstra invisibilem, immensum describe, carentem
Effinge sodes partium;
Munificum, justum, sapientemque exprime, supra
Mens assequatur quam tua;
Verbum cuncta creans line, dextram cuncta tenentem,
Oculumque cuncti providum;
Sic veniam forte et laudem merearis; Apellem
Nec ipse respuet suum.

DIVINITAS

ΤΟΥ ΛΟΓΟΥ

CONSTAT

EX INITIO EVANGELII SECUNDUM JOHANNEM.

PRINCIPIUM (per te, verborum acerrime tortor,
Si verbis aliquid significare licet)
Primum designat, primoque cöincidit unum
Æternum, quo nil finxeris esse prius:
Tu qua mente putas numeros, superantia quisquis
Innumeros primo secla priora putas?
Finge sed id primi sero incepisse; creatum
Esse, quod hic præfert enthea penna caput;
Qui tamen hoc ipsum, qui cætera protulit, expers
Ejus erit, facto prævius ipse suo?
Quo sine nil ortum, nullius originis ille,
Se quoque ni pariter fecerit esse, potest.
Non aliena manus, sed nec sua condidit illum,
Id vox divina, hoc res fieri ipsa negat.
Quodque ortu caret, æternum est; fac cœperit, una
Dissonus ortivum das adimisque diem.
Adde, Dei comes et consors fundamina mundi
Omnipotente animo quod jacientis erat:
Haud ἄλογος spatio tantilli temporis unquam
Vel sine mente Deus, vel sine voce fuit.
Quin Deus exerte nullaque ambage vocatur,
Nec Deus est quisquis cœperit esse Deus.
Illud nemo sibi jus acquisiverit olim,
Nec tanto titulo gestiet ortus heri.
Esse novum perfecta Dei natura recusat;
Non secus ac creto dissidet esse vetus.

Immortale Deus sonat undique nomine toto,
Barbara seu gens id, seu bene docta, sonat;
Ac periisse quidem postrema et pejor habetur,
At mors est vitam non habuisse prior.
Nos ita, qui crasse specieque objecta sub una
Cernimus, et verbis obvia sensa damus;
Quippe Deo potius mentem informare magistro,
Quam nostra prompti e mente docere Deum;
At longe Getici sapiunt majora sophistæ,
E nihilo quidvis cudere gnara cohors;
Queis latet abstrusus nullo sub cortice sensus,
Multaque sub medio conditur umbra die;
Nil rectum aut proprium, nisi cum libet; omnia scæve,
Omnia fictitio tincta colore vident:
Hinc translatitii mundi nova surgit origo,
Hesternusque λόγος, factitiusque Deus;
Hinc creperi in mystam desciscit apostolus antri,
Verbaque non Delphis inficianda refert.
Scilicet intimus is divini pectoris hospes,
Et fonte ex illo limpida vera bibens;
Ille procul fuco, versutæque inscius artis,
Præsertimque almæ simplicitatis amans;
Cujus inoffenso pede cætera pagina plane
Ambulat, hic alius dissimilisque sui,
Nubibus obducit cœlestis lumina flammæ,
Polluit admisto pura fluenta luto;
Ancipites proponit in ipso limine griphos,
Implicat obliquis dogmata summa tropis;
Quamque revelandam cæco susceperat orbi,
Infidus dubio supprimit ore fidem?
Hæc qui crediderit, mihi (salva pace) videtur,
Et nimiam et nullam stultus habere fidem.
Sin ita, quid legimus, quid vana indagine verum
Quærimus incertum, persequimurque fugax?
Nos misere ludos facit improba charta Johannis,
Hæc fronte ostentans, altera corde premens.

ELEGIA.

ANNO 1669.

SIQUA tuas unquam meruerunt fata querelas,
Aut jus in lacrymas mors habet ulla tuas,
Quisquis es humanæ sortis spectator, adesdum;
Totus ad ingratum posceris officium:
Desiit illustris, qua non illustrior atro
Vita meat famæ per monumenta pede;
Quem summum fortuna scopum sibi fixerat, ejus
Quem favor ambiret, quem furor impeteret;
Accumulare simul connitens omnibus illam
Donis, et telis omnibus obruere.
Ut nemo propius tangebat origine divos,
Spectetur meritum nobilitasve patris;
Nec forma superos minus attingebat, amores
Quæ subito tantos alliciendo fuit;
Accessit pulchræ mentis mirabile robur,
Ac omni curæ par vigor ingenii;
Has quoque visa fuit tenebris obducere dotes
In sanctis virtus moribus alma nitens;
Utque simul cunctas, capiat quas femina, laudes
Complectar, Carolo conjuge digna fuit.
Faverunt digne justissima fata, nec unquam
Acrius invidiam sollicitavit Hymen;
Protinus immenso devinxit amore maritum,
Plus innexa animo quam sociata toro.
Arctius hos strinxit numeroso pignore nodos,
At dedit in multa vivere prole virum;
In multa et magna dubium felicior uxor
An mater (maneat lis precor ista diu).
Florentem tantis fortunæ dotibus æquæ,
Pensantemque æqua prospera mente sua,
Altera prospiciens oculo fortuna sinistro,
Livida quem diris tinxerat ira notis,

Ecce meis aptam, dixit, congressibus hostem,
Quacum omnes placuit conseruisse manus;
Tum magni præludit acerba cæde parentis,
Heu quantus pulsat corda tenella dolor!
Crescenti graviora parat dispendia; quicquid
Fingere mens horret, dicere lingua negat;
Quod longe supra tragicos immane tumores,
Ac ultra quamvis flebile Melpomenen.
Illustres miseras percense, labilis ævi
Quas flendas nobis tristior aura dedit.
Reginæ cedet patiendi gloria nostræ,
Nulla illi palmam hanc æmula præripiet;
Tu licet intentes mœstam, Cornelia, litem,
Quicquid eras magnum plangere visa tuum;
Quicquid et extorres natos plorare, vel hostes
In patria dominos omnia posse tua;
Indulsit tibi sors, tecumque jocata videtur,
Præ quibus immersa est diva Maria malis;
Nec tamen est demersa; superstitit ardua virtus,
Ærumnisque animus celsior eminuit:
Clarior in mediis visa est radiare tenebris,
Adversisque suis conciliare decus.
Destitit ergo suo fortuna lacessere damno
Invictam, facies en nova rebus adest;
Alma dies redit integro perfusa sereno,
At quæ debebat longior esse dies:
Justas fata vices se nossent reddere, vitæ
Multa obvenissent sêcla, Maria, tuæ.

Epigramma in istam Elegiam.

Per Londinenses spatiabar forte plateas,
Quo me accersebat recula nescio quæ;
Intentamque videns studiis turbam undique, dixi,
O quam secessus versibus aptus adest;
Composui simul hos, male quos decurrere quæso
Ne mirere, male strata suburra fuit.

In obitum ducissæ Aurel.

ANNO 1670.

DEPOSITUM valide stimulata resumere plectrum,
Solvat ut excelso tristia justa rogo,
Præfracte nostris obnititur improba votis,
Ceu juris nimium conscia Musa sui;
Objurgatque simul; Quid me, importune, lacessis
Semper, et invitæ talia pensa locas?
Nil aliud quam funestos evolvere casus,
Magnaque nequicquam plangere damna jubes:
Alti quicquid habet tellus et quicquid amœni,
Turbine spes nostras ludificante rapi,
Umbris egregias formas squalentibus abdi,
Dira virtutum culmina falce premi;
Regia perpetuo sordere palatia luctu,
Sacraque continuo vulnere corda peti;
His ut ego voces impendere coner honestas,
Ac ornare meis pessima fata modis?
Indigne fero; suppedites modulamine digna,
Læta bono regi debita, sponte canam.

Epicedium in ducem Albœmarlæ.

ANNO 1670.

HINC elegi tenues, et quicquid funera musæ
Degeneris cantu solet incestare, facessat:
Nil opus est humili lacrymas excire querela,
Indecores lacrymas, modici solatia luctus,
Queis ferme scelus augustos aspergere manes.
Invadens animum gravior jubet impetus, illo
Arduus incedam pede, quo decurritur Hector
Cæsus, et invictus bustum conscendit Achilles,
Major enim celebrandus adest ut verior heros.
Ille super quondam licuit quod fingere vere
Magnus, et antiqui commentos grandibus ævi
Conciliare fidem, (minus est, inferre pudorem
Invidiamque movere,) potis, cui tota merenti
Nobilior claris et certis Ilias actis
Turgeat, Iliadem nuce jam complectimur illam.
Non divos oriens, aut reges ille parentes,
Nec proceres jactat, titulosve obtendit inertes;
In laudem fortuna viri (se intrudere vana
Quæ specie solet et famæ decerpere florem)
Nulla venit, solida virtus radice suaque
Nixa stetit, de se pronascens gloria pure
Emicuit, nimio nec avorum sanguine tincta.
Nec de sorde tamen, rudis aut e fæce popelli,
Rectius a media sed crevit origine, lucis
Ut nil abriperet, sors nil affunderet illi,
Propriaque excoleret vacuum solertia campum.
Crediderim tamen occulto quod semine, vena
Et tacite lapsa per stirpis devia, priscos
Attigit heroas, quos transiit indole summa;
Indole, quæ primis Martem spiravit ab annis,
Absentemque procul cupido trans æquora voto
Quæsivit; populosa ubi deses ad ostia Rheni
Centum edormierat, vel centum eluserat annos,

Sortes alternans suspenso fine, capaces
Erudiensque animos generosa in lege nocendi.
Is simul ac juvenem pulchra feritate calentem
Aspicit, ambabus deprensum complicat ulnis,
Et blando, præter morem, sic excipit ore :
Gratus ades, si venturi modo vocibus ævi
Credetur quicquam, natu mihi maximus, acrem
Protinus excipies qui toto corde Gradivum,
Evadesque meæ consummatissimus artis.
A me desumes amplissima præmia laudis,
In me sed potiora refundes fœnore grato.
Magna geres, pugnace manu, majora sagace
Perficies animo, vi præpollentior utra,
Ambiguum ; terras simul illustrabis et undas
Virtute amphibia, se res fundente per omnes ;
Res utcunque geres, quo vertes cunque teipsum,
Indivulsa tuæ hærebit victoria dextræ ;
Vana nec hæc sterilisque et tantum clade nociva
Inclyta, sed validos præbens mortalibus usus.
Scilicet instauranda tuis decernitur armis
Regnorum collapsa salus ; depellet iniquæ
Vis ferale jugum a patriæ cervice minacis
Nominis aura ; manus tumidos exerta rebelles
Comprimet ; exangui subiges horrore feroces
Bellator facilis, victorque innoxius hostes.
Insidiosa dabunt pietas, et pelle decora
Larvatum scelus, obductæque putamine sancto
Immanes furiæ, et cæci ludibria zeli
Terga tibi, frontis quantum diversa severæ !
Orbe chaos patrio demes, constante reponens
Res in sede vagas, et certo fine coërcens,
Harmoniam suavem renovans, et lumen amœnum ;
Verticibus meritis aptans diademata, mitras,
Pileaque, insano nequicquam excussa tumultu.
Succumbet monstrum tibi (de quo rara subacto
Vis jactet, paucique duces egere triumphum,
Nullius edomitum felicibus Herculis ausis)
Ambitus, immodicos dum frustra obtrudit honores ;
En quam blanda tibi pellex exporrigit offam,

Ut tibi captivam se dedat summa potestas !
Haud sine tam valido fati molimine nullis
Virtus illecebris poterit vitianda probari,
Aut constare tui quantum sit pondus honesti.
Nempe tuas ambire, suis elapsa pudende
Ausa manus, turpem patientur sceptra repulsam :
Indignor, dices, et cor injuria pungit
Vestra meum ; quasi non mihi cura potissima recti
Insideat malimque potens quam justus haberi ;
Objicitis temere regni culpabilis umbram ;
Mente bona regnum non est augustius ullum ;
Nec magis, ut juste possem, regnare juvaret,
Quam Carolo parere juvat, quem fata requirunt,
Fecit ad imperium virtus, cui sponte luberet
Ad me jure bono delatos tradere fasces.
Hac vice sufficiet speciem mihi sumere regis.
Ocyus ite volo, rectamque capessite dextram ;
Morem sceptra gerent, sanctis obnoxia jussis.
Talis eris, qualem certe labentia mundo
Hactenus abnuerant ostendere secula, miles.
Reddere vim juri, profugasque reducere leges,
Fasque fidemque (quid hæc memoro !) regemque Deumque
Longo subtrahere exilio ; palatia regi,
Templa Deo, vacuas utrique recludere sedes,
Consociare decus cum relligione ; beatum
Par, majestatem libertatemque, tueri ;
Propugnare (nec hæc in grandi laudis acervo
Infima laus jacet) infenso quas impetet ungue
Vecors turba, arcto mihi (quanquam abludere vultu
Et studiis distare videmur) fœdere nexas
Dulces Pieridas, magnoque umbone togatum
Protegere omne genus (genus haud benefacta referre
Immemor, et lingua natum prodesse canora
Fortibus, egregiisque arcens oblivia gestis)
Barbariem dominam stolido detrudere regno,
Jusque bonas revocare artes impune sciendi ;
Bellum debellare ipsum, Martemque fugare,
(Hei mihi) Marte tuo, translato milite justum
In civem, et pacis firmata lege perenni.

Militiæ sunt ista tuæ; sic arma sacrabis,
Infamique operæ nomen præstabis honestum;
Sic fata absolves, suspectaque criminis astra;
Scilicet inferior nedum te sentiet orbis
Patronum, de se cœlum meruisse, redemptum
Horribili opprobrio tetræque aspergine labis,
Quod fateatur erit; Superum tibi debitor omnis,
Nequitiæ cristas tollenti applaudere visus,
Cœtus erit, quo tandem auctore putabitur insons.
Mars ego præsertim (qui tot fanaticus annos
Audierim, scelerum fidissimus ultor acerbe
Dum jocor, atque tuæ studeo præludere famæ
Acrius, aspirare nefandis creditus ausis)
Per te non malus, aut indignus amoris habebor.
Talibus excepit generosum magnus alumnum
Bellipotens; plura adnisum præsagus Apollo
Destituit, reducis vel cum miracula regis
Prospiceret, curæ satur ignorare futuros,
Ad se quippe minus spectantes, maluit annos.
At hinc heroi pars defuit optima vitæ,
Uberior laudis maturæ campus; ab illo
Tempore visus erat ne quid superesset ab ipso
Invictum sese ac actus superare priores,
Inque dies aucta magis inclarescere fama;
Si modo conservare diu quam tradere regnum,
Continuo vigilem intenta defendere cura
Pacem, quam fundare semel; cohibere latentes,
Quam patulos hostes prosternere, majus haberi,
Utiliusque decet. Si non turgescere magnis
Inflatum titulis, meriti nec pondere tanto,
Aut famæ esse gravem; sibi non assumere quicquam
Immodicum, reliquis abductum civibus, acres
Blanditias propriæ quasi non attendere sortis;
At medios inter plausus, mediosque triumphos,
Clamores faustos populi, pronosque favores
(Hac saltem vice non fictos) venerabilis aulæ,
Affectu surdo versari, animoque modesto,
Jure super cunctas effulget nobile palmas.
Si nihil affectare novum, nec rite locatas

Res turbare, ægrum vana ambitione, maligna
Afflatum invidia, stolidave cupidine raptum;
Sed trahere innocuam per amica silentia vitam,
Nullam porrigere ambiguis rumoribus ansam,
Nullo rem populi strepitu tractare suamve;
Si non addictum aut infensum partibus ullis
Vel captare leves auras, vel inania rixæ
Semina projicere, aut cæcos proponere fines,
Aut iter obliquum funestæ insistere fraudis;
Ast indeflexo communem lumine pacem
Adspectare, fidemque suam, et regnantis honorem,
Sit pene ultra quam valeat laus scandere celsum;
Si mentem retinere domi, nec tradere fluxæ
Prodendam linguæ, non ostentare loquendo
Ingenium incertum, sed certum ostendere agendo;
Non quantum sapit infidis edicere verbis,
At valida præstare opera, eventuque docere;
Cum nil non valeat, cum pervigil omnia curet,
Posse parum tamen et paucissima nosse videri:
Quærere non speciem, sed rem, sint optima magni
Signa viri, supra culmen vulgare levati;
Si non privatum e communi radere censum,
Exhaustis venis populi, aut e paupere fisco
Surreptis opibus; quæstus a sorde nefandi
At puras servare manus, famamque pudicam;
Tutari sed enim excelsæ stationis honorem
Fruge bona, luxuque excluso augere penates
(O utinam exemplo prosit magnatibus illo!
Ut quo nobilitas tenebris offusa refulsit,
Illo nobilium quoque res auctore resurgat)
Quin pretio quum res visa est deposcere nullo,
Se præstare ducem, gratisque impendere vitam
Civibus, et tantum se compensare merendo;
Ista queant justæ cumulum distendere laudis,
Hæc ego; suspiciant alii victore tremendum
Ense, manuque alacri torquentem fulmina belli;
Nil non audentem ratio quod honesta juberet,
Impavidoque tuentem extrema pericula vultu,
Flectentem densas legiones voce perita,

Et magnas classes clavo prudente regentem,
Multiplices alto gestantem vertice lauros,
Dispensantem sceptra et regnis fata locantem;
Me virtus juvat hæc, quæ non tam luce corusca,
Quam solida placidaque micat, nimiumque stuporem
Temperat, illecebras admiscens dulcis amoris;
Me pudor ille tegens animosi pectoris æstum,
In bellace viro studium durabile pacis,
In duce, quo summum imperium non alter obire
Aptior, obsequium deferre parata voluntas;
Mens refugi fluctus variis in casibus expers,
Proposito fideique affixa tenaciter; alta
Cum gravitate rigor nullus, fastusve, potentis
Vix sensus meriti, clamor nullus; tenor æquus
Vita, limitibus modicis inclusa cupido,
Quicquid et his arcto comitatu dotibus hæret,
Afficiunt imas flamma penetrante medullas.
Ex his evasit laus mundi consona, certus
Incerti populi favor, unus celsior omni
Invidia, jactu assiduo quæ summa lacessit.
Nempe quis est adeo nequam dementer, ut illum
Oderit, auspice quo nobis vis tanta bonorum
Incubuit; per quem nos pulsa revisit opima
Pax, nostrosque lares per tot nunc incolit annos;
Quo munita salus nunquam est sibi nostra timere
Visa, sed hostiles semper res Anglica tempsit
Assultus, tanto custode et vindice tuta?
Ergo immortalem faciebant publica vota,
Quantum vota valent, fatoque exemptus agebat,
Quantum fata sinant; at nullis numina surda
Auscultant votis; meritorum excordibus illis
Nullus inest sensus; sæve discrimine nullo
Omnibus insultant; postquam a se prodita fœde
Gens humana gravi dedit a certamine terga,
Lege ratum stat eis immota parcere nulli:
Hinc jacet, ecquis eum credat potuisse jacere?
Qui nos stare dedit; per quem res nostra revixit,
Ipse obiit, fato communi subditus. Eheu!
Quid facimus? quam non indignum pectore toto

Sufficimus luctum? quam nobis spiritus ægre,
Siquis eo nobis manet expirante misellis
Spiritus, in tantum suspiria debita casum
Suppeditat? vires excedit causa dolendi;
Officio minor est, et non solvendo dolorem
Anglia tota, suum nisi quod rex optimus ultro
Impendit, magnæ qui solus congruit umbræ,
Nostris magnificum pondus mœroribus addens:
O quam te decet hæc, quantumque reposcit amorem,
Insignis pietas et plusquam regia! multis,
Per jugem illustris vitæ diffusa tenorem,
Eluxit bonitas ingens tua, Carole, signis,
Quot nemo vel quanta potest obtendere regum;
Vix tamen hoc ullum divini pectoris extat
Clarius indicium, quo te fidentius ipso
Nitemur posthac; quanquam sic lumine dextro,
Atque manu dextra videare orbatus oportet.
Est qui virtutem tanto complexus amore,
Prosequitur meritum tanti mercede doloris,
Nullius is meriti sit, vel virtutis egenus;
Quid solus valeas hinc constat, quodque superstant
In te jam Carolus simul atque Georgius uno.
At tu præclari defuncte laboribus ævi,
Æterni in gremio decumbe quietus honoris;
Non tibi de Pariis consurgat rupibus agger,
Neve tuum Cyprio custodia nominis æri
Mandetur; neu te memorandum pagina sumat
Docta; nec audaces (debet vestigia vitæ
Heroum queis turba minor) tua gesta Camænæ
Contemerent; immortalis tua gloria summo
Certius immotas radices inserit ævo;
Sacra tuæ famæ tria stant ingentia regna,
Auspiciis erecta tuis; quot templa, quot ædes,
Tot monumenta tuæ virtuti extructa supersunt.

Hoc segni quantum dictavit cunque poëtæ,
  Musa quidem nulla, at gratia multa melos,
Si nimius videar, culpam non deprecor, ipse
  Cum videar justo parcior esse mihi.

Musa jocosa fui multis (musam esse jocosam
Nil vetat, at longis non licet esse jocis),
At mihi siqua fuit, spatiis diffusior æquo
Jure fuit, quoniam seria musa fuit.
Scilicet affectum pleno torrente ruentem
Sistere vix nostræ, crede, fuisset opis;
Officii nec erat, meritis cum congrua tantis
Nulla queat reddi pagina larga satis;
Nec post insumptum scribendi plura laborem,
Non adscribendum multa deesse foret.
Publica ne repetam, nimium quæ vasta supremi
Nobis porrexit Numinis ille manus;
Multa obvenerunt privatæ commoda vitæ,
Quæ par est magno sumpta referre duci:
Quod sub jucundæ requievi tegmine pacis,
Vita quod a tragicis est procul acta malis;
Quod placitis studiis, Musisque insontibus ampla
Otia (ne dicam præmia) contigerint;
Turpibus ejectis dominis, vanoque furore,
Se pura qui pro relligione tulit;
Quod licet obsequium regi deferre benigno,
Et vero cultum verum adhibere Deo:
Hæc ego tanta boni forti, prudente, probaque
Obtinuique opera possideoque ducis:
Huic igitur grates dum fundere conor, ineptus
Esse queo, longus, vix reor, esse queo;
Sin videar, veniam extremæ non abnue culpæ,
Quisquis eris, siquis, qui legis ista, precor.
(Huic veniam culpæ facile est concedere, pœnam
Scribendo scriptor quum satis ipse luat)
Non erit ut posthac patientia vestra laboret,
Nec mea charta sua tædia fronte geret;
Lusibus his penitus, vel pene renuncio, quicquid
Nitar abhinc, nullum vel breve carmen erit.
Musas, magne, meas sine (vestra laude subactas)
Appendi tumulo, parva trophæa, tuo.

DE S. TRINITATE.

JUL. 1670.

SIT quale Numen, quis capiat, nisi
Qui lucis ipse est incola propriæ;
Quis eloquatur præter unum
Indigenam venerandæ abyssi?
Hinc, hinc pusillam mens aciem procul
Humana flectat; nil crepet hic suum
Vox nuper infans; quadrat auri
Sobria credulitas recenti.
Unus seipso est teste Deus, suæ
Ast unitatis tres socios habet,
Mirandus hos nodus coarctat,
Limes et hos dirimit stupendus;
Haud ille tantum nomine dissonat
Trino, nec uno nomine consonat
Cœtus, sed ipsum abjungit ipsa
Res, ligat ipsaque res eundem.
Non distrahit partitio sectilis,
Confusio nec textilis implicat,
Sed perstat idem quisque, et æquus
Cum paritate tenetur ordo.
Originali luce pater micat,
Pulchram emicando gignit imaginem,
Perfectiones quæ parentis
Omnigenas referens adæquat;
Par gloriosum se sibi protinus
Arctissimis complexibus ingerit,
Rex inde cœlorum alter idem,
Sanctus amor placide resultat.
Æterna sic exuberat et simul
Primo seipsum essentia continet
In fonte, se confert duobus,
Nec minus hic sibi se reservat.

Ceu cum supremi participem throni
Natum benignus constituit Parens,
Junctique mox Natus Parensque
Munus idem attribuunt nepoti;
Tribus potestas sufficit unica,
Simplexque cunctis gloria competit,
Cernunt eadem mente cuncta,
Cuncta manu peragunt eadem.
Insignit omnes fallere nescia
Summe colendo pagina nomine,
Quod nil creatum adsumat absque
Sacrilegi vitio furoris.
Tantoque dignas res titulo simul
Adscribit, ortis viribus absonas,
Queis fretus orbis Rector arcis
Occupat æthereæ cacumen;
Durando prima excedere secula,
Præsentia complere quod uspiam
Loci, futurum quicquid alta
E specula procul intueri;
Rerum stupendam de nihili sinu
Excire molem; et, quod magis arduum,
Ejus gravi attritam ruina
Præcipuam reparare partem;
Grandem tueri lumine provido,
Nutuque forti vertere machinam;
Natura quas observat omnes
Pro libitu variare leges:
Sic attributis singula maximis
Persona fulget; non superabili
Virtute juxta quisque pollet,
Gloriaque una coronat omnes;
Hinc cum salutis janua panditur,
Ac alma justo fœdere gratia
Sancitur, immundosque vere
Nos benedicta repurgat unda,
Par jure cultus redditur omnibus,
Par, quippe summus; nititur integra

Spes singulis, sancte dicatur
Obsequium tribus æquum et uni.
Hæc ore certo ipsissima veritas
De se retexit; Spiritus hæc fide
Dignissimus nos de superna
Edocuit cathedra magister.

AD JOHANNEM TILLOTSON,

CUM LIBRO LECT.

DUM tu, dulce caput, sacri mysteria veri
In populum valido dirigis eloquio;
Occludisque simul petulantibus ora sophistis,
Et pro lege Dei prospera bella geris;
Istis ecce misellus ego quos aspicis uncis
Affixus, vasto tempus et ingenium;
In promptu est hujus causas exponere duræ
Sortis, at invita sorte modestus ero.

AD D. D. CHR. WRENN.

AD te, sed passu tremulo vultuque rubenti,
Fertur, ad ingenii culmen, opella levis.
Nec quid vult aliud, (quid enim velit haud tibi notum?)
Quam ut justum authoris deferat.

FINIS.